




NAZIONALE
BIBLIOTECA
VITT. EMANUELE
8
40 H
15
ROMA


FORMICARIVM IOANNIS NY-DER, S. THEOLOGIAE DOCTORIS, ET ECCLESIASTÆ PRÆSTANTISSIMI, IN QVINQVE LIBROS DIVISVM.

Quibus Christianus quilibet, tū admirabili Formicarum exemplo, tum historijs pro re accommodatis, & ad parandam sibi sapientiam, & ad vitam honestè piéq; instituendam, efficacissimè eruditur.

Opus singulare, miraculis & exemplis refertissimum,

Ad complura vetera exemplaria collatum, ab innumeris mendis expurgatum, & breuibus notis illustratum.

Opera & studio GEORGII COLVENERII Alostensis, S. Theol. Licent. & Profess. & librorum in Academia Duacena Visitatoris.



DVACI,

Ex Officina BALTAZARIS BELLERI, Typographi iurati, Sub Circino aureo.

ANNO M. DCII.

tius V

* 2

Ioannis Nyderi Formicarium cum ſubiunctis annotationibus vtilitatem legentibus adferet, ſi typis excuſum euulgetur. Duaci, 7. Iunij 1602.

GVILIELMVS ESTIVS
S. Theologiæ Doctor & Profeſſor.

ADMODVM R[do.] IN CHRISTO PATRI AC DOMINO, D. PETRO PIERART, CELEBERRIMI COENOBII MARCHIAnensis Abbati religiosissimo, amplissimoque, D. suo plurimùm obseruando.



OSTQVAM fuit à me in lucem emissus, dignissime Præsul, liber Thomæ Cantiprani exemplorum & miraculorum, quem ipse de Apibus inscripsit, mox rogatus sum à plurimis pijs ac doctis, etiam per literas, vt eandem operā quā Cantipratano impenderā, collocare vellem in Formicario Ioānis Nyder, quod vix de nomine mihi notum erat. Re per tēpus aliquod dilata, cœpi quaquauersum inquirere de varijs exemplaribus, nuncijs vsque in Germaniam directis. Quædam verò nactus, vel ob id putaui satisfaciēdum multorum tam pio desiderio, quòd sicuti Nyderus ad imitationem, vt fatetur, Cātipratani hoc ipsum opus elaborauit (adeò, vt quod ille in apibus, hic pręstaret in formicis) ita postulare videbatur æquitas, vt post opus illud à me illustratū & editū, etiā hoc subsequeretur. Fuit sub manibus facilè biennio, tū quia alijs studijs ex duplici Professione vacandū est, tū quia opus erat adeò incultum, & densissimus veprium spinis

obſitum, vt veriſſimè liceat mihi dicere;

Scilicet emendẽ, labor eſt, quã ſcribere maior.

Tandem opere ad calcem (Deo bene donãte) perducto, cũ mihi de more deligẽdus eſſet patronus, cuius patrocinio protectũ opus hoc diu deſideratũ, iá noſtro labore emaculatũ atque exornatũ tutius in lucẽ prodiret, protinus mihi R. Præſul occurriſti, qui in vigilãtiſſima & prouidẽtiſſima gregis tui cura FORMICARVM diligentiá ac induſtriam probè, ſtrẽnueque imitaris. Hoc igitur opus quod earũ actiones & proprietates myſticè ac moraliter declaratas complectitur, iure optimo R. P. T. dicandũ ac cõſecrãdũ apud me ſum arbitratus. Neque ſanè indignũ cenſeri debet, ſi actus noſtros FORMICARVM magiſterio informemus, cũ ad illas nos mittat diuinus ſpiritus ad diſcẽdã ab eis ſapiẽtiá. Quinimo hęc ad eos quoque peculiariter ſpectare, qui ſeculo valere iuſſo, beatiorẽ viuẽdi normã ſunt amplexi, et in Dei laudibus diu noctuque cõcinẽdis, formicarũ exẽplo occupantur (quę non interdiu ſolũ, ſed & noctibus plena luna, labores ſuos exercẽt) ex b. Hieronymo in vita Malchi monachi, qui ipſarũ agẽdi ratione cõſpecta protinus ad monaſterij cellulã aſpirauit, ex Hugonis Victorini lib. de Inſtit. monaſt. & aliũde cõpertũ eſt. Eſt præterea aliud docendi genus in hoc Nyderi opere longè efficacius & præcellẽtius, vcz. per

Prou. 6.

Ariſtot. lib. 9. de hiſt. animal. c. 38

L. 2 c. 29.

per exẽpla. Fortius enim (inquit Parisiensis Cãcellarius) sonat vox operum quã verborum. De eadem re nota est D. Gregorij sentẽtia initio sui dialogi: Ad amorẽ patrię cęlestis plus exẽpla quã prædicamẽta succendũt. Ante hũc b. Leo scripserat. Ad erudiẽdum Dei populũ nullorũ est vtilior forma quã martyrum eloquẽtia. Facilis ad exhortandũ sit ratio, efficax ad suadendũ, validiora tamen sunt exẽpla quã verba, & plenius est opere docere, quã voce. Poterunt igitur hi libri R T. P. nõnullo leuare onere impositæ prælationis & cõmissæ administrationis, in qua ab eo die quo omnium maxima cõgratulatione hunc sublimem dignitatis gradum adeptus es, sic te geris, vt opere ostẽdas satis intelligere dictũ tibi esse à Domino: Pasce oues meas. Ideoque pascis PETRE oues Christi pabulo doctrinæ, actionũ forma, & opum bene administratarũ subsidio: vel iuxta b. Bernardi ad abbates cohortationẽ. Pascis mente, pascis ore, pascis opere; pascis animi oratione, verbi exhortatione, & exẽpli exhibitione. Optimè nosti his sacris euãgelij verbis curã & laborẽ ijs qui in ecclesia pręsũt cõmissã esse, nõ otiũ Scis te nõ vocatũ ad epulas, nõ ad voluptates, sed ad labores, sollicitudines & vigilias, quibus ita te totũ dedis, vt nihil à teipso prius inferiorẽ gerẽte administrationem, degeneres. Hac vigili tua sollicitudine hoc agis, vestigijs

Gerson ser. hab. te in C õ. Rhem. en.

Ser. de S. Laur.

Ser. 2. de resurrect.

gijs decessorũ tuorum semper insistẽs, pręsertim R.R. Patrũ Arnoldi Gãthois, & Petri Manarre, ne in paradiso virtutũ succrescat sylua vitiorũ: semper in actione, cũ FORMICA laboriosissimo animali, ne si assiduis terra non fuerit subacta culturis, cito segni otio spinas tribulosque producat, & partu degeneri det fructũ non horreis inferẽdũ, sed ignibus concremandum. Quicquid indiget reformatione in moribus, instauratione in structura ædificiorum ac domus Dei exornatione, & (quod pectus eruditũ ostẽdit, studijsque ac viris doctis addictũ) in bibliothecę monasterij tui, quã meditaris, reparatione & amplificatione, id omne summa animi industria reformas & instauras: atq; ita administras omnia, vt cũctis pateat, non sine futurę rei pręsagio te breuissimum illud dictum, ΑΡΤΕ', assumpsisse. De reliquis nihil dico. Notus est zelus tuus, atque in totã nostrã Academiam propensum studium: nota est tua humilitas, affabilitas, liberalitas, hospitalitas, ac virtutes cæteræ. In hac ergo summa gubernandi vigilãtia & diligẽtia PETREVM robur, & perpetuam exopto perseuerantiam, & tãdem debitũ laboribus æternæ gloriæ pręmium. Duaci, ex Seminario Regio 18. Iunij 1602.

R. P. T. Cliens obseruantissimus,

GEORGIVS COLVENERIVS.

GEORGIVS COLVENEERE CANDIDO LECTORI, S.



VANTA *sit illorum librorum vtilitas qui animum ad virtutis iter carpendum vi efficaci propellunt, norunt omnes. Inter hos illi qui de exemplis tractant ac Sanctorum miraculis solida veritate subnixis, vel imprimis numerandi sunt. Hinc magnum illum Gregorium hoc scriptionis genus adhuc tenuit occupatum postquam sublimitatem cathedræ Apostolicæ conscendisset, idemq; suos ad populum sermones solitus est insignis alicuius exẽpli narratione condire. Aliud quoque efficax est docendi genus ex proprietatibus animalium, tam in Scripturis sacris, quàm in Patribus frequentatum. Quod autem huic loco proprium est, de ratione populum erudiendi ex conditionibus formicarum copiosè disserit Augustinus in psal. 66. Quin & ex his D. Basilius epist. 68. Eunomij hæretici superbum animum compescuit. Cum enim temerarius ille se diuina quæq; intelligere profiteretur, ad formicam eundem transmisit, vt huius, si posset, naturam explicaret. Idẽ hom. in ps. 14. acriter percellens fœneratorum auaritiam: Formica, ait, potest neq;*

rogans, neque mutuo accipiens nutriri, & apes proprij nutrimẽti reliquias regibus gratuitò cõdonant, quibus nec manus nec artes natura dedit: tu autem industriũ animal, homo, vnã tantũ ad vitæ vsum viam reperire nescis? Lõgum esset recensere quæ vitæ excẽpla tam prophani quam sacri scriptores depromant ex Formicarũ qualitatibus, vt sunt præter citatos Cicero, Ouidius, Horatius, Plinius, Plutarchus, Ælianus, Dio Chrysostomus, Ambrosius, Epiphanius, Hieronymus, & apud eum auctor epistolæ ad Præsidiũ, ac inter recentiores Petrus Messias in varijs suis lectionibus par. 5. c. 5. & alij. Vnica est ex b. Frãcisco diluenda obiectio. Hic enim scribitur aues quidẽ dilexisse, & sorores suas appellasse, formicas autem spreuisse propter ipsarum sollicitudinem, vt annotat Henricus Sedulius ad vitã eiusdem c. 14. Sed in promptu adest responsio ex b. Thoma 2. 2. q. 55. ar. 7. Formicam habere cõgruã tempori sollicitudinem, eamq; nobis imitandam proponi prouer. 6. Est denique aliud docendi genus in hoc opere, Scholasticum videlicet; vt in vniuersum triplex sit procedẽdi modus: per Formicarum proprietates, per exempla, & Scholastica institutione per rationes & argumenta. Postquam verò perlegi opus, mecum cogitare cœpi, cur post tot libros in Germania, & præcipue Basileæ excusos, in qua ciuitate ipsum opus iam olim est compositum, cur, inquam post excitatas à Luthero hæreses nunquam in lucem prodierit.

dierit. Fuerit ista forte ratio Basileensibus, & alijs ciuitatibus hæretica labe infectis, quòd hisce libris, præsertim 2. & 3. hæreses VViclefi, Hussitarũ, Bohemorum, ac similes acriter perstringãtur, quas iã dudũ in profundũ abyssi infernalis, suis cũ authoribus dãnatas & defossas, hi nostri hæretici denuo effoderunt. Cœpit Ioannes Hus ab indulgentijs, cœpit ab ijsdem Lutherus, & qui vtrorumq; errores conferre voluerit, reperiet in omnibus aut plerisq; consentire: vt clarissimum sit, Lutherum non aliunde quàm ex turbido Hussitarum lacu, virus suum deprompsisse. Non solùm igitur ex his libris mores formari poterunt, sed & fidei doctrina constabiliri, cùm, teste Hieronymo, hæreses suam ad originẽ reuocasse, refutasse sit. Qui delectatur disquisitionibus ad magiam & maleficarum nequitias pertinentibus, is abũde de his instruetur toto libro quinto. Erunt delicatarum aurium lectores quos offendet stili humilitas, asperitas, atque interdum barbaries. Ætatis hoc vitium est, nõ eruditionis defectus. Certe operam dedimus, vt prodiret opus quàm elegantissime, textu auctoris prorsus saluo, & hoc adeo religiose, vt nec verbum nobis mutandum permiserimus, quod non in margine vel in notis indicauerimus, vt lectori suum relinquatur iudicium, idq; contra temerarios illos Criticos qui facile deprauãt in aliorum scriptis quæ ipsi non intelligũt. Orthographiã necessariò sæpe emẽdauimus,

& er-

& errores quosdam typographicos qui omnia exemplaria inuaserant: vt idololatria pro idolatria, ammirari, & similia. Hæc tamen etiã spectant ad ætatis vitium. Sicut enim scribũt illius ætatis auctores, sic nec dubium etiam pronũciabant. Heæ, hij, hijs habebat antiquissimum exemplar, cetera hæ, hi, his, quod secuti sumus. Antiquiora duo VVienna & VViennensis scribunt, quod Germanicæ voci VVeen congruit, cetera Vienna: interdum hoc, interdum illo modo scriptum reliquimus. Loquitur autem perpetuò de Vienna Austriæ, nonquam (quod sciam) Galliæ. Concinnius visum est Formicarium inscribere, & hoc iuxta quintum exemplar de quo infra, duo titulum habent Formicarius.

Quæ autem labor noster præstitit in hoc opere, ista sunt. Cùm ad varia loca, non tantùm per Belgium, sed & per Germaniam nuncios direxissem ad conquirenda exemplaria mss. non nisi quatuor potui nancisci iam olim excusa diuersis in locis. Ea omnia inter se contuli à capite vsque ad calcem, & varias lectiones, vbi discrepabant, primùm annotaui, deinde meliorem selegi, & in textum reposui, altera, vel omissa, vel si quid haberet probabilitatis, in margine annotata Post factam collationem totum opus calamo describendum fuit. Nam antiqui typi abundant abbreuiationibus, quas hodie calcographicæ operæ non capiunt. Nec erat

in his

in his quatuor exemplaribus vllus notatus accentus, nec vlla diphthōgus, vix vllum comma, debita diſpunctio rara, vt plurimis locis occurreret oratio perturbata: quæ omnia emendanda fuerunt.

Primum horum quatuor exemplarium ſignamus litera a. alterum litera b. quorum vtrumq; veteri charactere in folio excuſum tam eſt antiquum, vt nullā loci, typographi, vel anni in quo excuſa ſunt, mentio habeatur, & (quod in antiquiſſimis libris editis longo vſu obſeruaui) nullum ſit libri frontiſpicium aut titulus, ſed ſtatim à prologo incipiat. Reliqua duo paulò ſunt recentiora, ex quibus tertium notamus litera c. quod Argentinæ excudit Ioānes Scottus 1517. Editioni præfuit Iacobus VVimpfelingius, qui non parum eo tempore herbeſcentia per Germaniam ſtudia promouit, & multorum ſcripta, quæ alioqui ſitu obducta latuiſſent, in lucem produxit. Hic verò talem operi præfixit titulum. Formicarius Ioannis Nyder Theologi profundiſſimi, pulcherrimus dialogus ad vitam Chriſtianam exemplo conditionum formicæ incitatiuus, hiſtorijsque Germaniæ refertiſſimus; mentionem paſſim faciens de principibus, epiſcopis, prælatis, ſacerdotibus, monachis, monialibus, Beguinis & Beghardis, rebuſpublicis, ciuibus, coniugatis, viduis, virginibus, maleficis, necromanticis, incubis &

bis & succubis, mania, ac ceteris lectu dulcibus & vtilibus. *Sic ibi.*

Quartum exemplar d. signatum, tertio per omnia simile, excudit Parisijs Iacobus le Brun sumptibus Engleberti & Ioannis de Marnef 1519. 30. Ianuarij.

Insuper in quinto libro vsi sumus quinto exemplari quod notamus litera m, eò quòd in malleo maleficarum extat to. 1. hoc titulo: Fratris Ioãnis Nyder Sueui, ordinis Prædicatorum, sacræ Theologiæ Professoris, & hæreticæ pestis inquisitoris, liber insignis de maleficis & eorum deceptionibus &c. Adhæc igitur exemplaria de verbo (quod aiunt) ad verbum vniuersa cõtuli, & ex hac collatione plurimas sanè mendas sustuli. Remanserunt, fateor, pauca quædam hiulca, nec per omnia sibi satis constantia, quibus in notis ferè malagma aliquod adhibẽdum indicamus. Quare non abs re fecerit lector, si textum perlegens simul post singula capita notationes nostras percurrat, memineritq́; non omnia Zizania posse vnica runcatione euelli. Rogo autem lectorem Germaniæ superioris, si quod vspiam suppetat ms. exemplar, candidè communicare dignetur, premio digno non fraudandus. Quod tamen defuit collationi ad mss. suppletum est partim, quia in antiquissimo exemplari antiqua manu compluribus locis facta erat emendatio, quam secuti sumus: partim per exactam collationem,

eorum

eorum quæ ex alijs citat, ad originalia; longè quidem maiori labore, sed certiori emendatione. Est autem in citandis authoribus densissimus, maximè in quinto libro. Hic itaque nouo rursus sudore quæcunque citat ex alijs (paucis exceptis quæ reperiri non potuerunt) ad auctores contuli, & loca ipsa in margine, sicut & sacræ scripturæ adnotaui, ijs tamen sæpe præteritis, ad quæ, verbis scripturæ vtens, alludit veriùs, quam citat: & in vniuersum quidquid margines obsidet nostrum est. In b. Gregorio semper duplicem annotaui capitum numerum propter diuersas editiones. Quemcunque errorem deprehendi in scripturæ, vel alterius libri citatione hunc emendaui. Capitum summaria seu argumenta quæ initio ponuntur auctoris sunt, quæ per totum opus in singulis capitulis repetiuimus cum duobus posterioribus exemplaribus: cætera non habebant, nisi post auctoris prologum.

Posthac notas adieci ad ea loca in quibus vel hærere posset lector, quia obscurè, vel minus rectè dicta videbantur: vel certè ea annotaui quæ facerent ad maiorem lucem & confirmationem eorum quæ author edisserit. In quibus dum ad varia loca remitto, eorum quos cito semper fontes adij (exceptis fortè tribus aut quatuor, qui haud facilè inueniuntur) ne, quod sæpe contingit dum ex riuulis aliorum producuntur,

lectori

lectori imponatur, & suo fructu frustretur. Denique adiecimus barbararum vocum interpretationem, rerum copiosum indicem, auctoris vitam, illustrium scriptorum de eo testimonia, & nonnulla alia. Quæ omnia dum facio, verissimè mihi hîc vsurpare possem quod de Eugenio scribit Hildefonsus in viris illustribus, eum sic correxisse libros Dracōtij, vt pulchriores de artificio corrigentis, quàm de manu processisse videantur authoris. Ne quem verò sua laude fraudemus, maiorem partem textus ipsius Nyderi manu sua mihi descripsit vir religiosæ & integerrimæ vitæ frater Ioannes Iouueneau, ex vrbe Montensi in Hannonia, claris ac conspicuis parentibus ortus, & regulam S. Benedicti in reformatissimo cœnobio Latiensi professus, qui anno elapso, id est, 1601, 9. Martij ætat. 45. annorum ex hac vita in meliorem translatus est. Hæc sunt de quibus lectorem præliminari epistola monendum putaui.

VITA
IOANNIS NYDER,
POTISSIMVM EX HIS QVINQVE LIBRIS CONSCRIpta per Georgium Colvenerium.



OANNES Nyder, natione Germanus, ex ea parte quæ Sueuia dicitur, accepit natiuitatis exordium. Est pagus siue municipium inter Landecum & Curiam ciuitatem episcopalem in illa Germaniæ ora, Niders nomine; hinc fortè cognomen sortitus est. Quò facit quòd scribat lib. 1. cap. 6. se à parentibus & conuẽtu natiuo per quatuor diœceses missum esse, vt sine macula Simoniæ confirmationis & ordinationis Sacramenta susciperet ab Eckardo VVormaciensi episcopo. Interiacẽt enim inter locum iam dictum & VVormaciã diœcesis Constantiensis, Basileensis, Argentinensis, & Spirensis. Parentibus natus est probis, ac nominatim de pia matris ipsius vita à iuuẽtute, & in viduitate vsque ad vltimum senium transacta testimonium est lib. 2. cap. 6. Hi filium ad Vniuersitatem Viennensem in Austria destinauerunt, vbi humanioribus artibus ac Theologiæ diligẽ-

Munst. l. 3 Cosm. Nuders villa.

li. 2. c. 6. li. 4. c. 11

tem

tem nauauit operam iam tunc exiſtens in ſacro ordine Prædicatorum,quem ſpretis ſeculi pompis elegerat. Miſſus eſt deinde
li.1. c.3. Coloniam cùm eſſet Sacerdotali dignita-
lib.2.c.7 te exornatus. In ſtudijs Theologicis illos
l.4. c.2 fecit progreſſus, vt idoneus euaderet qui
l.2. c.8. in dicta Viennenſi Academia ſacram Scri-
l.3.c.10. pturam,& Sententias enodaret. Varias re-
l.2.c.9 giones ac prouincias diſſeminando verbũ
l.3.c.3. Dei & confeſſiones ſacras excipiendo peragrauit, non ſolùm Germaniæ interioris, ſed etiam ad Alpes vſque & Italiæ montana,vt patet lib.2.c.11. Vt autem clarius luceret altiori candelabro impoſitus, ſacræ Theol. Magiſterium adeptus,factus eſt demũ Prior in ſuo ordine conuentus Nuren-
li.1.c.1. bergenſis, ſuccedens patri Eberhardo,vbi
& li.4. ſe magno cum pietatis fructu frequẽtibus
c.12. ad populum declamationibus exercuit. De his ſufficiat Antonij Senenſis teſtimonium in chronico Prædicatorũ anno 1430. in corona Euangeliſtarum,vbi ſic de eo loquitur:Inter huius temporis concionatores honorifica fiat mentio oportet & fratris Petri Hieremiæ Siculi, & fratris Ioannis Nyder. Quorum ille in regno Siciliæ, hic verò in Teutonia adeò fuerunt celebratiſſimi,& ſuis concionibus tum doctis, tum feruidis,tum etiam vbique acceptiſſimis mirabilem fructum fecerunt, & tãto-

pere

pere illarum odore etiam circumvicinas regiones impleuerunt, vt quasi cęlo demissos Dei præcones audire anhelarent vniuersi. Sic ille. Quàm vbique humiliter & submissè de se sentiat hi quinque libri passim loquuntur, speciatim liber 2. cap. 5. Factus est postmodum Prior Basiliensis. Interfuit Concilijs Constantiensi & Basiliensi, & in hoc idoneus est habitus qui cum Ioanne Polomar Archidiacono Barcinonensi, & multis alijs bis à Concilio mitteretur ad Bohemos: cuius legationis meminit lib. 3. cap. 7. 9. & 12. De prima eiusdem legatione anno 1432. ad conuẽtum Bohemorum in ciuitate Egrensi, vt ipsos ad Basileense Concilium inuitarent, testis quoque est Ioannes Cochlæus lib. 6. historiæ Hussitarum. Missi inquit à Concilio Ioannes Nyder ordinis Prędicatorum Theologus, & Ioãnẽs Gelhusius monachus Mulbrunnensis venerũt Monacum &c. Deinde post multa: Venerũt itaq; Egrã Cõcilij Oratores supradicti, Nyder, qui erat Prior cõuentus Prędicatorum Basileę, & Ioannes Gelhusius &c. Hos quinque libros Formicarij sui Basileę ipso durãte Cõcilio cõscripsit, vt patet l. 1. c. 7. & aliunde. Quin & Vincentius Iustinianus Valentinus ord. Prędic. in libello suo pro D. Catharinę Senẽsis imaginibus Valẽtiæ

li. 4. c. 6.

li. 2. c. 3. lib. 3. c. 5. & 8.

 edito


edito 1597. testis est, Niderum, suum hunc Formicarij librum Patribus Basiliensis Concilij nondum ab Eugenio pontifice exauctorati publicè recitasse. Fuerat annis 30. in ordine Prędicatorum dũ hunc librũ conscriberet, vt ipse testatur lib. 2. ca. 9. & ex omnibus eius operibus videtur ferè extremum fuisse. Obijsse scribitur à Molano Nurẽbergæ in legatione anno 1438. Opera eius reliqua non recẽseo, quia nota sunt ex illis quinque auctoribus, quorum apposui testimonia & elogia. Tãtũ aliquid de ijs dicendũ quorum ibi nulla mẽtio. Scripsisse enim Nyderum, & quidem admodũ laudabiliter in libros sententiarũ, testem habeo eum qui sermones eiusdem de tẽpore, de Sanctis, & quadragesimales in 4. edidit; quorũ exemplar vidi in bibliotheca Prędicat. Insulẽsi, sed tam antiquũ, vt nec annus nec nomẽ loci aut typographi exprimatur. Sanè quòd Viennæ Sententias explicarit ipse de se scribit in hoc opere lib. 2. c. 8. & lib. 3. c. 10. Extat eiusdem Nyderi cõpendiũ Theologiæ ms. apud Patres Soc. Iesu Louanij.

Tertiò est liber cui titulus Alphabetum diuini amoris, de eleuatione mentis in Deum, tributus ab his Ioanni Gersoni, ab alijs Carthusiano cuidam. Inter Gersonis opera extat par. 3. alphab. 99. præmittitur

titur tamen: quamuis à nonnullis asscribitur Ioanni Gerson, non videri illius esse. Imo id certissimum est, vel ex proœmio, in quo ipse Gerson citatur. Huius libri antiqua quædam Parisiensis editio in 8. per Robertum Gourmont in calce sic habet: Explicit alphabetum diuini amoris, de eleuatione mentis in Deum, à venerabili quodam Magistro, & sanctissimæ vitæ viro ordinis Carthuriensis compositum, ac nouissimè per quendam fratrem ord. Minorum summa diligentia reuisum atque correctum. Verùm Nyderi esse probat posterior quædam, etiam in 8. editio Parisijs apud Nicolaum de la barre *1516.* cuius hæc inscriptio. Alphabetum diuini amoris de eleuatione mentis in Deum, compositum non à Domino Gersono, seu quodam Cartusiensi (vt nonnulli ante hac putauerunt) sed à Magistro Ioanne Nyder ordinis Prædicatorum, prout notatur in Roseto, titulo directorij soluendarum horarum, capitulo incipiente; Psallite sapienter, nouissimè per quendam monachum Cisterciensis ordinis correctum, & ad formam debitam redactum, &c. Roseti illius auctor est Ioannes Mauburnus, patria Bruxellensis, ordinis Canonicorum Regul. S. Augustini. Titulus libri est Rosetum exercitiorum spiritualium &

ſacrarum meditationum,in quo citato loco,id eſt titulo quinto,ita legitur: Scripſit & religioſiſſimus Nyder plurima pro attentione adiumenta in ſuo aureo Alphabeto amoris, formans & manum quandam,cum alijs practicis multis. Hoc etiam addo, tractatum Nyderi de contractibus Mercatorum extare in Mercatore Iuriſperito, id eſt in tractatibus de mercatura, & rebus ad eam pertinentibus tom. 1. par. 1. poſt tractatum Beneuenuti Strachæ. Præter ea quæ poſui teſtimonia & elogia, non deſunt alij qui præclarè eius meminerunt. Paulus Langius in chronico Citizenſi anno 1449. Ioannes Nyder Theologus celeberrimus ordinis Prædicatorum floret. Iacobus Sprenger & Henricus Inſtitor in ſuo malleo maleficarum par. 2. q. 1. cap. 2. Ioannes Nyder doctor præcipuus, qui etiam noſtris temporibus miris claruit ſcripturis. Leander de viris illuſtribus ord. Prædicat. lib. 4. agens de ijs qui morali doctrina claruerunt, inter eos enumerat Ioannem Nyder Theutonicum, virum (inquit) doctum & compendioſum manu baiulantem librum ab ſe contextum, Præceptorium diuiuæ legis dictum, optimum quidem & non protritum. Sic ille loquitur. Ad extremum nec hoc ſi-
lentio

lentio prætereundum, verum non videri quod de Nydero ſcribit Trithemius, eum fuiſſe maleficarum acerrimum perquiſitorem. Nam quæ ſcribit de earum operationibus toto libro quinto non ſe dicit ex propria habere experientia, ſed ex Petro iudice Bernenſi, & alio quodam qui ante magus fuerat. Videatur libri 5. cap. 3. Fuiſſe tamen Inquiſitorem eorum qui violatæ religionis rei ſunt, complures eorum teſtantur quorum præpoſui teſtimonia, etſi nec illius rei ipſe in hoc opere meminerit.



EXEMPLVM PARABOLÆ A FORMICIS DESVMPTÆ PER Bigem ad ſtrotam.

Extat poſt finē parab. & ſimilitudinū Eraſmi in locos communes digeſtarum per Conradum Licoſth.

CVNCTA *Cleoneo flagrabant ſidere, meq;*
Vrbe grauem curis ſollicitabat amor,
Haud procul egreſſus ſole inclinante, ſub vlmo,
Longo Formicas agmine conſpicio.
E foueis pars haurit humum, pars claudit aquarum
Oſtia, conſtructis firmiter aggeribus.
Multa oris maiora trahunt ſe forcipe grana,
Auerſa multa poſteriore pede.
Pars humeris molitur opus, pars educat agras,
Pars effert celebri corpora functa rogo.
Pars hyemis memor inſtantis, ne rurſus in herbam
Humida ſuccreſcant ſemina, dente premit.
Quodq; magis mirum eſt, inter tot millia nunquam
Impedit egrediens introeuntis iter.
Quin potius, ſi quam videat ſub pondere victam,
Erigit elapſam, ſæpeq; faſce leuat.
Cætera quid memorem? quæ concurſatio? quanta
Sedulitas? ſtudium quale? quis ordo foret?
Sic mecum: mene è ſummo miſerabilis vnquam
Eruero? nunquam cura ſalutis erit?
Tantillæ vt ſeruent animantes frigore vitam,
Vnanimes agitat quam grauis ecce labor.
Aſt ego diuina munitus acumine mentis,
Neſciero vitæ conſuluiſſe meæ?
Et quod agunt pleriq; hominum, magis æquora & vrbes
Circuero, vt grandes accumulentur opes?
Aut ego maluero ſcrutari pectore; quantum
Diſtet ab humenti ſtellifer axis humo?
Vndeq; ſanguineo minitetur crine cometes?
Vnde pluant lapides, contremat vnde ſolum?
Quid glomeret nubes, qua vi ſoluantur in imbres?
Cur medio lateant aſtra minora die?

Et qui-

Et quibus erumpant agitata tonitrua ventis?
Cur vaga transuerso fulmina calle ruant?
Inq; cauis voces quæ causa reciprocet antris?
Quid sit fulgetrum, grando, pruina, niues?
Qua virtute leuet cautes magnesia ferrum?
Extinguat tactas qua salamandra faces?
Cur fluat ac refluat, cur nunc sublimè feratur,
Nunc humile, & salsa cur eat æquor aqua?
An queat Aëæa consurgere mortuus arte?
An queat in terras carmine luna trahi?
Cur alio lignum mergatur in amne, natentq;
Æra alio? atque alijs sit calor intus aquis?
Scilicet his opus est ventura ad præmia vitæ,
Scilicet ad superas, hinc datur ire plagas.
Diuitiæ nec enim, nec multa peritia rerum,
Sed nos fœlices mens sine labe facit.
Ergo boni velut agricolæ mala germina carpunt,
Plus ferat vt culmo liberiore seges:
Digna ita vindicibus, ne nostra sit ignibus arbor;
Strota procuremus vellere quicquid obest:
Vt cum vita breues tollerauerit ista labores,
Æterna requie detur vtrique frui.

ANA-

ANAGRAMMA.

GEORGIVS COLVENERIVS
EGREGIVS IVRE COLONVS.

PHALEVCIVM.

SEV quâ parte GEORGIVS vocaris
Seu quâ sorte γεωργὸς inueniris
Semper egregius colonus esto
Voce, iure, reâpse COLVENERI.
Aluearia sedulo labore,
Quæ frequentat apis, bonum vniuersi,
Purgasti decies, & eruisti
Sordium eluuiem quibus scatebant.
Rursum porrigis hunc tuum laborem
Formicis, penitùs domesticarum
Scitis Oeconomos necessitatum;
Quibus strennus & quibus pigellus
Discat otia non sequenda, pulchri
At sudoris opes. Id æmularis
Solertissime scriptor, atque doctor,
Dum non scribere, non docere nescis.

Ferreolus Locrius S. Nicolai Atreb. Pastor.


CATA-

CATALOGVS AVCTORVM QVI A NYDERO IN HOC opere citantur.

ADrianus Papa I.
Alanus Insulensis.
Albertus Magnus.
Ambrosius.
Aristoteles.
Arnoldus de villa noua
Auerroës, qui allegatur Commentator.
Auicenna.
Augustinus.
Basilius.
Beda.
Bernardus.
Biblia sacra.
Boëtius.
Cæsarius Heisterbachcensis.
Cassiodorus.
Cicero.
Cyprianus.
Cyrillus.
Dionysius Areopagita.
Ecclesiæ cantica.
Ecclesiæ orationes.
Galenus.
Glossa interlinealis.
Glossa ordinaria, quã vocat marginalem.
Gregorius Magnus.
Gregorius Nazianzenus.
Guillelmus Parisiensis.
Henricus de Hassia.
Heraclides.
Hieronymus.
Hilarius.
Honorius III.
Horatius.
Hugo Folietus.
Hugo Cardinalis.
Humbertus 5. Generalis ord. Prædic.
Innocentius III.
Ioannes Cassianus.
Ioannes Damascenus.
Ioannes Chrysostomus.
Iosephus Iudæus.
Isidorus.
Iuo Carnotensis.
Ius Canonicum.
Ius Ciuile.

Legenda S. Bernardi, cuius author Bernardus abbas Bonavallis.
Legenda S. Dominici.
Legenda S. Germani Altissiodorensis.
Leo Papa I.
Linus.
Macrobius.
Magister Sententiarum, qui est Petrus Lombardus.
Nicolaus de Lyra.
Officium Missæ.
Origenes.
Ouidius.
Paulus Burgensis.
Petrus Comestor, quē vocat Magistrum in historia, scilicet Scholastica.
Petrus de Palude.
Plinius.
Prosper.
Rabanus.
Seneca.
Seuerus Sulpicius.
Solinus.
Theophylactus.
Thomas Aquinas.
Thomas Brabantinus, qui est Cantipratanus.
Vincentius Bellouacensis.
Virgilius,
Vita Patrum.

INCI-



INCIPIT PROLOGVS FORMICARII IVXTA ÆDIFICATIONEM FRATRIS IOANNIS NYDER, SACRAE THEOLOGIAE Professoris eximij, qui vitam tempore Concilij Constātiensis Basiliensisque duxit in humanis, feliciter.



PEragrans crebrò partes quasdam præsertim Alemaniæ querelas nonnunquam audiui pigrorum in fide hominum; Cur modo inter Christicolas Deus nullis ecclesiam roboret miraculis, aut sacris pro fide tuenda, & virtutibus ad bene viuendum non illuminet, sicut olim, reuelationibus? Cum perfidis enim Iudæis clamitant: Signa nostra non vidimus, iam non est propheta, & nos non cognoscet amplius. Quod murmur, Christi cooperante gratia, compescere conabor in sequentibus per plura quæ prope & circa nostra tempora, imò nobis dum datū est viuere in humanis, mira, adeo vel miracula ostensa sunt diuinitus, cum reuelationibus varijs & sanctorum hominum virtutibus; quæ constant, aut visus mei, vel auditus propria experientia, aut fide dignorum relatibus, & , vt reor, satis exinde facta sunt credibilia. Verùm quia

Psal. 73.

c. d. à deo.

in morali nunc laboro materia, precor ideo lectorem sequentium ne demonstrationem quærat vbi accommoda sufficit probabilitas. Nec me suspicetur faciliter credere hominibus quibuslibet, præsertim feminis, quas nisi sint probatæ, plurimum semper in talibus delirare suspicor, quanquam sexus non despiciendus sit fragilis, in quo sexu Deus sæpe magna fecit vt confundat fortia mundi secundum Apostolum. Scio Deum iuxta beati Iob vaticinium nostro non egere mendacio ad obsequendum sibi. Scio quòd falsitates detestatur Theologica quàm professus sum scientia. Scio denique fucatam doctrinam procul esse à vita, & quo fungor ordine Prædicatorum & officio. Nec miretur quis si quandoque loca & nomina propria personarum siluero, quia ita fieri debere fraterna caritas imperat, & recta persuadet ratio, vbi aut confessionis sigillum, aut secretum aliquod notabile, aut periculum cenodoxiæ ad aliqua silenda astrinxit, vel periculum aliud corporis aut animæ.

1. Cor. 1.
Iob 13.

Sub vnius igitur typo voluminis libellos quinque colligere studui, & præsens opus quod Formicarius appellatur, moralizatur. In quo *PIGER* discipuli, & *THEOLOGVS* præceptoris habebit officium.

Libellus primus principaliter erit de raris bonorum hominum exemplis & operationibus.

Secundus de verisimilibus bonis reuelationibus.

Tertius de falsis & illusorijs visionibus.

Quartus de virtuosis perfectorum operationibus.

Quintus de maleficis & eorum deceptionibus.

Capitu-

Capitula primi libri.

Capitula secundi libri.

Capitula tertij libri.

puero

Capitula quarti libri.

Capitula quinti libri.

publice

ILLV-

ILLVSTRIVM AVCTORVM DE IOANNE NIDERO TESTIMONIA.

Iohannes Tritthemius de scriptoribus ecclesiast.

IOhannes Nyder, ordinis fratrum Prędicatorum, natione Teutonicus, vir in diuinis scripturis studiosus & eruditus, & in Philosophia scholastica sufficienter doctus, in declamãdis sermonibus ad populum excellentis & præclari ingenij, hæreticæ prauitatis inquisitor, & muliercularum quas maleficas vulgus appellat, acerrimus inuestigator: scripsit aperto sermone nonnulla volumina, quibus nomen suum posteris notificauit. De quibus ista ferũtur.

De contractibus mercatorum lib. j. Cùm mercatorum officium.

De lepra morali lib. j. Olim dum legimus in te.

Dę pręceptis decalogi lib. j. Decalogi legẽ sacratis.

De formicis moraliter lib. v. Peragrans crebro quas.

De cõsolatione timoratæ conscientiæ lib. j. Apud disciplinas reperi.

Speculum perfectionis. lib. j.

Sermones de tempore lib. j. Ecce rex tuus, &c.

Sermones de sanctis lib. j. Venite post me, &c.

Quadragesimale lib. I. Conuertimini ad, &c.

Et alia complura. Claruit temporibus Sigismundi Imperatoris & Conciliorum Constantiensis & Basileensis anno Domini 1430.

Guil-

Guillelmus Eysengrein in catologo testiū veritatis, orthodoxæ matris eccles. Anno D. 1423.

IOannes Nyder, ordinis Prædicatorum, Germanus, hæreticæ prauitatis inquisitor, sacræ paginæ doctor, insigni spectataque virtute præditus vir, ob vitæ continentiam; & sacrarum maximè literarum peritiam toto orbe clarus. De præceptis decalogi librum, Alium de consolatione conscientiæ scripsit. Tum porrò cui speculi perfectionis titulus tribuitur, perfecit. De formicis quoque, vitam considerans Christianam, diuino instructus eloquio, commentarios composuit. Sermones elegantes atque doctissimos posteritatis memoriæ consecrauit.

Sixtus Senensis bibliotheca sancta lib. 4.

IOannes Nyder, ordinis Prædicatorum, natione Theutonicus, in diuinis scripturis studiosus & eruditus, & in theologia scholastica sufficienter doctus, & in declamandis sermonibus populo gratissimus, scripsit rudi, sed aperto sermone in vigesimum caput exodi de decem pręceptis decalogi eruditum & grande volumen, cuius initium est, Decalogi legem sacratissimam. Item in decimum tertium caput Leuitici de lepra morali lib. j. Item in euangelia totius anni sermonum tomos duos. Claruit sub Sigismundo Imp. anno Domini nostri Iesu Christi. 1430.

Antonius Senensis, Lusitanus, in bibliotheca Fratrum Prædicatorum.

FRater Ioannes Nider natione Sueuus, Magister in Theol. eruditissimus, verū fuisse speculum

lum obſeruantię regularis,& ſcientiarum omnium promptuarium vberrimum & nobiliſsimum memoratur. Quantæ autem fuerit & eruditionis & in dicendo vbertatis, quàm eloquens, doctus, & concionator excellens apertè demonſtrat in his quæ tranſmiſit ad poſteros.

Scripſit præceptorium diuinæ legis.

Tractatum de contractibus mercatorum.

Alium de ſecularium religionibus.

Alium de abſtinentia eſus carnium.

Alium de reformatione ſtatus cœnobili.

Conſolatorium timoratæ conſcientiæ.

Sermones Quadrageſimales.

Tract. de vigore conſuetudinis & diſpenſatione canonica.

Tract. de perfecta paupertate.

Alium de lepra morali.

Alium de vera & falſa nobilitate.

Alium de formicarum moralitate dialogum ſtudioſi & pigri.

Speculum perfectionis.


Diſpoſitorium moriendi.

Sermones de tempore & de ſanctis.

Claruit anno 1435.

Ioannes Molanus in bibliotheca Theologica.

IOannes Nyder, ordinis Prædicatorum S. Theologiæ doctor, Prior fuit conuẽtus Baſileenſis, legatus ipſius Concilij ad Bohemos, ſagarum acerrimus perſecutor, obijt Noribergæ in legatione anno Chriſti 1438. Scripſit autem ſermones per annũ, Pariſijs apud Paruum in 8. alibi in folio. De lepra morali. Pariſijs & Louanij. Formicarium apud Marnef in 4. Conſolatorium timoratæ conſcientię in 4. Manuale confeſſorum Pariſijs apud Marnef 1518. in 8. Diſpoſitorium moriendi in 4. In Decalogum Vlmæ in fol. De contractibus mercatorum opuſculum recuſum Coloniæ 1575. cum tractatu Beneuenuti Stracchę.



Liber Primus.

QVOD FORMICARVM PROprietates præ multis animalium conditionibus sunt inspicienda. De sexaginta proprietatibus earum. De triplici laborum differentia. De appetendis miraculis. De eis quibus Eucharistia miraculosè data est, & cur sensibilis aliquando deuotio substrahitur.

CAPITVLVM I.



ADE ad formicam o piger, & considera vias eius, & disce sapientiam, quę cum non habeat ducem ac præceptorem, nec principem, parat æstate cibum sibi, & congregat in messe quod comedat: ait diues ille Salomon primus in hoc Philosophus & Theologus, Prouerb. 6. Quo in loco tria te docet, o piger, attendere principaliter 1. pij pręceptoris mandatum cum præmittit, vade, & disce sapientiam: 2. proprij teporis excessum, vbi subiungit, o piger, 3. gnari animalis exemplum, quando concludit, ad formicam, cum suis proprietatibus, quas si humanis applicaueris moribus, veram reuera disces sapientiam. Eandem enim ob causam olim in principio nostri ordinis noster frater Thomas Brabantinus librum

moralizauit de apibus, eiſdem applicans exempla & miracula ſuo facta tempore, ne talia aboleret obliuio mater ingratitudinis. Non autem, vt reor, leui ex cauſa materiam aſſumpſi de formicis potius quàm de aliis minutis animalibus, quia inter talia omnia nihil reperi natura ſagacius, & morali diſciplinæ hominis accommodatius. Qua in re nedum ſapientiſsimi Salomonis, verùm etiam per eum loquentis Spiritus Sancti autoritatem imitor, dicentis prouerb. 30. Quatuor ſunt minima terræ, & ipſa ſunt ſapientiora ſapientibus: formicæ populus infirmus, qui quidem præparãt in meſſe cibum ſibi, & de lepuſculo, locuſta & ſtellione poſterius per ordinem loquitur. Formicarum præterea ex inſpectione prouida, olim Malchus, qui captiuus dicitur monachus, ſuæ compunctionis hauſiſſe legitur documenta ſalubria, vt beatus Hieronymus in eiuſdem ſcribit legenda: Cogitans, inquit, B. Malchus dum captus in eremo pecudes paſcerem, aſpicio formicarum anguſtum gregem, vehere videns onera maiora quàm corpora: aliȩ herbarum quȩdam ſemina forcipe oris trahebant: aliæ egerebant humum de foueis, & aquarum meatus aggeribus excludebant: illæ venturæ hiemis memores, ne madefacta humus in herbam horrea verteret, inlata ſemina præcidebant: hæ luctu celebri corpora defuncta portabant: quodque magis mirum eſſet, in tanto agmine egredientes non obſtabant intrantibus; quin potius ſi quam ſub faſce vidiſſent & onere cecidiſſe, ſuppoſitis humeris adiuuabant. Quid multa? pulchrum nempe mihi, & non modici ponderis ſpectaculum dies illa prȩbuit: vnde ipſe namque recordatus ipſius ſapientiſsimi Salomonis ad formicæ ſolertiam nos mittentis, & pigras

Hierony. to. I. in fine.

Prouer. 6.

pigras mentes ſub tali exemplo ſuſcitantis, cæpi tædere captiuitatis, & monaſterij cellulam quærere, ac formicarum illarum ſimilitudinem deſiderare, vbi laborant in medium, & cùm nihil cuiuſquam proprium ſit, omnium omnia ſunt. Cum igitur inter parua admiranda animalia, non excipiendo breuem in volatibus apem, nullum formica reperiatur ſagacius, ſimiliter quoque morali diſciplinæ hominis accommodatius: idcirco iuxta generalem præmiſſam traditionem, eius proprietates in ſequentibus huius opuſculi libris ac tractatibus recitabo; nihil tamen de talibus formicarum proprietatibus ſcribendo, niſi quod beatus Iſidorus, Plinius, Solinus, & ipſe Ariſtoteles tradunt, ſimiliter quoque & Dominus Albertus Magnus in ſuis de animalibus libris, aut quod ego propria vidi experientia. Eſt itaque inter formicarum proprietates in genere iuxta comparationis gradus triplices, quintuplex differentia, ſecundum quas quinque erunt libelli ad mores hominum bonos vel malos applicabiles. *Eccl. 11.*

Prima differentia ex operatione formicarum ſumitur, quia quędam mortuos ſepelire videntur: aliæ in alijs laboribus lucroſis ſedulò occupantur: aliæ verò ſtant in vijs publicis, iter quodámodo oſtendere conantes, ne erret aliqua.

Secunda differentia ex motu ſumitur, quia quædam repunt tantummodo: aliæ alas acquirunt: aliæ volant.

Tertia differentia in quantitate conſideratur, quia quædam ſunt paruæ, aliæ maiores, aliæ maximæ.

Quarta differentia in proceſſu ætatis videtur, cum quædam ſint in ouis, aliæ vermiculi nati nouiter, aliæ autem quæ iam poſſunt generare.

Quinta differentia eſt in colore, quia quædam

 nigræ,

nigræ, aliæ rubeæ, aliæ formæ & qualitatis alterterius, vt in Æthiopia. *PIGER*. Quia me formicarum propria intueri iubes, & ibi diſcere ſapientiam, vellem vt earum conditiones ſingulas exprimeres, vt his quaſi pro exemplari habitis, facilius deinceps & delectabilius mores valeamus * diligere. *THEOLOGVS*. Vt noueris ergo (prout ex præfatorum Doctorum dictis elici poteſt authenticis) conditiones formicarum annectā ſexagenas numero, cuique libello tradendo duodenarium. *Sub primo ſit hæc in ordine.*

** f. rectius deligere vel dirigere.*

60. proprietates formicarum pro materia totius operis.

1. In operatione ſua formicæ differunt tripliciter, vt præmiſſum eſt.

2. Hæ quæ ſunt nigræ, paruæ ſunt mole corporis, ſed virtute excellunt maiora animalia.

3. Quamuis viuant in grege, non tamen Regē habent ducem, nec prçceptorem.

4. Ciuilitas earum eſt differens multum ab apum politia, dum iſtæ regnum habeant Monarchicum, non autem illæ.

5. Etſi monarcha careant, tamen ſibi mutuo tranquilliter obtemperant.

6. De ſua Republica ineſt eis quçdam ratio, cura, & memoria.

7. Domum ſimul ſiue ciuitatem conſtruunt, quam diſtinctam habitaculis diuerſis, plantarum tegunt particulis.

8. In ſuis domibus vias rectas & occultas fabricant, quibus ſatis occultè ſæpe inhabitant.

9. Tam mares quam feminæ ad laborem egrediuntur vniuerſæ per turmas.

10. Vias ſuas multum ordinatè obſeruāt, ne illæ quæ exeunt, reintrare volētes, obuiādo præpediāt.

11. Extra domum via ſatis recta & aperta ambulant, vt neceſſaria acquirant paſcua.

12. Non

12. Non more apum sibi cibos faciunt, sed à Deo & natura donatos recondunt.

Pro libello secundo sit

1. Formicarum differentia in motu trina esse dignoscitur, vt præmisi.

2. Prognosticant & præsentiunt frigus & pluuias & tempestates aërum.

3. Geminos habent oculos quibus corpore reguntur.

4. Amputatis oculis in vijs patentibus errant.

5. Cæcitatem incurrens videntem fortissimè amplectitur, nec dimittit nisi ad casam reducta.

6. Via vna egrediuntur à suis domibus, quæ versus finem, propter quęrenda pascua plurificari videtur.

7. Per vnam lineam satis regiā ad nidū redeūt, nec in via vna aliā impedit sed aliquādo sibi osculo vel ore pacis fœdera porrigere videntur mutuo.

8. Omnes vnum locum obseruant in quem thesauros ponunt & recondunt.

9. Nidus earum acutum quemdam & ponticum, atque odorem emittit delectabilem.

10. Fœtida quędā vt sulphur, origanum & cornu adustum ceruinum adeo odiunt, vt si talium super earum domos spargantur fumigationes aut cineres, de loco migrent. (sunt.

11. Omnes circa vētrē strictæ, paruę, & quasi tinctę

12. Et vltima formicarum differentia est: Quod in senio tantùm, more auium, assumptis alis volāt.

Pro libello tertio sit conditio formicæ

1. In quantitate earum triplex (vt in præsenti non longè antea tetigi) reperitur differentia.

2. Quando in via visu priuantur vix aut nullatenus ad domum reuerti possunt.

3. Ab vrsis deuorātur, quos sanāt si ęgrotāt vnde ab

ſagaciſsimè quęruntur.

4. Philomenæ formicas & earum oua auidè quærunt & comedunt, quia ex his conualeſcunt ægrotæ,& ſonoræ efficiuntur.

5. Formicaleon cibum formicarum rapit & edit in hyeme, quia in æſtate improuidus nihil ſibi de cibo reſeruat.

6. Quamuis nidus formicarum odore bono redoleat, tamen ſi ſuper eo ligna noua & tenera, aut ex his lagena terantur duriter & fricentur, fœtorem quendam notabilẽ cõtrahere experiuntur.

7. Quando lucri cauſa incautæ extra domos ambulant, ſæpe à formicaleone inſidiosè necantur.

8. Formicæ vbi ſunt nociuæ faciliter fugantur ſi ibi orbiculariter cineres ſpargantur.

9. Formicæ dicuntur eſſe in Æthiopia grandes adeo, vt canibus ſimilentur.

10. Aurum tales pedibus ex arena leguntur fodere.

11. Eędem à ſe effoſſum aurum, quod eis parum aut nihil prodeſt, cuſtodire diligentius dicuntur.

12. Homines qui eis aurum furtiuè ſubtrahunt euigilantes ad necem perſequuntur.

Pro libello quarto.

1. *eſt conditio*: Quod in ætatis proceſſu gradu trino potiuntur prætacto.

2. Oua formicarum colore ſunt alba: ſed quãtitate parua & rotonda, oblonga,& columnalia.

3. Oua earum ſunt odorifera, & infirmis quibuſdam animalibus medicina.

4. Incrementum oua earum ſuſcipiunt in loco calido, & verſus Solem, vbi poſita à parentibus primò in vermes albos, & exinde in formicam

complen-

complentur.

5. Turbata domo oua ſtudioſè ſolent tollere, & ad nidum reportare.

6. Cibus formicarum ſunt fructus & herbarum ſucci, quarum etiam partes ſeparant, & cum eis ad nidum reuertuntur.

7. Formicis præ alijs eſt proprium quòd in maiore ſua ætate virtute creſcunt.

8. Grana frumenti eligunt; ſed hordeum modicum curant.

9. Grana deſiccãt cum humida ſint & cõpluta.

10. Grana ſollerter colligunt & decorticant ne germinent, & ſecretò recondunt.

11. Arte multiplici onera reddunt portabiliora.

12. Hyeme quieſcunt, & cibo fruuntur æſtate collecto.

Pro libello vltimo.

1. In colore denique prima eſt formicarum differentia.

2. Quæ domos ędificãt extra ſolitudinem prope homines, deuaſtationes crebrò patiuntur.

3. Frigus graue ouis earum ſuperueniens prolem impedit aut retardat.

4. Alis carentes, vel nimium progredientes in publicum ab alijs beſtijs faciliter necantur.

5. Viſcoſis humoribus, & tempeſtate ab inceſſu & à labore prępediuntur.

6. Quæ ſibi à vino, vel à vippa non cauent ſubitò inebriantur & grauiter.

7. Comeſtæ ab hominibus, eis nocent, non bene omnibus, ſed quibuſdam proficiunt.

8. Formicarum cibus nonnunquam ſunt cadara animalium mortuorum.

9. Se lædentes homines humore acuto pũgũt.

10. Manus inquinãt hominis, si multũ tãguntur.

11. Radices lædunt arborum vbi iuxta eas nidificare sinuntur.

12. Ad summitates scandunt arborum, & ibi earumdem arborum flores & germina lædunt & rodunt, cauantq́ue fructus tenerrimos.

Vides igitur piger quot imitabilium proprietatum diuersitates æterna sapientia in minuto animali locauerit? *PIG.* Video, & fortassis inuideo, qui me iam vice tertia, non proprio, sed nomine probroso pigrum vocitas: quem, à tempore quo religionem approbatam professus sum, scis acediam odisse, & si non totã euaserim. Nã auctores alij qui suis cum discipulis de exemplis habuere dialogum, honesto eos allocuti sunt nomine proprio aut appellatiuo, tu verò inchoas à conuicio. *THEOL.* Te pigri hominis vitio irretitum esse non re ipsa autumo: sed solo nomine mutuæ collationis gratia. Nulli scias nomen qualecunque oberit, si designati vitij actu caruerit. Quid enim obfuit Thadæo Apostolo, quod cum proditore Christi Iuda par nomen habuit? Vbi de morum in aliquo constat differentia, parum refert quid sit de nominis conuenientia. Sicuti namque solum vocabulum nulli hominum bonitatem tribuit: ita nec cuicũque nota vitiosi nominis ipsum virtutis donũ adimit. Ni fallar, mens ipsa fuit Chrysostomi cum ait in quadã sentẽtia: Si diaboli nomen aureis litteris scripseris, malignitate tamẽ nõ carebit: & si nomen Dei tetris nonnullis depinxeris characteribus, nihil diuinę bonitati nocebit. Vocũ itaque pruriẽtia vocabula nõ curem⁹ magnopere, sed virtutes prout cœpimus, de formicę proprietatib⁹ satagamus proficere. *PIG.* Trãquillatus à murmure, video esse vt asseris, vnde quæso, cœpta morali

doctrina,

doctrina, eandem velis deinceps prosequi. *THEO.* Prima formicarũ prærecitata est differẽtia & proprietas. *Quòd in operationibus suis formicæ plurimum differunt, quia quædam mortuos sepeliunt: aliæ lucrosis occupantur sæpe laboribus: aliæq; stare videntur in vijs publicis, iter quodammodo ostendere molientes alijs, ne deuient.* Per quæ datur intelligi, quòd nulli homini, præsertim minus Ecclesiastico, licet vacare acediæ vitio, sed cunctis studendum est vtili aliquo semper occupari exercitio. Sunt enim in cœtu ipsius Ecclesiæ ad instar formicarum exercitia varia, & tres operationum differentiæ plurimũ distantes apud Deum in merito. Quidam sunt in mundo detenti licitis, sed circa corporalia pressi laboribus, puta mechanici, pro sustẽtatione sua & suorum necessariorum, & maximè hi qui in operationibus misericordiæ corporalibus proximo obsequuntur, quibus tamen non semper debent insistere, sed ijsdem interdũ omissis vacare melioribus: In sæculo enim vel in infirmitate existẽtes velut mortui sunt, vel in morte quadam constituti, iuxta illud cantici Ecclesiæ: Media vita in morte sumus: Suprà enim tota vita est in cœlo, infrà tota mors est in inferno, hîc autẽ in media vita sumus, quæ quædam mors. Hinc est quod ad meliorem vitã Christus quendã vocare volens sibi dixit Matth. 8. sequere me, & permitte mortuos sepelire mortuos suos: Vnde Bernardus 19. Notãdum est in hac sententia, quòd aliquando minora bona prętermittenda sunt propter vtilitatem maiorum. Sunt alij lucrosis insudantes laboribus: sed in spiritualibus bonis, videlicet religiosi & clerici, qui per orationes & laudes Canonicas à suis & aliorũ animabus nocte dieq; hostes fugãt inuisibiles, de quibus ait Apostolus 1. Timoth. 5. Qui bene præsunt presby-

Tria hominum genera. 1.

2.

Presbyteri duplici honore digni habeantur, remuneratione scilicet diuina pariter & humana, vt
Gloss. ord. 3. glossa insinuat. Sunt prӕterea alij, qui in plebeorum oculis tota die stare otiosi videntur, eò quòd corporalibus se non inuoluunt exercitijs, qui tamē in via morum veri duces sunt hominum simplicium, eis methodum ostendentes mandatorum Dei: quemadmodum sunt boni Doctores & Prȩlati Ecclesiȩ, de quibus ad Ephes. 4. dicit Apostolus: Ipse dedit, quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Euangelistas, alios autem pastores & doctores ad consummationem sanctorum in opus ministerij in ædificationem corporis Christi. Primi ergo boni, secundi meliores, & tertij optimi formicarum imitantur opera. *PIG.* Vellem quòd singula in sequentibus capitulis probares per moderna aliqua miracula, sicuti ipsa iam roborasti sacræ scripturæ autoritatibus, & formicarum proprietatibus.

THEOL. Si sacrȩ scripturȩ autoritas, & veterum tibi miracula ad credendum non sufficiunt, Iudaicæ perfidiæ videris esse proximus. Iudæi (in-
1. Cor. 1. quit Apostolus) signa quærunt sicut Græci sapiētiam, & Saluator Math. 7. multi dicent mihi in illa die, domine, domine, nonne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis, quia nunquā
Greg. lib. 20. mor. cap. 8. alias. 9. noui vos: discedite à me qui operamini iniquitatem. Super quo Beatus Gregorius 20. libro moralium: Hac sententia datur intelligi, quod in hominibus charitas, humilitas, non autem debeant, virtutum signa venerari: vnde nunc sancta Ecclesia etiamsi qua sunt hȩreticorum miracula despicit, quia probatio quidem sanctitatis non est signa facere,

rere, quia hæc ſanctitatis ſpecimen non eſſe cog- cognoſcit: ſed proximum vt ſe diligere, de Deo vera, de proximo meliora quàm de ſeipſo ſentire. Et beatus Auguſt. libro 83.q. dicit: Intelligimus quædam miracula etiam ſceleratos homines facere, qualia ſancti facere non poſſunt. Et ſtatim cauſam huius adiungit idem, dicens: Quòd non ideo potioris loci apud Deum arbitrandi ſunt eſſe ſcelerati quàm iuſti: non enim acceptiores erant apud Deum Magi Pharaonis quàm populus Iſrael, quia non poterat ille populus facere quod illi faciebãt, quamuis Moyſes in virtute Dei maiora potuerit. Vnde reuera mali non poſſent illa facere niſi permiſsi: boni autem, ſi daretur eis a Domino, poſſent & illa, & maiora facere: non tamen ſine recta ordinatione domini eſt, quòd non datur hæc poteſtas ſicut & malis. Vnde ſubdens cauſam quare non detur eis, dicit: Ideo non omnibus ſanctis iſta tribuuntur ne pernicioſiſsimo errore decipiantur infirmi, exiſtimantes in talibus factis eſſe maiora dona quàm in operibus iuſtitiæ, quibus æterna vita cõparatur. Propterea Dominus prohibet hinc gaudere diſcipulos cum ait: Nolite in hoc gaudere, quoniam ſpiritus vobis ſubiecti ſunt, ſed gaudete quoniã nomina veſtra ſcripta sũt in cęlis. Lucę 10.

Aug lib. 83. q. 79.

PIG. Miracula adduci non deſidero vt veritati ipſe credam fidei, & diſciplinis moralibus, ſed propter puſillos fidei, quorum multitudo eſt non minima, hoc exigo: qui nouis a Deo donatis prodigijs mouentur ad virtutes feruentius, referunt exinde viri ſolidi Deo grates amplius, & vniuntur charitate * perfecta, ob id ſuo fini altiſsimo arctius inhærentes.

c. d. per facta.

THEOL. Has ob cauſas exemplum, imo miraculum in noſtris factum temporibus refero de laboran-

laborantibus in seculo licitè. Fuit vir quidam plebeus laborator, simplicianus mundo, sed Deo reuera prudentior in ciuitate Nurembergensi Bambergensis diœcesis meo tempore ciuis, modo non nomen proprium: sed vitæ fama bona occurrit, filius confessionis hic extitit prędecessoris mei in prioratu Nurembergensi fratris Eberhardi videlicet, viri vt adiacens mihi testari potest patris fide digni valde. Huius enim relatione didici quæ sequũtur. Hic igitur simplicianus temporali quidē substantia non mendicus fuit, sed rebus viuebat secundum seculum mediocriter, ad diuina verò fuit deuotus plurimum, nam operibus misericordiæ de labore & rebus proprijs pauperibus erogabat largiter, peregrinationibus longis aliquoties corpus macerabat acriter, & in meditatione dominicæ passionis se exercere solebat multipliciter: & quia ex his pijs operationibus ad Deũ dietim eius anim⁹ cepit inardescere, idcirco desideriũ aliquoties in ãno sumēdi diuinissimũ Eucharistiæ Sacramētum in eo non destitit crescere. Verùm in pręfata ciuitate masculinus sexus rarius quàm femineus ad Eucharistię Sacramētum solet accedere, quod isti etiam licentius plerumque plebani, quàm illi solent tradere. Formidabat propterea Dei famulus Sacramentum, quod cordis æstu affectabat, contra morem crebrius petere, ne singularis videretur, iuxta illud memorandum beati Bernardi: Qui facit quod nemo, mirantur omnes. Excogitabatque tandem diuino nutu modum aliquem quo mediante acquireret per æquipollentiam, quod sumere nequibat per Sacramenti præsentiam. Sciebat enim quòd semper Dei misericordia voluntatem bonam pro facto acceptat, quando propria negligentia opus extrinsecum nō vetat.

Exemplũ diuinitus tradita Euchariſtia.

Bernard.

vetat. Fecit igitur quantum in se fuit quidquid potuit, se ad Sacramentum Eucharistiæ pręparando die pręsertim & hora qua Eucharistiā habere verisimiliter à sacerdote proprio non valuit. Nam primum si opportunitas arriserat, Sacramentaliter præconfessus est, cibum præcedenti die sumpsit moderatius vice ieiunij, deinde deuotione vera per meditationes stans in ara cordis coram Dei viuentis oculis mactare se & actuare solebat solicitius quo potuit, & tandem infra missę officium, & potissimè communionis hora, omni quo desiderio poterat à diuina petijt clementia, vt se tanti Sacramenti participem efficeret, & bonam voluntatem pro facto acceptaret. In cuius euidentiam, vt corpus subijceret spiritui, & vt diuina bonitas bonæ voluntatis munus acceptaret pro facto, idcirco cùm sacerdos ore proprio Sacramentum sub specie panis solebat accipere, iste Dei famulus, tonso pectore, tunc etiam labia sua aperuit. Et ecce mira res. Nam diuino (vt piè credi potest) miraculo accidit, vt quando ita se disposuit, illico linguæ eius hostiæ consecratę quædam particula adhęrere cœpit deuotè, dulciter, & sensibiliter, adeo vt necessarium videretur ei, aut istam quam sensit particulam de ore quod verebatur ponere, aut, quod faciebat, perceptam deglutire. de quo cùm miraretur sæpius, & tādem dubitaret, an illud adueniret diuinitus, quadam die cùm diuina audisset & percepisset vt prętactū est, finito missæ officio certiorari volens digitum ori imposuit, linguā tangere voluit, sed digito alba quædam particula, vt visus ostēdit, inhęsit sensibiliter, quā ori reimpositā sumpsit vt antea: sed deinceps per decursum suæ vitæ nunquā simile meruit percipere, licet à bonis operibus non minùs quàm prius desisteret.

PIG.

PIG. Scire vellem, cur hoc donum Deus suo famulo voluit subtrahere, qui nihil illiciti operis videbatur in tactu facere.

THEOL. Vt satis reor, nihil boni gratuiti & virtuosi huic diuina clementia abstulit deinceps, sed solum sentimētum quoddam ademit corporeum, in quo paruum, vel quidem nullum consistit, secundum nostram sophiam atque doctrinam, meritum; quod potius nōnunquam imperfectorum est præmium, ne in via deficiant, quàm sit meritum. Vnde etiam fortioribus sępe in Dei vinea laborantibus talia subtrahuntur sentimenta dulcia, quę opus est vt aliquando dentur infirmioribus, vt docet beatus Bernardus in epistola ad fratres de monte Dei. Et fortasſis etiam delicto penitus non caruit, post multas boni oraculi visas circumstantias, sicut Zacharias, ambigere, vbi dubitare non licuit. *Luc. 1.*

Nigredo quid significet. De quibusdam virginibus à Christo desponsatis, & quare Deus simplicibus plus solet dare.

CAPIT. II.

PRocedo ad formicarum conditionem aliam, quæ est: *Quod hæ quæ nigræ sunt paruæ quidem sunt mole corporis, sed virtute & animi industria excellunt maiora animalia.* Per quę datur intelligi, quòd quamuis quidam Dei famuli sint in exteriori apparentia paruuli & humiles, reuera tamen coram Deo & Dei Angelis, immo in Dei Ecclesia sanctitate & iustitia præcellunt ceteros qui in hominum aspectu sępenumero magni esse videntur: & meritò. Per coloris quippe nigredinem humilitatem,

tatem, & per paruitatem corporis simplicitatem debere intelligi nemo ignorat qui sacram scripturam didicit. Hinc est quod comæ sponsi Canticor. v. nigræ esse describuntur: id est mundo despicabiles, vt glossa dicit, & Math. 18. ipse humanatus quæsiuit, & respondit, dicens: Quis putas maior est in regno cœlorum? Et aduocans Iesus paruulũ statuit eum in medio eorum, dicẽs: Amen dico vobis, nisi cõuersi fueritis & efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum cælorum. Quicunque ergo humiliauerit se sicut paruulus, hic est maior in regno cœlorum. Sæpe siquidem in pauperibus & simplicibus ac à mundo abiectis hominibus maiora vidimus virtutum, & nonnunquam miraculorum diuinorum indicia quàm in his qui alios in dignitatibus vel scientijs præire videntur. Deridetur, inquit beatus Iob ibidem cap. 12. iusti simplicitas, quæ est lampas contempta apud cogitationes diuitum, sed parata ad tempus constitutum. Diuites enim (vt super eodem dicit beatus Gregorius) vitam simplicium in hoc mundo humilem abiectámque despiciunt. Si tamẽ ante occulti iudicis oculos emicãt: honorari metuũt, despici non refugiunt, corpus continentia afficiũt, & sola in animo dilectione pinguescunt.

Gloss. ord.

Nota simplicium apud Deũ excellentiam.

Gregor. lib. 10. moral. c. 28. & 29. al. 17.

PIG. Poterisne de similibus talibus exemplum nostro factum tempore pro præsenti recolere?

THEOL. Possum, & spero multum accommodé nostro proposito. Viuebat satis nouiter soror quędam in monasterio quod *Tues* dicitur Constãtiensis diœcesis, simplex & recta, ac Deum timẽs, zelatrixque suæ religionis inter multitudinem consororum satis imperfectarum, vt notum est locum noscẽtibus. Hæc sacristiæ pręerat & * sacrarum vestium pro Ecclesię officio: cui ad honorem sancto-

pro sacris vestibus.

ſanctorum qui ſunt in patria multo tempore deuotè obſecuta fuerat. Intrauit autem, iam iſta virgine ſatis prouecta exiſtente, morbus epidimiæ peſtis monaſterium, & ſacriſtanam iſtã cum multis ægrotare fecit ſanctimonialibus. Cumque deuotè ſumptis eccleſiaſticis ſacramẽtis omnibus ab iſta ſancta virgine, duæ ſorores iam prope agoniã conſtituerentur, iacentes in alia camera diſtanti, quę infirmitatem ignorabant eiuſdem virginis, cœperunt audire & videre cœleſtem harmoniam & angelorum præſentiam circa locum ſanctę virginis, dixeruntque ſibi ſeruientibus. Num auditis & videtis quid cęleſtes exercitus canunt & faciunt circa ſororem noſtram quam ægrotare non nouimus, ſed feliciter iam migrare videmus? Sicque anima illius beatæ virginis in magna alacritate corpuſculum reliquit propriũ, & in pace requieuit, magna cum admiratione ſororum. Aliud exemplum. Præterea reuerẽdo patre noſtro prouinciali referente audiui: quod nuper prædones & raptores quidam vias diuerſas obſeruabant anne aliquem virum capere valerent à quo per vim lucrum temporalis emolimenti conquirerent. Fuit autem pro tunc in ciuitacula imperiali parua Sueuiæ, quæ Alen dicitur, ciuis quidam ſimplex & rectus, qui in ſuis negotijs itinerans in manus prædictorum raptorum venit: à quo cum quærerent vnde eſſet? Reſpondit, quod de Alen, cui illi: Captus ergo es. At ille reſpondit. Ita ſit in nomine Ieſu. Quo audito vnus prædonum ſubintulit, velut alter Cayphas: hanc, inquit, captiuitatem quo ad nos nunquam bona ſequetur fortuna. Et ita, vt creditur, diuinitus in virtute nominis Ieſu venit. Nam quamuis virum cautè multum verſus captiuitatẽ ducerent, tamẽ miris modis manus eorum euaſit,

In morte virginis religioſæ auditi sũt cantus angelici.

Inuocato nomine Ieſu liberatur vir à prædonibus.

euasit, & ad propria inuitis raptoribus liber & saluus rebus & corpore rediJt, qui nomen Iesu, id est Saluatoris in sua necessitate fideliter inuocauit, simpliciter, & veraciter.

Est etiam hodie in quodam rure propinquo satis ciuitati Nurembergensi virgo quædam ex pauperculis progenita parentibus. Hæc cum esset iunior, (modo enim est grandæua) venusta fuit corpore, & recta animo ac simplicissima. *Virgo sancta accipit à Christo annulum desponsationis.*

Nam circa primos suæ pubertatis annos Christo suam virginitatem dedicare studuit, leuitates iuueniles fugere, & æstus omnes sui cordis in Christum Dei filium, velut in sponsum suum, cœpit dirigere. Tentauit tunc ex aduerso, & multis annis postmodum, dæmonis nequitia, contra hanc pugilem se erigere, & nocturno tẽpore, nunc strepitibus horribilibus, nunc verò inopinatis parietum concussionibus, & tandem domus quam inhabitabat ruina fantastica à sanctis, quas faciebat, orationibus sanctam virginem terrere conatus est, & à cepto proposito deijcere. Sed mentita est iniquitas sibi. Nam virgo verbis sacræ scripturæ, & confessorum prudentum consilijs, proprijsque confortata orationibus, mediante diuina gratia, non modo hostis conatus paruipendit: sed, diuina ex prouidentia, in ea cœpit his ventorum tentationibus ignis diuini amoris circa suum sponsum inflammari amplius. *Psal. 26.*

Affectus enim eo tempore amoris cuiusdam ad Christi desponsationem maximus cor angebat virginis, nullo quidem fœdo aut terreno permixtus amore: sed gestiebat quatenus aliqua specificaretur certitudine se à Christo, velut sponsam, diligi, de quo

in prædicationibus ad virgines audierat deuotas exclamationes sæpius fieri: oratióque eius ad hoc tenebat desiderium, non absolutè, sed conditionaliter: videlicet, si id Dei voluntati foret beneplacitum. Cum autem in tali desiderio multis perseuerasset mensibus, quadam die in horto, de cuius opere victitabat, desiderium pauperis exaudiuit Dominus. Nam cum à iuuentute rerum careret affluentia, hortum sibi pro victu proprium coluit: & vaccam emit vnicam, cuius lac & horti herbas varias frequenter ciuitati intulit, & his venditis victum acquisiuit tenuem. Vix vllum sermonem factum ad populum in eadem ciuitate solebat negligere, nec differre * infra quindenam aut circiter vt reciperet diuinissimum Eucharistiæ sacramentum, præmissa prius sacramentali confessione. Igitur dum in horto post diuturna petitæ arræ vota laboraret more solito, subitò in hanc verborum prorupit sententiam: O vtinam fili Dei signum aliquod tuæ desponsationis ego paupercula, & indigna mererer accipere in tali huius horti locello, quo nunc oculis corporeis visum dirigo. Et ecce, in eodem momento & locello vidit tres aut duos circiter violarum amœnos flosculos. Erat autem pro tunc tempus autumnale & circa festum beati Martini, quando in nostris partibus, nedum omnium florum emarcescere solet amœnitas, verumetiam tunc glacierum & niuium gelicidia omnium fructuum & foliorum vires ab arboribus consueuerunt decerpere, & enecare herbas in quibuslibet hortulis. Gauisa est itaque Christi virgo, & ex admiratione territa de tam insolito spectaculo, violas manu collegit propria, & conseruauit sollicitè, vt exinde amor & spes arctius ad suum spôsum gratè succrescerent. Verum quia

Psal. 9.

* ultra.

quia poſtmodum ex ſimplicitate nimia tentatio quędam & ambiguitas in eam incidit, anne hoc ſignum ſufficiens eſſet arræ illius quam tam ſedulè à Chriſto popoſcerat, ideo preces nouas, & ſuſpiria acriora prioribus ſuo ſpōſo cœpit porrigere, vt certificaretur amplius. Cúmque in ſequenti anno iterum in horto ſuo laboraret quodam die, & ibidem in locum certum intuitum dirigeret, optando ex imo cordis deſiderio, quatenus ibi reperiret, in ſignum Chriſtiferæ deſponſationis, annulum aliquem, ſi diuinæ voluntatis id eſſet. Et en alterá vice non ſpreuit Deus preces humilis Pſa. 101. virginis: ſed reperit materialem quendam annulum, quem vidi poſtmodum: erat autem coloris albi, de minera qua neſcio, argento mundo videbatur ſimilior, & in clauſurā vbi iungebatur in circulum, duæ manus artificioſè inſculptæ extiterunt, cancellatim ſibi mutuo fidem porrigentes & ſeſe arctè conſtringentes. Fuitque locus inuentionis huius muneris tam inopinatus humanæ cōiecturationi, vt omnino deſertus ab alijs videretur hominibus. Hunc annulum virgo gratiſsime ſeruauit in poſterum, & altiſsimo ſuo ſponſo, deinceps vt antea, in labore manuum ſuarum, viuere ſtuduit quàm antea lætius. Addidit etiam is quem diligebat vice tertia in quadam viſione nocturna ſe virgini purę in loco quodam (vt videbatur) mūdo, in ea forma oſtendere, & ad amplexandum porrigere in qua ſolet pro fidelium libris ſimplicium depingi paruulus virginis & matris, tractatus manibus tempore pueritiæ. Vides igitur in prima virgine, poſt hanc vitam, quia erat humilis, exaltatam, & aliam ſimplicem à Chriſto conſolatam in præſenti nequam ſæculo.

PIG. Miror cur in ea re hanc puellā commendas

in qua potius Deum tentasse videtur, quàm donum aliquod meruisse? Per certitudinem enim diuinum amorem sibi inexistentem agnoscere, & huius notitiam per signum à Deo poscere, vbi per solam fidem ambulare iubet sacra scriptura, Dei tentatio esse videtur: Sunt inquit Ecclesiastes 9. Iusti atque sapientes, & opera eorum in manu Dei: & tamen nescit homo, vtrum amore an odio dignus sit. *THEOL.* Non ex motiuis minimis præfatam laudaui virginem, cuius vitam simplicitate columbina plenam, & virtutibus refertam esse sæpe ipse præsens, & ab alijs fide dignis didici. Noscere enim debes, quod in simplicitate cordis Deum purè quærentibus eius clementiam, quosdam actus, aut ad nullum, aut ad modicum vitium imputat, quales perpetratos ab alijs, naturali, vel gratuita industria præditis, sæpe pro culpa accusat. Ignorantia siquidem eorum quę non sunt de necessitate salutis, præsertim in simplicibus hominibus, actus quosdam excusat in toto, vel in tanto. Qualis ignorantia, vt constat, in simplicibus abundat, & aliquando ibi in eis meretur gratiam, quando in sagacioribus factum incusat, & auget peccatum. Legis propterea in vitas patrum, Paulum simplicissimum virum in naturalibus, per minas quodammodo Deo propositas, quibus se asseruit nolle cibum sumere, nisi dæmon ab obsesso prius recederet corpore, illic ad votum exauditum esse, vbi alius fortassis, Deum tentando, iram eius meruisset. Appropinquât propterea tales Deo seruientes in simplicitate animi, puerili innocentiæ, cui nec Ecclesia graues pœnas infligit pro actibus, quos in adultis punit grauiter. Quid ergo mirum, si Deus in infinitum, misericors, cum simplici animo ★ quærentes exaudit

Facta quædam in simplicibus excusantur quæ non in alijs.

Vitæ patrū par. 1

Extra de delictis puerorum per totum

udit priuilegialiter. Memoretis denique illius egorianæ sententiæ qua ait: quod miracula non it imitanda, sed miranda. Et rursum istius regu- iuridicæ, quod priuilegia paucorum non faint legem communem. In benignissimo igitur omino confido, quod simplicitas & feruor dini amoris, quem ad Christum humiliter habuiscreditur, hanc virginem excusant à tentationis inæ vitio, & insuper impetrare meruit, Dei fi- quodammodo subarrari annulo, quam arram ita postmodum in simplicissima sequebatur imilitate, charitate, & patientia deuota; vt ultis palam fieret, quàm coram Deo morales rmicæ sint magnæ quantitate virtutis, quæ men in mundi facie paruæ videntur, imbecils, & modicæ.

reft. pro quarentibus.

Ex lege 2. C. de leg.

Quod in paruis animalibus mirabilior Dei lucet sapientia. De reformatis miraculosè monasterijs, & quomodo saluari possunt qui in deformatis viuunt monasterijs.

CAPIT. III.

Q*Vamuis formicæ viuant in grege, non tamen regem habent, ducem, aut præceptorem*, vt dit Salomon prudentissimus in prouerbijs. In uo mirabilius æterna sapientia operatur in foricis, quàm in gruibus, in halecibus, in apibus, vel tiam in hominibus: in quibus tamen differentijs nimalium semper aliquē pręceptorē, ducem, aut gē posuit de propria specie. Nec ita intelligenda st Salomonis præfata sententia, vt penitus nulam formica habeat ducem ac pręceptorem, nec

Pro 6.

B 3 princi-



principem: sed nullum de propria specie, aut de suo genere, quemadmodum apes & quædam alia habent animalia. Nam à supremi totius vniuersi principis regimine & ducatu nihil secludi potest in rebus creatis, vt de his referta est sacra pagina: &, vt ait mundi Philosophus Aristoteles. Ab hoc ente, scilicet Deo, cœlũ dependet, & tota eius natura. Cui concordat sui commentatoris, hæc, qua ait, autoritas: Natura rectè & ordinatè agit tanquam directa & rememorata ab agente infallibili. Agens autem infallibile est solus Deus antonomaticè. Poterit itaque antefata formicarum conditio quibusdam sanctis hominibus competere in Dei Ecclesia, præsertim in monasterijs degẽtibus, vbi nec viua regula boni prælati, nec scripta seruatur norma à multitudine. Vbi tamen nonnunquam boni homines reperiuntur vtriusque sexus, quasi sine rege sui ordinis. Hi enim quãuis viuant in grege, non tamen regem habent ducem, aut præceptorem, solo Christo dempto, qui est Rex Regum, & Dominus Dominantium: cuius ad instinctum gubernantur in arduis, licet in alijs communibus à superioribus regantur. Sicuti in multis vidimus, heu, solo nomine, claustris & monasterijs deformatis nimium, quæ reuera aperturæ sũt, & perditorum hominum potius aliquando latibula, quàm sint virtutum tabernacula, & dissolutionum veriùs sunt tuguria, quàm Dei templi pastoforia. In quibus tamen aliquoties reperiuntur aliqui qui recto Spiritu Dei solius, illud beati Iob 30. ad litteram dicere possent: Consurgens in turba clamabam: Frater fui draconum & socius struthionum. De quo & illud Deut. 32. aptè potest intelligi, quod de electo Israel dicitur. Inuenit eum terra deserta in loco horroris & vastæ solitudinis:

1. Timo. 6
apoc. 19.

is. Circũduxit eũ, & docuit, & custodiuit quasi pillam oculi sui. Dominus solus dux eius fuit, reliqua, quæ ibi sequuntur. Talis in veteri testamento sanctus Propheta Michæas extitit, qui ntra quadringentos viros, prophetas nomine, ius veritatem vitæ & doctrinæ seruauit, vt 3. rrat Reg. lib. 22. Talis in vtero sanctificatus ieremias fuit, qui aduersus fictæ religionis vi-os clamauit suo tempore: Nolite audire verba rophetarum vestrorum, mendacium enim pro-hetant vobis. Hier. 7. Talis insuper beatus pater ienedictus fuit multo suæ vitæ tempore, qui à alsis monachis tandem electus in abbatem, mor-is poculum pro vitæ stipẽdio ab eis suscepit: quos egimine & loco deseruit, vt dicit beatus Grego-rius 2. lib. dialog. *PIG.* Potésne similem ali-quem qui circa nostra vixerit tempora in exem-plum producere? *THEOL.* Possum quantum memoriæ occurrit. Nam eo tempore quo in studio steti Coloniensi, filium confessionis habui virum fide dignum, canonicum Tungarensis Ecclesiæ, licentiatum in artibus, & sacerdotem vita & or-dine, Libertinum nomine, à quo ea quæ sequun-tur percepi: quam miraculosè quodammodo vi-delicet monasterium sancti Iacobi in Leodio, bea-ti Benedicti ordinis, de fece deformationis ad sta-tum bonæ reformationis deductum sit prope no-stra tempora. Viuebant enim antea ibi monachi dissolutissimè, vbi de regulari obseruantia penè nullum reperiebatur in victu, in amictu, aut cere-monijs vestigium ordinis. Erantque ibidem dege-neres vita (quod peius extitit) multi de nobilium & potentum genere progeniti, quales cùm domi-nari in malum gestiunt, freti diuitijs & amicitia secularium, nihil boni fieri sinunt. Seuissima enim

Gregor. l. 2. dial. cap. 3.

Exemplũ mali, in Abbatem electi à malis, & postea diuinitus cõuersi & reformãtis suum cœnobiũ

est (vt ait Philosophus in politicis) iniustitia ferens arma. Venit tamen, nescitur quorum merito, tempus quo pater misericordiarum loco antedicto succurrere voluit. Nam abbas loci defunctus est, & die statuta à monachis notabilibus nouus pater eligi debuit canonicè. Aderant tunc de gremio monasterij paucissimi Deo deuoti, qui secundum dictamen timoratę cõscientiæ elegerunt vnũ ex eis idoneũ. Sed ex aduerso adfuit dissolutorum monachorum multitudo, omni ferè religione vacua, quæ de suo grege morbido elegit & obtinuit quendam in naturalibus quidem satis industria mundana præditum, sed malorum moribus insignem, & omnibus malis accommodum. Qui postquam magnipendit mentis oculis se electum esse in pastorem, & ducem gregis tam morbidi, extẽplo motus & visitatus diuina gratia, atque mutatus in virum alterum. vitam quam gessit horruit pręteritam, formidauitque humerum infirmum oneri nouo submittere, & dubitare cœpit, an confirmationem expectare vellet cum proposito se emendandi efficaciter, vel an ęlectioni resignãdum foret.

Vitato tamen secundo, ne eligeretur deterior, primum elegit, vt puto iterum inspiratus diuinitus. ⋆ Ob hinc cœpit abscondıtè, quantum licuit, regulam quam professus fuerat beati Benedicti inspicere, vestes religioni congruas, & lectisternia cuti suæ adijcere, & secundum cibum & potum regulariter se etiam in alijs ceremonijs regere, vt constanter suis, adueniente confirmatione, verbo & exemplo canere & dicere valeret. Venite, & non solùm, ite. Obtenta itaque confirmatione, & in sede pastorali cum attinentijs tẽporalis dominij collocatus, cognatorum suorum

ob hanc causam.

potentia,

otentia, ad coercendum rebelles monachos, ıuocata clanculo, die statuta domum intrauit ıpituli, capitulum primum suis tenuit, & men:m suam diuinitus immutatam modò aperuit: ddiditque.

Ecce me vidistis hactenus multo tempore irum, heu, vestris moribus peruersis simi:m, & fortassis ob id electum à maiori fra:rum multitudine: promitto coram vobis Deo, & eato Benedicto iam vice altera, me de cetero, ıon vt antea, sed vos velle verbo præcedere deinceps & exemplo; sequuti estis errantem, sequimiıi correctum & pœnitentem. Et quicunque, me sequendo, regulam, quam professi sumus, tenere voluerit, a me velut ouis à suo pio pascetur pastore: quicunque verò renuerit, me vltorem habebit vsque ad carceres inclusiuè. Dixit; & hæc facta sunt omnia, cunctis qui audiere stupentibus. Nā obedientes ad plenum reformauit, & rebelles aut pœnis afflixit grauibus, vel à loco fugauit, & sic, velut vinea Domini Sabaoth, vsque hodie dictum monasterium perseuerat in regulari obseruantia. *Isa. 5.*

PIG. Illud opus mutationis manus dextræ à Deo factum nō minus autumo fuisse miraculum, quàm quòd diuino numine corpus aliquod de morte esset suscitatum. *Psa. 76.*

THEOLO. Assentis in hoc beati Augustini sententiæ qua ait: maius esse miraculum iustificare impium, quàm creare mundum. Hic enim nihil resistere potest diuinæ potentiæ: ibi verò libertas humana recalcitrare valet. *August. tract. 72. in Ioan.*

PIGER. Satis apud me vertitur in dubium, vnum quod protulisti in exēplo, quomodo enim verum esse potest quæso, quòd in monasterio, *Dubium.*

omni

omni quasi regulari obseruantia spoliato, quosdam asseris monachos fuisse, licet paucos, Deodeuotos? Nam sine proprietatis vitio nullatenus videntur posse viuere, qui de communibus bonis monasterij non prouisi, coguntur, velut seculares veri, temporalia omnia sibi prouidere. Sileo de corporum incontinentia, & de animarum inobedientia, sine quibus in talibus vix viuitur monasterijs.

Varia de eo sententia.

THEOL. Super hoc dubio non solum variæ, sed contrariæ, & diuersorum aduersæ dantur sententiæ. Quidam dicere non verentur: omnes existen-
1. tes in talibus monasterijs esse extra statum salutis,
2. quibus non assentio. Sunt alij qui ex aduerso affirmare audent: omnes existentes in talibus monasterijs esse in statu gratiæ, si præcepta, secularibus hominibus debita, seruauerint, & more consueto in monasterijs vltra præmissa vixerint: quorum dogma incautum esse credo, nisi aliter respõsum suum distinxerint. Sunt præterea alij, ad viam
3. quasi declinãtes mediam, quorum doctrina quinque tradit regulas, per quas quisque, qui saltem ad locum reformatum venire nequit (vt inquiũnt) religiosus discere poterit in dissoluto & deformato monasterio, an per viam salutis incedat.

Respons. indicatur per quinque regulas.

1. Si seruat ea quæ etiam à seculari homine sub præcepto seruãda sunt: quia in his prima, & Christiana principaliter consistit religio.

2. Si seruat secundum quæ in regula & statutis suis professus est, quæ, & vbi sub præcepto cadũt: quia contra hæc faciendo, eò quod præcepta sunt, votum professionis videtur directè cadere, & huic contraire, est Deum grauiter offendere, & qui talia violat animam damnat.

3. Si de communibus bonis conuentus nõ prouisus, necessaria suo statui tenet temporalia solum ad in-

d incertum vsum de licentia sui prælati, alioquin proprietarius esse videretur. Fuit hæc doctrina venerabilis Humberti super regulā beati Augustini suo tempore, & similiter domini Alberti, qui cùm esset Prouincialis Theutoniæ, in Prædicatorum nostro scilicet ordine, sic scribit dictæ prouinciæ in epistola, cuius initium: Instantia & sollicitudo. Ne, inquit, proprietatis vitium sanctæ professioni paupertatis nostræ possit subrepere, volo vt nullus frater aliquam habeat dispensationem nummorum, aut quarumcumque rerum quæ ad eius consilium, siue in eius vtilitatem, voluntatem, siue * aliorum modo quolibet conuertantur, nisi conscio prælato suo, vbi sit illa pecunia, vel res alia, & qualiter dispensetur. Nam si quis secus faceret, & prelato inscio huiusmodi res dispensaret, aut dispensandas suo consilio seu arbitrio reseruaret, eum proprietarium reputarem, & tanquam professionis violatorem regulariter condemnarem. Hec Albertus.

Albertus magnus.

c. d. alio-

4. regula est. Si in his quibus de licentia prelati abundat temporalibus, quæ velut Deo dicata censenda sunt, non vt multi dissipat, sed proximo, præsertim fratri necessitatem patiēti, subuenerit: quia ad hoc plusquam secularis persona obligatur religiosus, qui multiplici iure adstringitur confratri domus suæ subuenire citius quàm seculari extraneo proximo. De quo beatus Ioannes dicit in sua canonica: Qui habuerit substantiam huius mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo: quomodo charitas Dei manet in eo? Filioli mei, non diligamus verbo, neque lingua, sed opere & veritate. 1. Ioā. 3.

5. regula est. Si firmum habet propositum resignandi temporalia, sibi ad incertum vsum concessa

cessa per prælatum, quando idem debitè petierit, & in reformatione monasterij quando opportunitas arriserit, quantum sua interest, intendit cooperari fideliter pro loco & tempore. Ego igitur in confessionis audiëtia, vel modò requisitus: quando hæc, quæ ista ab initio tradit opinio, à religiosa quacunque percipio seruari persona, eam in salutis statu esse credo, si non erro, quem errorem (si est) paratus sum corrigere.

Alia 4. dubia.

PIG. Quatuor mihi hîc occurrunt dubia quæ, si rationabile est, quæso enodare velis. Primum, quid de his sentiendum sit, qui adhuc in seculo
1. sunt liberi, & prædicta seruare proponunt, & sic deformata intrant monasteria. Secundum, quid
2. de his qui in seculo sunt, voto tamen de religione intrando sunt astricti, non reperientes introitum nisi in locis deformatis. Tertium, quid de
3. his qui iam in deformato monasterio sunt recepti, & ad loca reformata venire possent, sed nolunt, prædictas tamen * quandoque seruantes.

quinq; s. quinque scilicet regulas.

Quartum, quid de his, qui primum probati in reformatis monasterijs, & deinde ibidem professi, postmodum sine necessitate, aut causa rationabili ad loca migrant deformata: quos multi litterati, & graues viri vocant semiapostatas, iuxta illud Christi Luc. 9. Nemo mittēs manum ad aratrum, & respiciens retro, aptus est regno Dei.

THEOL. Dare super talibus, & super similibus raris quæstionibus sine distinctione multiplici responsionem, puto rem esse magni periculi. Conari etiam ad distinguendum in talibus multimodè, menti confusionem grandem parere, & tœdio lectorem posset afficere: eò quòd vnica circumstantia sæpe valde casus variat in particularibus, de quibus quæris. Vni enim infinita possunt

possunt accidere. Scimus præterea quod inter litteratos vnusquisque in suo sensu abundat. Non insuper memor sum, quemquam præceptorum meorum ad præfata dubia expresse scriptis respondisse. Quamobrem de responso meo nunc supersedeo, vtrique nostrum sufficiat quod in loco reformato est. Si autem quemquam aliorum dubij alicuius præfati cathena constringit: pro absolutione sui, magnum aliquem, si potest, quærat in regno cœlorum, id est in Ecclesia. Magnus autem est iste quem agnoscere docet supremus magister, qui dicit Matth. 5. Qui autem fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum. Qualiscunque enim moralis in tali ambiguo laboret formica, si, quod in se est, fecerit, ducem aliquem reperiet sui itineris, aut instinctu diuino, aut nutu alio ab alto, vt tutè in aliquo viuat grege.

De politia bona triplici. De errore eorum qui castitati detrahunt. De liberatis ab amore carnali diuinitus, & quam apta sint terræ steriles pro castitate tuenda.

CAPIT. IIII.

Ciuilitas formicarum multum est differens ab apum politia; cum istæ habeant regimen monarchicum, non autem illæ. * Distinguit Peripateticorum princeps in suo libro tertio Politicorum, quod tres sunt species politici principatus, regnum videlicet, aristocratia, & timocra-

Aristot. l. 3. pol. c. 5.
Tres species bonæ politici principatus.

timocratia.

1. Regnum eſt monarchia, ſiue principatus vnius perſonæ, quando ſcilicet vna perſona, perfecta in omnibus virtutibus, quærens in omnibus bonum cōmune, & bonum proprium ſingulorum, principatur toti reſiduæ multitudini hominum.

2. Species eſt Ariſtocratia in qua plures virtuoſi, perfecti virtute & ſapientia dominantur, ſingulis officijs præponētes virtuoſos homines & prudentes: quod corrumpitur quando regunt vitioſi homines & iniuſti.

3. Eſt Timocratia in qua multitudo dominatur hominum qui ſuper ęquales in honoribus conſtituti quærunt bonum tam diuitum quàm pauperum. Hæc regimina, licet omnia ſint bona, primū tamen regimen eſt optimum, tertium infimum, & ſecūndum melius vltimo. His principatibus correſpondent ex aduerſo tres corruptiones principandi, non rectè dicendæ principatus politici, ſed tranſgreſsiones eorum.

Tres eiuſdem corruptiones.

1. Tyrānis Primum, quod tyrannides dicitur, & peſsimum regimen, & vbi rex vertitur in tyrannum, qui quærit vtilitatem propriam in omnibus, non ſubditorum vtilitatem.

Secundum eſt minus malum quod oligarchia nuncupatur, in quo pauci & vitioſi dominantur collecti & diuitibus & pauperibus, non bonum communitatis intendentes, ſed tantum bonum ſuum & amicorum procurantes, ſcilicet diuitum & pauperum, & exinde officia talibus diſtribuūt.

Tertium vocatur democratia tolerabilius, in quo multi, non mediocres, ſed dominantur populares, non tamen de damnis curantes diuitum, ſed ſuorum pauperum tantummodo. Primi, qui tyranni

rāni sunt, nullius à se bonum quærunt. Secundi onum tantùm quærunt suorum amicorum diuium & pauperum. Tertij verò tantùm suorum, plebeorum scilicet, bonum procurant. Principatus præfatos tres Israel Dei electus populus olim successiuè habuisse videtur. Primum quidem in terris monarcham vnicū Moysen, quē supremus mundialis monarchiæ Deus misit, Exod. 3. dicens: Veni mittam te ad Pharaonem, vt educas populum meum filios Israel de Ægypto. Secundum quidem quando numeri 11. dominus ait Moysi: Congrega mihi septuaginta viros de senioribus Israel, quos tu nosti quòd senes populi sint ac magistri: & auferam de spiritu tuo tradamque eis vt sustentent tecùm onus populi, & non tu solus graueris. Tertium verò regimen, vel quasi idem, populus Israel sustinuit Iudicum 17. vbi dicitur: In diebus illis non erat Rex in Israel, sed vnusquisque quod sibi rectum videbatur, hoc faciebat. Dixi autem Israel vniuersum in terra primū monarcham vnicum habuisse, quia ponendo Moysen, se de cœlo, non de terra, esse regem Israel voluit, cuius regimen vsque ad tempora Saul durauit. Vnde iratus Deus Israel regem primò desideranti in terris ad Samuelem orantem 1. Reg. 8. dixit: Audi vocem populi in omnibus quæ loquuntur tibi. Non enim te abiecerunt, sed me, ne regnē super eos. Et ibidem 10. Samuel populo ait: Vos hodie proiecistis Deum vestrum qui solus saluauit vos de vniuersis malis & tribulationibus vestris. Est itaque apud apum gregem similitudo monarchię seu regni, in quo de grege vnus est rex & princeps. Inter formicarum verò multitudinē nullus rex habetur eiusdem speciei, sed à natura, omnia naturante, Deo scilicet, reguntur ad fines debitos.

debitos. In hac autem conditione quidam, & pauci homines, plebei & simplices formicis sunt similes, qui in multis non ab humano imperio, sed reguntur à Dei mirabiliter consilio, quales in multis locis reperi: in illis præcipuè vbi rarus & preciosus est sermo Dei, & in locis istis, vbi clerus, qui non solùm dum præcepta necessaria, verùm etiam Christi consilia euangelica suadere deberet, nec vita * præcedit nec doctrina sibi commissum populum; imo potius perfectionis vias volentes aggredi, pro viribus impedit. Si enim animarum conditor, paterno suo instinctu speciali, in locis taliusmodi beniuolis non subueniret hominibus, qui nec informantes habent pastores, nec libros sacræ scripturæ valent à seipsis intelligere, * & quos mundus & parentela vt plurimum conatur ad malum trahere, quomodo quæso in veritate staret illud Christi, quod suis consolatoriè promisit Matth. vltimo: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi? Si præterea, vt omnes Philosophi inquiunt, & videmus experientia, parentes in omni specie suis prouident filijs in his quæ eis sunt necessaria, pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, nunquid ista omittet erga suos filiolos? Absit hoc nefas patri pijssimo ascribere, quod lupinæ feritati vix attribuitur. Prędicando namque aliquando per loca Alemaniæ varia, quidam animarum pastores Ecclesiastici (prout reperi) publicè contra fragilem sexum, Virginis almæ volentem sequi vestigia, non verebantur dicere sine distinctione quacunque: meliorem & vtiliorem esse vaccam singulis annis generantem vitulos, quàm vitulam iuuenculam & sterilem. Per hanc sententiam dantes plebi intelligere, quod femine

Restitui pro prætendit.

Rest. pro, vt.

2. Cor. 1.

ninæ generantes in matrimonio præferendæ
ent puellis manentibus in statu virgineo. Qua-
prędicatores reuera in hoc malitiam excedunt
gilantij hæretici, qui matrimonium virgi-
ati non prętulit, sed errando æquare studuit,
em, velut Ecclesiæ hostem & sanæ doctrinæ
inicum, latè beatus Hieronymus in sua confu-
iit epistola. Parem errorem nonnulli viduis se-
nant, quas inferiores esse suo statu matronis
trimonij affirmant. De talibus animarum se-
ctoribus aptè ad suam plebeculam castissimus
Euangelista in sua canonica prima Ioan. 2.
ioli mei nouissima hora est, & sicut audistis,
a Antichristus venit: nũc antichristi multi sunt.
concludit post pauca: Sed vos vnctionem ha-
is à Spiritusancto, & nostis omnia. Et iterum:
c scripsi vobis de his qui seducunt vos, & vos
ctionem quam accepistis ab eo, maneat in vo-
. De similibus Apostolus Rom. 8. ait. Quicun-
: spiritu Dei aguntur hi filij Dei sunt. Et bea-
Iacobus * id orare docet, vt videlicet spiritu
entiæ quis in necessitate regatur à Deo, di-
s: Si quis vestrum indiget sapientia; postulet
eo qui dat omnibus affluenter, & non impro-
at; & dabitur ei, postulet autem in fide nihil
itans.

Hieron. aduersus Vigilant. tom. 2.

rest. pro adorare.

Iac. 1.

3. Probare digneris ista exemplo.

EOLO. Fuit meæ iuuentutis tempore quæ-
i in Constantiensi diœcesi in rurali villa-
, vltra opidum imperiale, & satis prope
daro, in terra non vinifera, sed multum vir-
fera., fuit inquam ibi virgo adulta, facie
hra, & elegantior moribus. In huius aspe-
captus est quidam (vt ipsa mihi retulit) cleri-
& quantum conijcio, erat suus plebanus, vir

Virgo tuetur suam castitatẽ confugiẽdo ad virginẽ Mariã, & postea in matrimonio christianissimè vixit

leuis moribus, & religiosus ferè nomine. Qui vulnus suæ mentis vltra celare non valens, venit ad laboratorium dictæ virginis, honestis verbis primùm se rete dæmonis exhibens, & tandem ad amorem sui, virginis ausus est verbis dũtaxat prouocare animum. Quod illa diuino instinctu percipiens, & mentem cœlibatus sic paulatim perdere intelligens, si serpentis caput non contereret; illico intacta mente & corpore respondit viriliter: Domine cum verbis talibus domum meam frequentetis nullatenus, alioquin repulsam sustinebitis verecundia mediante. Cui ille. Et si me diligere modò renueris, verbis monita dulcibus, me amabis, tibi promitto, * non post modicum operibus arctata raris. Erat enim vir ille suspectus incantantor, & de maleficio. Verba hæc virgo pro vento habuit, nec se ad amorem viri sensit vllatenus pro tunc affectam: sed deuoluto non multo tempore imaginationes amorosas de viro isto cœpit habere, vel pati potiùs, nesciens quid acciderit. Sensualitas enim in ea velut serpens ad rationis aliquotiens pulsauit ostium, vt ad amorem illicitum aperire vellet, Quod illa percipiens, diuinitus inspirata, ad matrem misericordiæ confugit, & Dei virginem deuotissimè pro auxilio à filio impetrando implorauit. Statimque honestam societatem requirens, peregrinari cœpit ad locum eremitarum in præfata diœcesi, vbi Ecclesia gratiosa multum est in honore consecrata Dei genitricis. Qua ibi inuocata, confessa est sacramentaliter, ne in ea aliquem locum habere posset malignus spiritus: sicque protinus omnis in ea cessauit hostis superstitiosa machinatio, quę eam postmodum nunquam tetigit. Ibidem etiam tunc informata est diuinitus, qualiter se habere deberet, si

f. negatio omittẽda.

eam

.m intrare contingeret matrimonium, qua infor-
.atione, tanta donata eſt gratia virgini, vt poſtea
)arentibus virgo pura tradita nuptui, cum viro,
nni laude digno, tam deuotè vixit, quantè me
) recolo copulam reperiſſe matrimonialem. Sta-
n enim poſtmodum imperiale opidum intra-
:runt, & corpore & animo cum honeſta pauper-
te Deo ſeruierunt. Vbi viro vxor prudentior,
aritum Deo omni conatu ſeruire docuit. Om-
um hominum leuem lętitiam cum tota domo
a vitauit, filios plures ſanctæ indolis habere cœ-
t, virtutum ſpectacula, & filiam conſeruauit
eo deuotam virginem: ſicque in mundi verſata
t ſtrepitu, pro domus tantummodo neceſſarijs,
eam, ſi videres diebus feſtiuis, & quotidie in
:cleſia, deuotionibus extaticis raptam eſſe cre-
res in cœlum, non minùs quàm virginem ali-
ıam deuotiſsimam in ſuo monaſterio.
I G. Ex adiutorio ſupremi regis præſtito huic
rgini elicio documenta notabilia. Primum,
ıàm gratioſè Deus ſimplices ſe purè quærentes
ſpirat. Deinde, quòd contra maleficos mentis
ıocentia, & ſacramentalis confeſsio, cum ſan-
)rum inuocatione multum adiuuat: demum
nen mihi videtur mirabile, cur terram prædi-
ım ſic commendas. Nam vidi locum & patriam
.am laudas eſſe virginiferam; & quam inhabi-
le hanc feminam aſſeris. Eſt autem terra in-
lta in vinetis, collibus, & montibus aſpera, &
arandum inobediens, propriè inobedientiſsi-
ı, in qua ad litteram incolæ non vuas, nec ficus,
l ſpinarum & tribulorum metunt fructus ama-
ıimos. Et quod huic eſt rarius, nulla ibi virgi-
m ſunt monaſteria, nec loca religioſorum re-
:mata, nec Beginagia ibi ſunt, velut in Reni

linea. Cum Nathanaele ergo dicere possum: A
Ioan. 1. tam sterili loco terrenorum fructuum & spiritualium hominum potest ne aliquid boni esse?
THEOLO. Per ea per quæ tu locum vituperas, & patriam spiritui idoneam esse commendas. Nunquid per Iob 28. æterna ait sapientia: Sapientia non reperitur in terra suauiter viuentium. Nã Plato & sui discipuli loca reliquerunt fructifera, & pro sapientia acquirenda terras inhabitauere pestilenticas. Et sicut in terra Galileę, abiecta & sterili, in comparatione ad alia vicina loca in Nazareth primum in vtero ortus est nobis sol iusti-
Luc. 1. tiæ, Christus sponsus virginum: ita hodie loca sterilia plus diuinę inspirationi & cœlibatui quàm fructifera deseruiunt. Igitur inde tanquam experto potes credere, me in nulla parte Alemaniæ, ceteris paribus, tot castas & immaculatas virgi-
Patria ferax virginum. nes reperisse, sicut in terra prope Nurenbergam, de qua locutus sum. Viuunt enim de labore manuum suarum tantummodo, in paternis domibus, vt plurimum, & in textrina arte. Oppida e-
.i. in tantum. nim aliqua ibi modica sunt, quę his * tantũ abundant virginibus, vt hoc anno quidam castitatis æmuli eas in Republica accusauerint, quòd essent in tanto numero, de quali futuri mariti necessarijs spoliarentur vxoribus. In villagijs denique adiacentibus non minor est copia virginum, vbi tamen acrius impugnantur à clero dissolutissimo, & à temporali domino, quòd eas inuitas plerumque, contra iura naturalia, matrimoniali lege subijcere nititur. Et quamquam ibi sæpe magna fames diuini verbi existat, alibi tamen, sicuti ibi, non reperi homines à Deo immediatè, rectè, & sine erroribus inspiratos. Vnde experientia pro tunc didici, quàm vera sint
quæ

iæ præmittuntur de diuino & superno regine, in quo per vnctionem dantur necessaria cumenta humanæ vitæ: ita, vt quamuis spiuales illæ formicæ monarcha, & principe, doctore egeant terreno, tamen diuina inratione suffultæ, rege non carere videnr supremo.

De mutuo & fraterno iuuamine. Et de triplici gradu in matrimonio castè viuentium.

CAPIT. V.

Tsi formicæ monarcha careant, sibi mutuò tamen tranquilliter obtemperant. Hæc conditio cem & cōcordiam iugem in eis custodit, quam paucissimis animalibus reperimus. In quo etiā tui innocentiæ satis appropinquant, in quo inhomines nulla fuisset ★ discrepantia, si protoisti prima Dei præcepta seruassent. Hanc enim causam Deus ait, Genes. 2. Non est bom hominem esse solum, faciamus ei adiutoim simile sibi. Adæ enim non inueniebar similis adiutor. Immisit ergo Dominus sorem in Adam: cumque obdormisset tulit am de costis eius, & repleuit carnem pro ea: ædificauit Dominus Deus costam, quam erat de Adam in mulierem, & adduxit eam Adam. Per quæ omnia, vt glossa innuit, pan & concordiam innuere creator voluit, & matrimonio quàm necessaria foret mutua temperantia, quam natura à Deo profluens manifestè in formica posuit. In qua am docet præcipuè, qualis esse debeat

★ .i. discordia.

Gloss. ord.

ſtatus inter iunctos in matrimonio, quia obtemperans & pacificus, de quo per increatam ſapientiam Eccleſ.25. dicitur. In tribus eſt beneplacitum ſpiritui meo, quæ ſunt probata coram Deo & hominibus: concordia fratrum, & amor proximorum, & vir & mulier bene ſibi conſentientes.

PIG. Reperiſti ne tuo tempore taliſmodi copulam matrimonij quæ miraculosè ſibi & pacificè conuiueret? *THEOL.* Inueni, vt reor, non ſemel, ſed pluries, admirandam ſtupendamque caſtitatem à quibuſdam ſeruari in cõiugio, & ſub gradu triplici. Quidam enim caſtè viuebant ad modum naturalis legis. Alij ad inſtar B. Nicolai vtriuſque parentis, vna vel pauca concepta ſobole, orationi deinceps vacare cœperunt. Alij etiam pro poſſe imitari conati ſunt Ioſeph cœlibatum & beatiſsimæ virginis. Fuerunt enim meis temporibus, vir quidam & ſua vxor circa ciuitatem Nurenbergenſem, Bambergenſis diœceſis, perſonæ deuotæ Deo, & fama redolentes apud homines, qui bona matrimonij principalia: fidem, prolem ſcil. & ſacramentum tam illibatè conſeruare geſtiebant, vt maritus debitum coniugale nunquam exigeret à coniuge, niſi ſemel in anni ſpatio, eo dumtaxat tempore quo veriſimile fuit prolem concipi. Nec caſtiſsima femina alio tempore reciprocum vnquam petiuit debitum: quinimo illico quo ſe concepiſſe ſenſit, illud marito cœlibi ſtatim innotuit; vt ſic vterque, caſtè viuendo, creatori animarum ſupplicaret pro fetu concepto, ne ſine baptiſmo vita priuaretur. Quorum oratio tã fuit efficax, vt in prole proſperarentur * votiuè. Fuerunt præterea circa prætactum locum aliæ tres matrimonij copulæ omni deuotione plenæ, quas noui, quæ omnes poſt virginitatis florem per matrimo-

Tres gradus caſtitatis in matrimonio. 1. 2. 3.

Exempla ſingulorũ 1.

* *ad votum*

2.

trimo-

imonij legem perditum transactis duobus, quinue, vel sex circiter annis infra quos proles generunt, ex consensu mutuo, amore castitatis & iuini obsequij, deinceps se propter regnum Dei, on ferro, sed religione castrarunt: non, velut)rigenes, ad litteram, sed nulli deinceps Veneeæ voluptati dantes operam. Erant autem inter as copulas quædam personæ multum pauperes: uędam mediocres in diuitijs: quædã verò abunantissimæ in opulentijs, sed omnes penè iuuenes ersonæ erant, pulchræ & fecundæ prolificationi uturæ, & quod his maius est, continuè in eadem amera, licet non in eodem lecto, dormientes, œlibatum tamen vidualem seruantes. In eadem utem dormiebant camera ne alter de aliena noari valeret persona verè vel mendaciter, vt sæpe ieri compertum est in separatis cõiugibus ab eaem camera. Noui insuper in ijsdem partibus iu- 3. enculum & iuuenculam deuotione præcipuos, ui à parentibus traditi nuptui, pari voto sese prinum clam constrinxerunt, vt in virginitate pereuerantes, nulli vnquam darent operam corruptioni, sed tantummodo in matrimonialem conentirent cohabitationem castam & virgineam. ta enim matrimonij sacramentum susceperunt, n eodem proposito iam multis annis vsque ad seium continuarunt, & in Deo fido, ita perseuerarunt. *PIG.* Hæc quæ asseris haud dubium magna Dei sunt miracula, quæ ego non minora reuto, quàm prodigium trium puerorum qui in *Dan. 3.* gnem proiecti tempore modico, illæsi euaserunt iuinitus: Hi autem viri pariter & feminæ, de quius affirmas, die noctéque, & annis plurimis ad gnem applicatæ Veneris, Dei nutu solius illesæ ermanserunt. Quis enim picem tangere poterit, *Eccle. 13.*

& ab ea non inquinatus abire? Quis quæso arida & ligna fragilia igni applicauerit, & adustionem eorum non sentiet? Quis denique scorpioni tam diuturno tempore cohabitans, toxico non læderetur vulnere?

THEOLOG. Bene sentis; quia reuera mulier viro casto ignis & scorpio esse poterit: à quibus si Deus custodierit, vt præmittitur, miraculum est, & solius Dei digitus. Testatur illa B. Ambrosius in lib. de offi. vbi dicit non habetur. Ianua diaboli, via iniquitatis, scorpionis percussio nociuumque genus est femina. Cùm proximat, stimulat, ignem accendit, flãmigero igne percutit conscientiam pariter habitantis, & exurit fundamẽta montium. Si viris feminæ cohabitent, viscarium non deerit diaboli.

Quæstio. *PIGER.* Suntne tales modi quos præmisisti castè viuendi in matrimonio suadendi coniugibus, an prohibendi potius? Quod ideo moueo, quia percepi aliquoties, quàm callidè sacerdotum quidam tales solent persequi. *THEOL.* Nec passim suadenda sunt ista indifferenter plurimis, nec vbique vitanda. Suprà enim audisti, quòd miracula non sunt ad consequentiam trahenda, & quòd priuilegia paucorum non faciunt legem communem. *cap. 2.* In carne autem pręter carnem viuere, angelorum, non hominum est communiter. Sunt præterea quidam constituti in matrimonio adeo fragiles, (& horum infinitus est numerus) quibus præfati modi castè viuendi sunt impossibiles, & per eos attentati, laquei fierent dæmonis. Talibus idcirco Apostolus 1. Cor. 7. talem tradit generalem regulam: Nolite fraudare inuicem, nisi fortè ex consensu ad tempus, vt vacetis orationi: & iterum reuertimini in idipsum, ne tentet vos Sathanas propter

er incontinentiam vestram. Sunt autem, sed
rò, in coniugio aliqui virtute muniti ab alto
arismata æmulantes meliora. Spiritus enim vbi 1.Cor.12
ult spirat. Si igitur à sapienti viro vterque coniu- Ioan.3.
im, omnibus attentis circumstantijs, reperitur
tedictæ continentiæ accommodus, & probabi-
er inspiratus diuinitus, non sunt retrahendi ta-
s à supererogationis operibus. Spiritum (inquit
postolus) nolite extinguere Et idcirco, vbi prius 1.Thess.5
nmediatè subiungit: hoc autem dico secundum
dulgentiam, scilicet redditionem debiti & exa- 1 Cor.7.
ionem, non secundum imperium. Volo autem
mnes homines esse sicut meipsum: sed vnusquis-
ue proprium donum habet à Deo, alius quidem
c, alius verò sic. Verum tamen est, vt dicis,
uòd hæc castitas, & omnis virginalis continen-
a deteriores habet hostes in clericorum nume-
, horum videlicet, qui aut scripturas sanctas,
sanctorum ignorant doctrinam: aut eorum
ui Venereis deseruientes voluptatibus, in alijs
malitia virtutem castitatis odiunt, qua se tur-
iter contra suum solemne votum spoliatos esse
onspiciunt. Et quamuis autoritate Apostolica
rædicti tres gradus matrimonialis continentiæ
tis roborati sint: eosdem tamen breuibus exem-
lis naturalibus & historicis declaro. Primus e-
im modus quo nunquam petatur debitum in
oniugio, nisi conceptus probabilis tempore,
aturali legi conformis est: qui à primis pa-
entibus, si perseuerassent in originali iustitia,
entus fuisset in statu primæui innocentia.
undem modum inter cunctarum bestiarum,
olucrum, & iumentorum genera seruant fe-
ninæ: quæ concepto fetu marem non admittũt,
xcepta solùm equa, vt Albertus librò 18.
tradit

tradit in suis animalibus. Secundus etiam gradus, quo vna suscepta prole, vel pluribus, pari proposito continentia in matrimonio incipitur, multa Sanctorum Sanctarumque habet ille gradus exẽplaria. Sic enim parentes Isaac vixisse videntur, licet iã vetuli, in cuius signum Sara se concipere debere audiens, angelo dixit, Genesis 18. Postquam consenui, & dominus meus vetulus est, voluptati operam dabo? Sic parentes Ioannis, de cuius matre dicitur Luc. 1. Post hos dies, conceptionis scilicet, occultauit se Elisabeth mensibus quinque ex verecundia videlicet, secundum glossam, quia senibus operam dare amplexibus dignum videbatur esse rubore. Sicque, quod magis probat propositum, multæ adhuc prolificationibus aptæ fecisse leguntur: vt beati Nicolai parentes, qui post vnicum fetum orationibus impetratum, deinceps continenter vixerunt. Sic mater sancti Gadinundi Cantuariensis Archiepiscopi, marito monasterium intrare persuasit, & ipsa in seculo deuotissimè Deo ministrauit. Pari modo beatæ memoriæ Maria de Oegnies, quæ multis claruit miraculis in matrimonio, tandem à viro, & à Deo precibus obtinuit, vt simul vitam cœlibem ducerent. Et teste beato Hieronymo, Melania Romana nobilissima in anno ætatis 13. viro tradita, cum eodem 7. annis vixit, & eidem 20. annis renunciauit, ipsumque virum suum ad contemptum conuertit seculi, ministratrix facta omnium pauperum occidentalis Ecclesiæ, quæ exempla omnia latè describit. Vincentius in suo historiali speculo. Tertius gradus est perfectissimus matrimonij, quo retentatur virginalis integritas, qui professores multos in vtroque sexu habuit. Primò quidem Christi genitricem, & Ioseph Christi nutritium. Deinde

Gloss. ord.

Vincent. ibid. lib. 18. c. 92.

Septem exempla coniugij qui virgines permãserunt.

vt in

in vitas-patrum legitur, Euchariſtus paſtor o- 2.
ım, & Maria eius coniunx, quæ ſingulis noƈti- *Vita pa-*
ıs in ſaccis dormientes, ſua vita paupercula & *trũ par. 2*
ˑginali, ſanƈtorum duorum Abbatum vitam,
gelo teſte, ſuperabant. Pariformiter ſanƈtus *Magna*
ıannes Abbas videns ad nominationem & præ- *vis caſti-*
ntiam cuiuſdam caſti ruſtici exiſſe à poſſeſſo ho- *tatis.*
ine dæmonem, quem nullatenus Ioannes ex- 3.
ːllere poterat, ruralem iſtum, quem vndecim *Caſsian.*
ınis didicit, nullo conſcio, vxorem conſeruaſſe *collat. 14*
rginem, caſtimoniæ ſuæ prætulit, vt Caſsianus *cap. 7.*
adit in colla. Abbatis. Neſterotis. Ita Thomas 4.
rabantinus in ſuo libro de apibus, deſcribit Eliſa- *Thomas*
ːth quandam nobilem virginem, cuius caſtitati *Cantip.*
ırentes inuidentes, eam nuptui cuidam tradide- *lib. 2. de*
ınt militi: à quo per annum impolluta, data eſt *apib. cap.*
ıonaſterio, vbi angelica conſolatione & Chriſti *50. p. 4. 5.*
›paritione mirabili ſæpe fouebatur. Sanƈta Ra- *& 6.*
ːgundis nupta Imperatori Lothario, & ab eodẽ 5.
irgo monaſterio tradita, ibidem in ſupremo mi- *Vincent.*
ˑricordiæ opera pauperibus exhibuit. Et Anaſta- *in ſpecu.*
us cum Theogenia vxore & virgine, peplo illæ- *hiſt. l. 22.*
›, ardentes prunas eam portaſſe didicit, vt vtrũ- *cap. 78.*
ue Vincentius recitat vbi ſuprà. Legimuſque ſi- *& 79.*
ıiliter ſanƈti Heynrici Imperatoris coniugẽ Ku- *Vincent.*
egundim virginem ſemper permanſiſſe, ſicuti & *in ſpecu.*
›ſe virgo perſeuerauit, licet ad ſiniſtram infamiã *hiſt.*
›ſa ſuper ignitos vomeres, illęſa tamen, ambulaſ- 7.
ːt. *PIG.* Duo tantum mihi circa hæc dubia *Duo du-*
ːeclara, & quietus ad audiendum alia propera- *bia.*
ıis. Primum, cur ſecundum modum caſtimoniæ
ıræfers primo, cùm teſte quodam qui in ſecundo
nodo vixit in matrimonio, ſe fateretur facilius
ıoſſe in antea ſemper caſtum permanere, quàm
eddere vel exigere debitum dumtaxat cõceptus
tempore.

tempore. Scimus autem quod difficultas auget meritum, & meriti maioritas eminentiorem gradum constituit. Sic etiam plures facilius pro semper abstinere volunt ab esu carnium, quàm easdē interpolatim sine excessu gulæ præsumant comedere. Secundum dubium, qualiter se prudens confessor vel consiliarius erga tales personas, proposito castitatis in matrimonio inspiratas gerere debeat? *THEOL.* Propter primi notitiam noueris, quod in operatione aliqua, seu omissione eiusdem, aliquando difficultas est ex genere, & natura operis, puta quia difficile in se & arduum est, aliquando vero solum est, vel principaliter ex parte operantis. Prima difficultas auget meritum, non secunda quæ est ex vitio subiecti, & ita est in exemplis ante traditis. Idcirco gradus continentiæ coniugalis stant debitè. Ad secundum scito, quod primò ei opus est, cum summa diligentia naturas & conditiones ac circumstantias personarum sic affectarum ad castitatem agnoscere. Deinde si quis talia omnia repererit castitati alludentia, caueat ne votum ad id firmandum statim admittat, proinde occasiones incontinentiæ doceat excludere. Ibi tamen prouideat, ne ex separatione personarum, si fieri congruit, nocturna, in alia videlicet camera iacendo diuisim, de incontinentia adulterij * vllum posit sinistrū interuenire iudicium, ad quod dæmon multum machinatur. Postremò doceat iugiter diuinum implorandum esse auxilium, & in nulla fortitudine confidant propria. Memores enim esse debent illud Sapientis Sapientiæ 8. immo ipsius Salomonis, vt dicit glossa, dicentis: Puer eram ingeniosus, & sortitus sum animam bonam, & cùm essem magis bonus, veni ad corpus incoinquinatum. Et vt

resti. pro nullum.

Gloss. ord.

sciui

ui quoniam aliter non possum esse continens, ni Deus dederit, & hoc ipsum erat sapientiæ, scire ius esset hoc donum: adij Dominum, & de- ecatus sum illum, & dixi ex totis præcordijs eis: Deus patrum meorum. Vide, si libet, reli- ıa deuotione plena, ibidem c. 9. Magis tame oc vt glossa subiungit, paruulo per baptismũ ha- ənti corpus incoinquinatum congruere potest. < præfatis igitur liquet iam exemplis, quomodo ultæ diuinæ formicæ monarcha quodammodo reant, & tamen in iugi pace sibi mutuo sanctè ɔtemperant.

Quomodo in brutis quibusdam animalibus quedam est ratio, memoria, & sollicitudo: de non iudicanda faciliter Prælatorum vita, & de sanctis Episcoporum quorundam exemplis.

CAPIT. VI.

DE *sua Republica inest eis quædam ratio, cura, & memoria*. Rationem hîc accipe pro virtute ſtimatiuæ potentiæ, qua etiam irrationalia ani- ıalia, secundum Auicennam, ex sensatis inten- onibus intentiones non sensatas eliciunt: qua irtute mediante animalia multa, mira & indu- riosa perficiunt opera, nunc fetum educando, unc sanitatem perditam reparando, nunc speciẽ ıam, aut proprium indiuiduum tuendo, & ita de ıultis alijs actionibus quibus humanũ intellectũ ɛpe in admirationẽ conuertunt non modicã. Est nim virtus hæc suprema in animalibus ratione ırẽtibus, & diuino regimini, iuxta id quod bruta ıstinẽt, proximior, & in minutis animalibus, vt ı apibus & formicis, ad prouidendũ sibi, & suis mirabi-

mirabilior. Tales hodie esse deberent continuò principum omnium, & potissimè prælatorum Ecclesiæ ratio, cura, & memoria: vt hæ potentiæ illuminatæ diuinitus sibi commissam rēpublicam facilius possent regere. Ex quali sollicitudine &

2.Thess.3 [illegible] Thess. 3. ait Apostolus. De cetero fratres orate pro nobis, vt sermo Dei currat & clarificetur, sicut & apud vos: & vt liberemur ab importunis & malis hominibus. Et 1. ad Timoth. 2. Obsecro primò omnium fieri obsecrationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro Regibus, & pro omnibus qui in sublimitate constituti sunt, vt quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & castitate. Hoc enim bonum est & acceptum coram Deo saluatore nostro, qui omnes homines vult saluos fieri, & ad agnitionē veritatis venire. *PIG.* Tales scio esse deberent nostri Episcopi & præsules, sed heu omnes quos videmus in Alemania deteriores sunt quàm mundani secularium principes, & quid quæso de prælatis vel pastoribus plebis minoribus?

THEOL. Caue ne temerariò iudices, & ne in illud terribile Christi verbum incidas, quo ait:

Luc. 6. Nolite iudicare, & non iudicabimini. Nolite condemnare & non condemnabimini, in eadem enim mensura qua metiemini, remetietur vobis. Nunquam de multitudine fando generalem de malo proferas sententiam, alioquin perniciosum iudicium vix, vel euades nullatenus. Sicut enim pia mater Ecclesia in communitatem nunquam anathema iaculat, semper præsumens in multitudine esse innocentes aliquos: ita tu ipse facito, ni à supremo iudice velis condemnari. Nam in omni loco & statu boni malis admixti esse possunt. Est interea certum satis, tuum iudicium verisimiliter

Id prohibetur c. Romana de sent. excõ in 6.

esse

esse præsumptuosum, quia omnes Alemaniæ prę-sules non vidisti: & si audisti de singulis, & de quibusdam mala dici, vide ne id Sapientis incidas: Innocens credit omni verbo: astutus considerat gressus suos Prouerb.14. & Ecclesiastici 19. Qui cito credit, leuis est corde. Nec mirum si in talibus quidam deuotarij & zelotypi decipiuntur sę-pius, qui falsò ęstimant Deum Ecclesiam suam reliquisse, & destitutam vbique sanctis pastoribus. Audi Apostolum ad Rom 11. talia demonstrantem, quærentem, & respondentem. Nunquid repulit Deus populum suum? Absit. Nam & ego Israelita sum ex semine Abrahæ, de tribu Bē-iamin. Non repulit Deus plebem suam quā præsciuit. An nescitis in Helia quid dicit scriptura, videlicet 3. Reg. 19. quemadmodum interpellat Deum aduersum Israel, dicens: Prophetas tuos occiderunt, altaria tua suffoderunt, & ego relictus sum solus, & quærunt animam meam. Sed quid dicit illi diuinum responsum? Reliqui mihi septē millia virorum, qui non curuauerunt genua sua ante Baal. Sic ergo & in hoc tempore reliquiæ secundum electionem saluæ factę sunt. Putabat enim etiam Sanctus Propheta, iudicio deceptus humano, quando terram Israel plenam vidit idololatris, se solum permansisse deicolam, quia vt B. Greg. probat super Ezechielem in principio: prophetarum spiritus non semper eis præsto est ad cognoscendum occulta. *Gregor. hom. 1. in Ezech.* *PIG.* Saltem multi sunt, vel quidam, de quibus pręmisi, vt in libro legimus experientiæ. Manifesta sunt (ait Apostolus ad Gal. 5.) opera carnis, quæ sunt fornicatio, immundicia, impudicitia, luxuria, idolorum seruitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, rixę, iræ, dissentiones, sectæ, inuidiæ, homicidia,

micidia, ebrietates, comessationes, & his similia: qui talia agunt regnum Dei non consequentur.

Rom 14. THEOL. Quidquid sit de pastoribus maioribus siue minoribus non iudico: Suo enim Domino stabit vel cadet quisque seruus. Vnum credo verum, videlicet te errasse grauiter in tua sententia. Nam de plebanis multis quorum vita nobis est notior, tu, non ambigo, * bonum sentis, de Episcopis verò per exempla probabo. Viuit enim reuerendus pater & dominus, dominus Fridericus de Vffsas, de Franconia orientali genitus nobili ex genere, qui dudum factus * Membambergensis Ecclesiæ canonicus, & sacerdos, ita mūdi oblectamenta spreuit omnia, vt sua domus à minus deuotis clericis risu vocaretur reclusorium. Vacāte deinde ibidem sede cathedrali, satis præter multorum intentionem primariam, à concanonicis electus est, & credo dignè in Episcopum: in tali, vt videtur, discordia, in quali olim in summum Pontificem, vt fertur, electus * fuisse, de quo idem in metro dixisse fertur:

.i. bene.

Exemplū sanctæ cōuersationis episcopi Bambergensis Friderici de Vffsas.

b. Bambergensis.

e. d. fuerat.

Me patrem patrum fecit discordia fratrum.

Gregorius x. de quo Io. Molā. in Nat. SS. Belgij 10. Ian.

Factus igitur episcopus de quo nobis sermo, mores sanctos retentauit priores, quantum statum suum decuit. Nam in habitu humilis, in affatu gratiosus, in conscientia mundus, manus, contra multorum in nostris partibus episcoporum morem, excussit ab omni Simoniaco munere. Nullum voluit habere, vt alij Alemaniæ episcopi, suffraganeum ad sacerdotalem vsum pertinentem. Non consecrasset, nisi prius ad terram procidens, sacramentali confessionis antidoto se expurgasset. Pauperibus pius, mediocris diuitibus, & religiosis bonis misericordissimus extitit. Nescio an viro isti in spiritalibus aliquid defuerit: In tempora-

lium

lium tamen regimine grauabatur anima innocentis nimium: vnde accidit vt laboraret pro viribus quatenus episcopatui cederet. In curia illud petijt, & obtinuit, sicque modo prouisus ab eadem ecclesia, non in eadem, sed in possessione eius, vitam ducit per omnia clericalem. Fuit pridem in VVormaciensi diœcesi (tempore quo fui iunior) quidam Episcopus Eckardus nomine, litteris sacris eruditus, mundum tantopere fugiens, vt in oppido Laudenburgensi in quo multis annis sederat, vt à fide dignis audieram ciuibus, paucos esse conciues qui episcopi personam extra suum palatium, vel extra Ecclesiam infra anni spatium vidissent. Solebat hic etiam, vt in sua curia Simonia vitaretur, ordines conferre sacros, & minores in persona propria. Ad quem eandem ob causam à conuentu meo natiuo, & à meis patribus, dum essem iuuenis, missus sum per quatuor diœceses: vt sine macula prauitatis Simoniacæ confirmationis & ordinis sacramenta susciperem. Vixit præterea in humanis nuper satis meo tempore sanctæ memoriæ (vt dicere audeo) reuerendus Dominus Sebastianus Tridentinæ Ecclesiæ Præsul, qui in minoribus constitutus in vniuersitatis ⋆ Viennēsis studio, & alibi, omnium bonorum virorum iudicio, vitam sanctam tenuit. Erat enim nobilis genere, litterarum studio diligens, & speciali gratia contemplationis diuinæ præditus: cuius rei causa, vt iuxta pedes Christi sedere valeret cum Maria, quotidie horam elegit aliquam ad vacādum otio contemplationis: hic postremò se inuitissimo electus est in episcopū dictæ Ecclesiæ, cuius electionem refutauit constantissimè: sciens quod eadem Ecclesia, & pene omnes Ecclesiæ in Theutonia, adeo pressæ sunt spinis, & mole rerum tēporaliū,

2. exemp. Eckardi epis. VVormaciensis.

3. Sebastiani Tridentini Episcopi.

a. b. vbique VViē.

micidia, ebrietates, comessationes, & his similia: qui talia agunt regnum Dei non consequentur.

THEOL. Quidquid sit de pastoribus maioribus siue minoribus non iudico: Suo enim Domino stabit vel cadet quisque seruus. Vnum credo verum, videlicet te errasse grauiter in tua sententia. Nam de plebanis multis quorum vita nobis est notior, tu, non ambigo, * bonum sentis, de Episcopis verò per exempla probabo. Viuit enim reuerendus pater & dominus, dominus Fridericus de Vffsas, de Franconia orientali genitus nobili ex genere, qui dudum factus * Membambergensis Ecclesiæ canonicus, & sacerdos, ita mũdi oblectamenta spreuit omnia, vt sua domus à minus deuotis clericis risu vocaretur reclusorium. Vacãte deinde ibidem sede cathedrali, satis præter multorum intentionem primariam, à concanonicis electus est, & credo dignè in Episcopum: in tali, vt videtur, discordia, in quali olim in summum Pontificem, vt fertur, electus * fuisse, de quo idem in metro dixisse fertur;

Me patrem patrum fecit discordia fratrum.

Factus igitur episcopus de quo nobis sermo, mores sanctos retentauit priores, quantum statum suum decuit. Nam in habitu humilis, in affatu gratiosus, in conscientia mundus, manus, contra multorum in nostris partibus episcoporum morem, excussit ab omni Simoniaco munere. Nullum voluit habere, vt alij Alemanię episcopi, suffraganeum ad sacerdotalem vsum pertinentem. Non consecrasset, nisi prius ad terram procidens, sacramentali confessionis antidoto se expurgasset. Pauperibus pius, mediocris diuitibus, & religiosis bonis misericordissimus extitit. Nescio an viro isti in spiritalibus aliquid defuerit: In temporalium

Rom 14. | *.i. bene.* | *Exemplũ sanctæ cõuersationis episcopi Bambergensis Friderici de Vffsas.* | *b. Bambergensis.* | *.e.d. fuerat.* | *Gregorius x. de quo Io. Molã. in Nat. SS. Belgij 10. Ian.*

lium tamen regimine grauabatur anima innocentis nimium: vnde accidit vt laboraret pro viribus quatenus episcopatui cederet. In curia illud petijt, & obtinuit, sicque modo prouisus ab eadem ecclesia, non in eadem, sed in possessione eius, vitam ducit per omnia clericalem. Fuit pridem in VVormaciensi diœcesi (tempore quo fui iunior) quidam Episcopus Eckardus nomine, litteris sacris eruditus, mundum tantopere fugiens, vt in oppido Laudenburgensi in quo multis annis sederat, vt à fide dignis audieram ciuibus, paucos esse conciues qui episcopi personam extra suum palatium, vel extra Ecclesiam infra anni spatium vidissent. Solebat hic etiam, vt in sua curia Simonia vitaretur, ordines conferre sacros, & minores in persona propria. Ad quem eandem ob causam à conuentu meo natiuo, & à meis patribus, dum essem iuuenis, missus sum per quatuor diœceses: vt sine macula prauitatis Simoniacæ confirmationis & ordinis sacramenta susciperem. Vixit præterea in humanis nuper satis meo tempore sanctæ memoriæ (vt dicere audeo) reuerendus Dominus Sebastianus Tridentinæ Ecclesiæ Præsul, qui in minoribus constitutus in vniuersitatis ⋆ Viennēsis studio, & alibi, omnium bonorum virorum iudicio, vitam sanctam tenuit. Erat enim nobilis genere, litterarum studio diligens, & speciali gratia contemplationis diuinæ præditus: cuius rei causa, vt iuxta pedes Christi sedere valeret cum Maria, quotidie horam elegit aliquam ad vacādum otio contemplationis: hic postremò se inuitissimo electus est in episcopū dictæ Ecclesiæ, cuius electionem refutauit constantissimè: sciens quòd eadem Ecclesia, & pene omnes Ecclesiæ in Theutonia, adeo pressæ sunt spinis, & mole rerum tēporaliū,

2. exemp. Eckardi epis. VVormaciensis.

3. Sebastiani Tridentini Episcopi.

a. b. vbique VVië.

& negotiorum sæculi, vt * quidem eas regentes, non sicut olim, procuratores pauperum, & animarum pastores, sed esse videantur capitanei militum, & pauperum neglectores. Ob quam causã constat antiquitus Dominũ Albertũ * resignasse Ratisponensis Ecclesiæ principatui & præsulatui. Sed dominus ille, cuius historiam tractamus, finaliter persuasus à Iurisperitis onus pastoralis curę semi-inuitus acceptauit. Hi enim timoratæ conscientiæ viro dixerunt, prout hæc & sequentia ab Abbate Mulbrunnensi didici, Domino Ioanne, qui in sæculo existens, collega extitit & notarius dicti Domini. Ecce Domine, dicebant, Ecclesia hæc quantum lapsa sit in spiritualibus & temporalibus ipse nostis, de vestra probitate nemo ambigit, cunctis estis gratus, consanguineis potentibus armatus, & electus satis concorditer. Quamobrem si electioni resignaueritis Ecclesiæ, cui aliunde ad bonum obligamini, dilapidationis periculo in rebus & moribus exponetis, & fortassis intercedentibus armatis precibus, in sortem cedet spurio, vel alteri apostatico clerico, vnde nisi electioni vestræ acquieueritis, reatum mortalis criminis non poteritis euadere. Hoc igitur vltimo velut diuino motus sigillo, & velut quodam diuino mucrone munitus, confirmationem electionis & eius suscepit regimen. Aduolare autem cœpit viro (vt est solitum) cognatorum multitudo nobilium, sine quibus modo, vt dicitur, non possunt regi propter tyrannos cathedrales Ecclesiæ. Cœpit hæc turba, quę secundum Senecam, solùm prædam sequitur, copijs se velle replere terrenis, & ex aduerso hi quibus obligabatur in pecunijs Ecclesia, debita postulare: & quia in thesauro Ecclesiæ solùm erant nemo, & nihil, stimulabant

f. quidam

Albertus magnus pro renũciasse.

labant

labant consanguinei episcopum, vt redditus aliquos Ecclesiæ aut perpetuò venderet, aut impignoraret saltem. Tunc primùm vir contemplationi assuetus, propriam inchoauit miseriam deplorare, & dicere consanguineis, spiritu, vt puto, prophetico: Vasa pretiosa & clenodia quæ meæ personę attinent vendite, & Ecclesię damna quæ potestis resarcite: quibus exhaustis, me scitote nec obolum Ecclesiæ, vt petistis, velle alienare: spero autem in patrem misericordiarum Deum, quòd me infra anni præsentis spatium per vitæ terminum liberabit ab hac miseria. Dixit, & factum est diuino nutu, vt prædixit. Nam in omni quam habuit cura diœcęsis ad horam quotidie contemplationi studuit, & in anni spacio diem clausit extremum, cum vitæ sanctimonia celebri.

PIG. His motus exemplis virtutum, temeritati meæ renuntio quam habui de prælatis omnibus Theutoniæ, & piè credo, si tales fuissent in primitiua Ecclesia, quando necesse erat miraculis succurrere infidelibus, non pauca per eos omnipotēs Deus egisset signa & prodigia.

THEOL. Rectè sentis, quia hodie ad eos qui præsunt fidelibus nulla est necessitas faciendi miracula, sed opus est, vt iuxta doctrinam Principis pastorum oues & agnos pascant vita virtuosa, prædicatione gratiosa, & temporali subsidio, vt eis, sicut formicis sagacibus insit pro sua republica diuina ratio, cura, & memoria. Sed his modo relictis ad aliam proprietatem procedamus formicarum.

Ioan. 21. Officium pastoris.

De ciuitate morali, & labore bono triplici: Quæ bona fecerint duo concilia generalia nostro tempore: Quòd impossibilis sit modò generalis Ecclesiæ reformatio, & de prælatorum in his excusatione, & vitiorum dissimulatione.

CAPIT. VII.

D*Omum simul, siue ciuitatem construunt formicæ, quam distinctam habitaculis, diuersis plantarum tegunt particulis.* In quibus triplex innuitur mirabilis istorum animalium operatio. Nam ciuitatem quandam sibi construunt, habitacula varia ibi ædificant, & talia tegunt contra æstum & pluuiam diuersis plantarum particulis. In quibus operationibus nullum suæ speciei habent magistrum, sed Deum tantummodo, cuius instinctu in talium constructione simul reguntur & reformatione. Typum autem in his gerũt propriè eorum, qui ad generalia pertinent concilia, prælatorum præcipuè. Hi enim ciuitatem militantis Ecclesiæ suis in ædificijs, quantum sua interest, vbi ruinam patitur, deberent reformare, homines diuersis modis Deo ibi obsequendi construere, & ab æstu vitiorum, à gelicidijs inimicorum defendere, & protegere, & sese verbo, & exemplo habere taliter, vt in his à spiritu diuino mererentur principaliter dirigi. Ita enim hanc ciuitatem vidit Iohannes descendentem de cælo, & in eodem oriri primitus. Vidi (inquit) ciuitatem sanctam Hierusalem nouam descendentem de cælo à Deo, paratam sicut sponsam ornatam viro suo. Sed heu. hodie res versa est in contrarium. Nam potior

Apoc. 21.

eius

eius portio statusEcclesiastici magna in parte deprimitur auaritia, superbia, & vtinam non incontinentia. De quibus psalmus lamentatur dicens: Deus venerunt gentes in hereditatem tuam, polluerunt templum sanctum tuum. In parte verò sæcularium adeo vbique rupta sunt pacis federa, vt in eis illud prophetę locum habeat. Effusa est cōtentio super principes, & errare eos fecit in inuio, & non in via. Et iterū dicit de ciuium malitia, atque imprecatur: Præcipita domine, diuide linguas eorum, quoniam vidi iniquitatem & contradictionem in ciuitate die ac noctę. Circundabit eam super muros eius iniquitas, & labor in medio eius, & iniustitia, & nō defecit de plateis vsura & dolus. De religionis autem vinea, cuius radices Dei plantauit filius, quæ olim impleuit terram, operuit montes vmbra eius, & arbusta eius cedros Dei, quæ insuper extendit palmites suos vsque ad mare, & vsque ad flumen propagines eius, sic alibi dicit. Destruxisti maceriam eius, & vindemiant eam omnes qui prætergrediuntur viam, exterminauit eam aper de silua, & singularis ferus depastus est eam.

Ps. 78. *Psa. 106.* *Psal. 54.* *Psal. 79.*

PIG. Tempore nostro quo Constantiense generale celebrabatur concilium, quantum memoror, de reformatione multum tractabatur in eodē singulorum statuum ciuitatis Ecclesię, & lætatus sum pro tūc in his quæ dicta sunt mihi, quia in corde dixi: In domum domini lætantes ibimus, in cuius atrijs antea vix stabant pedes nostri prę deformationis malitia. Sed frustrati sumus à desiderio nostro: Aduenit postmodum hoc præsens Basiliense concilium, quod penè in omnium Bullarum suarum præferebat exordio, reformationis titulum. Rogauimus in eodem concilio per ante-

Psa. 121.

dictum psalmum quotidie diuinam clementiam, vt id fieret. Instituebatur ob id disputatio specialis, dicta reformatorij, & vsque ad sex annos iam crebro disputatum est de diuersorum statuum reparationibus, nec in effectu vsque hodie quicquã vidimus. Scire igitur multum cupio, vtrumne de totali reformatione Ecclesiæ, in membris & capite, aliquam spem habere posſimus, vt iocunde cum propheta canere posſemus. In conuertendo Dominus captiuitatem Sion, facti sumus sicut consolati, & similia.

Psa. 125.

Quid pro fuerint Ecclesiæ Concil. Constantiense & Basil.

THEOL. Non omnino frustra celebrata fuerunt duo ista Concilia: Nam in primo inueteratiſsimũ schisma Ecclesiæ, quod antea nullis modis mederi potuit, diuino regimine ablatum est. In altero verò crudeliſsima Hussitarum persecutio, & eorum infidelitas, quæ nullis tractatibus, nec fidelium gladio, sub quo infiniti corruerunt ex vtrisque partibus, auferri potuerunt, per Christi gratiam penè totaliter auersa sunt, mitigata ad minus, atque sopita plurimum. De totali autem, quam depingis, reformatione Ecclesiæ ad præsens, & ad propinqua futura tempora nullam penitus spem habeo: tum quia voluntas bona in subditis deficit, tum quia illud prelatorum malitia impedit, tum etiam quia illud electis Dei, qui persecutionibus malorum probantur, non expedit. Exemplũ de hoc accipe in arte architectonica. Da enim architectum quantumcunque artificiosum; si is materia congrua, lignis vel lapidibus caruerit, nunquam domum construet. Da rursus ligna vel lapides in materia etiam nobili; si domificatorem non habueris, domo idonea & habitationibus semper carebis. Si præterea domus aliqua amicis tuis accommoda non fuerit, & ędificata fortaſsis eis

eis obfuerit, cur eam prudens construeres? Hæc tria cùm reformationi totali Ecclesiæ applicabis, quàm impossibilis sit, ipse mentalibus oculis videbis. Verùm de reformatione particulari in ciuitate Ecclesiæ, possibili in multis statibus & religionibus, non dubito quin easdem dietim introduci videmus in quibusdam monasterijs & cõuentibus, sed cum quanta difficultate nouit altissimus. Si enim præsente generali Concilio in Basilea in annis sex, nec vnum quidem fragilis sexus monasterium, cooperante etiam seculari consulatu, reformari potuit, propter quarundam inhabitantium vitam maliuolam, & eisdem astantem seuitiam, quid, quęso, sperandum est de virorum nobilium, vel litteratorum collegijs, qui ruinas, & deformitates suas in spiritualibus existentes domibus, non modo armis chalybeis, sed etiam, quæ deteriora sunt, verbalibus & lingueis possunt defendere. *PIG.* Puto prælatorum malitia, totius mali causa est in subditis. Si enim pastores boni essent, ad morum eorundem vestigia greges venirent. *THEOL.* Partim hîc, sed non in toto erras. In grege enim pecudum fortassis ita est, vt asseris, sed in cœtu hominum, qui libertate potiuntur animi, non sic: verum tamen est, vt B. Gregorij docet auctoritas, quod nemo amplius nocet in Dei Ecclesia, quàm is qui in dignitate vel gradu ordinis constitutus, suis facinoribus plebem scandalizat. Et dum pastor per abrupta graditur, grex in pręcipitium labitur, dumque caput ęgrotat, cetera membra languent. Non sic autem in subditis imitationis facilitas à virtutibus pręlatorum capitur, sicut vice-versa, ab eisdem exemplum vitij discitur, quia peccare facilius est multitudini, quàm benefacere. Virtus (inquit philo-

Gregor. de cura pastor. p. 1. cap. 2.

philosophus) est circa difficile, in non habitatis & insuetis intellige. Et lata est, & spatiosa via, quæ ducit ad perditionem: arcta verò & stricta, quæ ducit ad vitam. Primam enim viam * ingrediuntur plurimi, secundam verô pauci, quia regnum cęlorum vim patitur, & violēti rapiunt illud. Malam ergo consequentiam formas in morali materia. Quod autem boni pastoris vestigia sequi sæpe abnuat populus, multis exemplis nostro factis tēpore docere possum. Vidimus namque legatum sedis apostolicæ Cardinalem, virum omni sanctitate præditum, dominum Nicolaum Sanctæ crucis, legatum in Francia, profesione & vita semper Carthusiensis ordinis, prælatum certè quasi ordinarium de iure communi, super terras legationis suæ officio commissas. Hic quantum profecerit in eisdem partibus, sciunt multi. In reformationis enim materia nonnulli sibi resistentes in faciem appellarunt, multi alij minis, alij verò callidis modis alijs sibi non obediuerunt. Habuimus in Germania in annis plurimis à summo pōtifice transmissum legatum dominum Iulianum Cardinalem, cuius vitę sanctissimæ virtutibus (quantum in me noscit humana fragilitas) nullū vnquam prælatum parē illi agnouisse puto, qui in reformationis sancto opere quantū pręeditus, & quotiens persecutionē passus sit, omnes vidimus, qui virum istum agnouimus. Nō minus enim curabantur eius exempla, & pręcepta à multis, quā si ea tulisset semi-infamis prælatus alius. Scio præterea vnū ordinem inter medicātium ordines, cui Deus iā ante decēniū prouidit de duobus bonis & beneuolentissimis capitibus, quorum vnus generalis magister est totius sui ordinis: alius verò prouinciā vnā grandē habet regere. Vterque zelator est re-

Mat. 7.

vel. pro egred.

Mat. 11.

Nicolaus Cardinalis ord. Carthu. sancta vitæ, zelator reformationis.

Item. Iulianus Cardinalis.

eſt reformationis tã validus, vt ſe pro ſuo grege nõ ſemel ad reſiſtentes ſibi ſeculares mortis periculis ſubiecerit, & tamen vterque modicũ profecit in ſubditis: paucos enim conuentus reformare potuerunt, quibus velle adiacebat de omnibus, ſed propter inobediẽtẽ materiã perficere nequiuerũt. *Rom. 7.* *PIG.* Ego in talium prælatorum officio magnum eſſe periculum puto, & ſcire vellem an in ſtatu ſalutis cum tanta rebellione ſubditorum eſſe valerent. *THEOL.* Non ſolum iſtos, ſed paſtores omnes alios in periculo conſtitutos eſſe docet B. Auguſtinus in regula, vbi dicit ad ſubditos: Pręlati ſeu præpoſiti miſeremini, qui inter vos quanto in loco maiori, tanto in periculo maiori verſatur. *Auguſt. in reg. ſub finem.* In ſtatu tamen perditionis non ſunt, ſi in quantũ in ſe eſt, inſtant oportunè, (iuxta doctrinã Apoſtoli) arguúnt obſecrant, & increpant in patientia omni & doctrina. *2. Tim. 4.* Ne autem peior fiat ſciſſura, diſsimulare oportet nonnunquam ſubditorum vitia minora, vbi ex correptione probabiliter mala aduenirent maiora: ſicut peritus Chirurgicus morbum in corpore infirmi aliquando relinquit minus nociuum, ne eundẽ curando, deteriori & læthali vulnere præſtet incentiuum. *Diſsimulanda interdum ſubditorũ vitia probat ratione, ſimilitudine, & exemplis.* Sic primus Iſrael rex rebelles ſibi, nondum firmatus in regno ſpiritu bono docẽte, quẽ videlicet Saül adhuc habuit, nõ correxit. Maiore enim multitudine ſibi obediẽte, tamẽ quidã filij Belial dixerunt 1. Reg. 10. Nũ ſaluare nos poterit iſte? & deſpexerũt eũ, & non attulerũt ei munera: ille verò diſsimulabat ſe audire, cum eo tamen abijt pars exercitus, quorũ tetigerat Deus corda, vt ibidẽ pręmittitur. Pari modo timore rebellis, vel furẽtis multitudinis pręſertim principũ, rex Darius potẽtiſsim͂ inuitè permiſit Danielẽ in lacum leonũ proijcere, quod

quod si nō fecisset, vita regis fuisset in periculo, nec liberatus fuisset Daniel. vt habetur Dan. vltimo. Sic Mathathias Dei sacerdos, & pastor Israelitici populi, videns regis Antiochi tyrannidem deformantem templum, Dei cultum, & populum, in deserta loca secessit, quousque congregata est ad eum synagoga bonorum, & fortis viribus, per quā reformauit prædicta pro viribus 1. Macha. 2. Et Iudas Machabęus summus sacerdos, & post eum Ionathas frater eius, licet essent animosissimi, tamen Alchimum, qui per Bacchidem Antiochi capitaneum est intrusus ad summum sacerdotium, fretum potentia seculi, seuitiam & deformationem templi Hierosolymis & populi procurantem totis nisibus, diu sustinere coacti fuerunt. ibidem vij. & viij. cap. & 2. Machab. 10. Sicque Onias deuotissimus Dei summus sacerdos innumera mala per Simonem & Menelaum suæ gentis deformatos ęmulos, passus est 2. Machab. 3. & sequentibus.

Quæ sint perfectionis viæ, & quantùm peccent religiosi medicinam studentes corporum, animarum neglecto studio.

CAPIT. VIII.

I*N suis domibus vias rectas & occultas fabricant, quibus satis occultè sæpe inhabitant*: Ecce tria moraliter notanda iterum. Nam vias in domibus rectas fabricant, quę semitę dicuntur & methodi, quibus breuiter aliquis ad terminum ducitur: tales enim faciunt occultas, & easdem sępe inhabitant. Per quæ omnia viam arripere compendij ad creatorem docet in formicis naturalibus, & spiritualibus increata Dei sapientia. Viæ igitur

igitur rectæ itinera virtutum ſunt, à vitiorum ſemita declinantes. Vnde eadem ſic ſuadet Sapientia per Salomonem. Prouerb. 4. Dirige ſemitam pedibus tuis, & omnes viæ tuæ ſtabilientur. Ne declines ad dexteram, nec ad ſiniſtram. Auerte pedem tuum à malo. Vias enim quæ à dextris sũt nouit Dominus: peruerſæ verò ſunt quæ a ſiniſtris ſunt. Ipſe autem rectos faciet curſus tuos, itinera autem tua in pace producet. Viæ autem rectæ & abſconditæ ſunt modi diuina contemplandi, & per ſupererogationis opera Deo obſequendi fideliter: quales hi arripuerunt de quibus veritas ait Luc. 10. Confiteor tibi pater cęli & terrę, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus, & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis. De quo in Iob 4. dicitur. Ad me dictum eſt verbum abſconditum & quaſi furtiuè ſuſcepit auris mea venas ſuſurrij eius. Animalis autem homo non percipit ea quæ ſpiritus Dei ſunt: ſtultitia enim eſt illi, & non poteſt intelligere, quia ſpiritualiter examinatur. Vias non occultas & rectas homo tunc inhabitat, quando ſupererogationis opera ſecreta contemplatione examinat, & talia opera exequi pro viribus diſcretè attentat. Tales vias incedere deberēt contemplatiuę vitæ, videlicet quidam viri religiones approbatas profeſsi, ob procurandum fructū animarum repertas: ſimiliter epiſcopi, & qui ex officio habēt prædicare verbum Dei; quia ad tales omnes ſpectat præcipuè, ea quæ per ſecretum cōtemplationis hauſerunt, alijs verbo, vel ſcripto tradere. Vnde B. Gregorius in de cura paſtorali iubet prælatum, & prædicatorem præ cunctis eſſe in contemplatione ſuſpenſum.

1. Cor. 2.

Gregor. de cura paſtor. p. 2. cap. 5.

PIG. Quid ergo erit, vel quale dabitur iudicium de quibuſdam religioſis, non ſolùm dico de poſ-

fessionatis, sed etiam mendicantibus, qui ab Ecclesia pro animabus curandis dati sunt pastoribus Ecclesiæ in subsidium: & tamen in nulla vniuersitate in medicinis graduati, nec aliunde apprimè, vel profundè in eadem arte eruditi, passim se de medicandis, vel subleuandis ægrotis corporibus intromittunt viam contemplationis, qua incesserunt patres eorum, relinquentes? Quid proinde de nostris in Alemania episcopis, qui tanto onere castrorum, ciuitatum, militum, & similium temporalium negotiorum tumultibus sunt circundati, vt respirare vix valeāt, & qui omnino spiritum contemplationis & curam animæ in se & proximis videtur penitus extinguere? Quid demum de plebanis. & prçlatis inferioribus, qui ad viam vitæ contemplatiuæ, etiāsi aliàs sine grauibus peccatis sunt, rarissimè, vel nunquam se ad inhabitādum ponunt, quinimo alijs talia facere prohibēt? *THE.* Primi certè qui ita sunt obnoxij. (transeo enim nūc de duobus reliquis) multiplici peccati cathena se cōstringunt, qui toxicum mortis multis sæpe propināt, irregularitatis pœna sese sic illaqueāt, anathematis Ecclesiastici causā nō vitant, patrū suorū intentionem sanctam cassant, & multos discretos viros actiuè scandalizant. Ecce quinque mala.

Quinque mala relig medicinā exercentium.

1. Primùm, inquam, toxicum mortis multis sæpe propinant, quia dum putant morbo prçbere antidotum, inexperti applicant fortassis id quod pro tunc est venenum. Mouet idcirco mundi philosophus in v. Ethicorum quæstionem: An facilius sit esse iustum iudicem, vel bonum medicum. Hanc quæstionem cùm me præsente in vniuersitate Coloniensi quodlibetarius determinandam tradidisset cuidam magno in medicinis doctori, iste difficultates multas medicinæ artis adduxit,

Aristot. 5. Ethic. sub finem.

duxit, & inter cætera mihi memorabile verbum protulit, quomodo Arnoldus de noua villa, olim medicorum summus, calculasset in humano genere esse posse infirmitates distinctas duo milia centum & 24. in qua varietate graduum id quod vnam infirmitatem fugat, aliam illico adducit, & iuuat, & quod vnum morbum curat, alium intoxicat. Quo audito, alienis hominibus medicinalia indiuidualia suadere horrui, inexpertis medicis minus credidi, & si experti aliquando errant, eos clemẽtius iudicaui. Secundum malum est, irregularitatis consequuntur periculum. Quis enim in tanta varietate morborum, nil omittit de contingentibus in noscẽdo morbum specificè & gradualiter, videndo tempus idoneum in cęlo subtiliter, & in eligendo medicinæ necessaria artificialiter? Scio quẽdam magnum in medicina cuiusdam vniuersitatis graduatum doctorem, qui regis Romanorum, & aliorum illustriũ virorũ physicus sæpe laudabiliter extitit: hic publicè in serio audebat dicere, scire satis probabiliter, multos se interfecisse ægrotos A quo dum sciscitaretur causa. Respõdit: Quãdo inexpertus practicæ de scholis & libris primùm veni, nescius de multis quę me postmodũ docuit experiẽtia, vidi quomodo plures neci tradidi ex ignorãtia, quos ex intẽtione curare quærebã. Causam etiã anathematis isti nequaquã vitant, quia ea intẽtione pia mater Ecclesia audire leges & physicam sub latæ excõmunicationis sententia inhibuit ad curam animarum obligatis, religiosis, & clericis, vt tales sanctis studijs, & sacræ scripturæ libris, quorum est imperscrutabilis, secundum Augustinum, profunditas, animum darent indefessum: vt in rubrica, Ne clerici, vel monachi negotijs secularibus se immis-

Arnoldus de noua villa numerauit infirmitatum 2124.

2. Extra de ætate C. ad aures, & de homicid. volũt. c. Quanos

3. lib. 3. decretal. tit. ne clerici vel monachi, c. non magnopere & c. super specula.

Aug. ep. 3

immiſceant, tituli ipſius pondus docet, & ſententia. Et ibidem Super ſpecula prohibitionis ſuprafatæ notam & cauſam aſsignat Honorius in hæc verba. Theologiæ, inquit, ſtudium cupimus ampliari, vt dilatato ſui tentorij loco funiculos ſuos faciat longiores, vt ſic fides catholica tutior fiat, ſcilicet, circumcincta muro inexpugnabili bellatorum, quibus reſiſtere valeat aſcendentibus ex aduerſo. Prædicti inſuper religioſi, & etiāſi ſeculares ſint clerici, patrum ſuorum intētionem, quantum in eis eſt, fruſtrant, quorum principalis erat intentio, & ſtudium præcipuum, animabus prouidere, non mederi morituris corporibus, quibus plerunque plus ad ſpiritum cooperatur ægrotatio, quàm medicinalis valeat operatio. Cùm (inquit) Apoſtolus, infirmor, tunc fortior ſum. Et quidam ſanctorum patrum reſpondit infirmo fratri curam poſcenti corporis. Rem, ait, virtutibus tuis neceſſariā amoueri deſideras. Merito autem hi de quibus loquimur, deridentur à viris bonis & prudentibus, quos ideo ſcandalizant, quia ad tractandum cœleſtia, & ad curādum ſpiritus nobiliſsimos vident ex auaritia, vel ex humana laude vrinas amplecti hominum, & eorum ſtercora. Vnde tales abuſus videntes hi religioſi boni, quos zelus domus domini comedit, religionem talium lamentantur, velut deſtructam Hieruſalem olim propheta Hieremias Threnorum 4. Quomodo, inquit, obſcuratum eſt aurum? mutatus eſt color optimus, diſperſi ſunt lapides ſanctuarij in capite omnium platearum? Qui veſcebantur voluptuosè interierunt in vijs, qui nutriebantur in croceis amplexati ſunt ſtercora.

Honorius iij. c. ſuper ſpecula.

4.

2. Cor. 12

5.

Moralem huius expoſitionem vide in Greg. ho. 17. in Euang.

Vitupe-

Vituperatur iners otium, & commendatur labor triplex, & de quorundam hominum bonorum stupendis corporalibus exercitijs.

CAPIT. IX.

T*Am mares quàm fœminæ in formicis ad laborem egrediuntur vniuersæ per turmas.* Docent in hoc vitare iners otiũ, & desidiã, quibus fomenta vitijs præstantur. Labor enim corporeus, seu membrorum fiat exercitijs, siue in alia castigatione corporis, siue in alijs vitæ actiuæ medijs, vbi quis mentis contemplationi, vel librorum studio se nõ dederit, secundum communem legem tam necessarius est omnibus, vt sine eo nullus ritè ad vitam Theoricam migrare possit. Vnde dicit B. Gregorius lib 6. moralium tractãs illud Exod. 19. Caue, inquit Deus per Moysen ad populum, ne ascendatis in montem, nec tangatis fines Israel. Omnis qui tetigerit montem, morte morietur: manus nõ tanget eum, sed lapidibus opprimetur, aut confodietur iaculis: siue iumentum fuerit, siue homo, non viuet. Populus autem à monte prohibetur cùm lex à Deo accipitur, vt videlicet, qui infirmis adhuc mentibus terrena desiderant, considerare sublimia non præsumant. Vnde rectè dicitur. Si bestia tetigerit montem, lapidabitur. Bestia etenim montem tangit, cum mens irrationabilibus desiderijs subdita, ad contemplationis alta se erigit. Sed lapidibus percutitur, quia summa non sustinens, ipsis superni ponderis ictibus necatur. Qui ergo culmen perfectionis apprehendere nituntur, cùm contemplationis arcem tenere desiderant,

Gregor. l. 6. moral. c. 17. al. 27.

derant,

derant prius se in campo operis per exercitium probent, vt sollicitè sciant si nulla mala proximis irrogant, si irrogata à proximis æquanimiter portant, si * obiectis bonis temporalibus nequaquam mens lætitia soluatur, si subtractis non nimio mærore sauciatur. FIG. Prout ex verbis tuis sentio, triplicem commendas laborem. Vnum, qui ad modum mechanici operis exercetur manibus vel pedibus: Alium, quo corpus vigilijs, ieiunijs, abstinentijs, cilicijs domatur, & similibus: postremò eum quo licitè conuersando inter homines quis animum refrenat cõtra iram, odium, amorem, tristitiam, lætitiam, delectationem, & aduersus passiones similes. Quæritur igitur, quis horum laborum est melior? THEOLOG. Quantum ex natura operis, bonitatis gradum habent eo ordine, quo audisti. Minoris etiam meriti esse videtur ceteris paribus, & minoris difficultatis primus quàm secundus, & idem quàm vltimus. Cui autem omnes, vel eorum aliqui magis sunt necessarij ad perfectionem acquirendam, attentè quisque in sua legat conscientia. Sicut enim magis oportet pauperem ditari laboribus manuũ, quàm philosophari apud Aristotelem: ita apud Christi imitantes doctrinam, plus vrget multos arte vti mechanica pro victu habendo, quàm opus sit secundum exercitium, quo corpus atteritur. Ad vltimum tamen gradum, quo mediante passiones vincuntur, & ad medium deducuntur in anima per occasiones habitas in exterioribus, omnis imperfectus tenetur tendere, vt audisti in auctoritate beati Gregorij; quia in eisdem consistunt virtutes actiuæ necessariè. Sine primo autem & secundo laborandi genere, quidam satis tranquilli esse possunt pro loco & tempore, & iuxta dispositæ

rest. ex orig. pro abiectis.

Triplex labor.

Aristot. 3. Topic. cap. 1.

positæ complexionis suæ, vel cōsuetudinis acquisitę naturam, & virtutem. Tales enim duo gradus non virtutes sunt, saltem principales, sed virtutes eis mediantibus acquiri possunt in edomatione corporis ad spiritum. Qualiter autem assumenda sunt talia, & in quanto, vide de hoc collationem abbatis Moysi secundam, in qua Cassianus facundissimus illud docet elegantissimè. *Ioā. Cassianus collat. 2. abb. Moysi quæ est de discretione.*

RIG. Sæpe miratus sum, cur in nostris partibus non modò, sicut olim, reperiantur viri, qui corpus ieiunijs, & abstinentijs aggredi audeant, flagellis, & duris alijs exercitijs, sicuti fecisse leguntur sanctorum canonizatorum multi, & patres in Ægypto, & in Scythia, de quibus Vitas patrum plenè edisserit. *THEOL.* Quamuis modò non tam crebrò, sicut olim, reperiantur de quibus refers: tamen multi sunt adhuc deuoti tales, de quibus in sequentibus statim audies. Verùm prius volo noueris, quod ex quinque vel sex causis euenire potest, cur aliqui tam grauia exercitia habere non valent. Ex dispositione videlicet aëris, ex cōplexione corporis, ex zelo perfectionis, ex habitu iuuentutis, ex fictione hypocrisis, & ex specialibus donis. Aër enim, si in regione aliqua est multum calidus, digestionem (vt inquiunt Physici) impedit, ad exteriora euocat, & abstinentiores facit homines ex consequenti: & ex aduerso frigida regio poros constringit corporis, & calorem exinde per antiperistasim augere potest in stomacho. Vnde prouenit, quòd in nostris partibus frigidis, viri quidam hyemali tempore plus comedunt quàm æstiuo tempore. Non ergo mirum, si in regionibus calidis homines ieiunant faciliùs. Complexio etiam corporis aliquorum habet, vt in natura frigidis liquet, flegmaticis, vel melan- *Sex causæ cur quidā corporalia exercitia habere nō possint.* *1.* *2.*

 cholicis,

cholicis, cibus tam modicus sumitur à quibusdam & rarò adeo, vt in comparatione ad alios, eis abstinentia videatur esse miraculosa. Patet etiam hoc in quibusdā feminis, & in viris frigidis, in ranis, & serpentibus, immo in perfectis animalibus, vt in vrsis, qui multis mensibus in hyeme nullum penitus cibum sumunt in locis syluestribus, vel abditis. Zelus præterea perfectionis ad obsequē-
3. dum Deo acriter, ad satisfaciendum pro peccatis viriliter, & ad adhærendum Deo pacato & edomito corpore plures ita stimulat, vt ex amoris magnitudine excessum in exercitijs tantum faciant, qualis videtur tepidis impossibilis. Videmus hoc apertè in philocaptis erga feminas amore cæco & Venereo, ex quo quidam tota hyeme semper nudis incedunt capitibus, alij vestimentis carent necessarijs, alij hastiludijs læthaliter impingunt mutuò, alij vigilant inhumaniter, & ita de reliquis; quæ omnia vincit amor cæcus & leuiora facit. Cur autem Christi amor, & charitas, dilectioque, quæ, vt Canticorum 8. dicitur, velut mors fortis
4. est, his maiora non posset facere? Habitus insuper iuuentutis ardua nouit efficere, puta, si quis assuetus est penè à cunabulis modicum victum & amictum habere: sicut videmus pauperes in villagijs, vestibus tam contentari modicis in hyeme, vt si easdem delicatè nutritus deferret tantummodo
5. ob amorem Dei, sanctus esse videretur. Fictio etiam hypocrisis non minora nouit luere pro laude vana, vel ex auaritia. Hanc ob causam trutanni quidam & mendici glaciali tempore, nudi sedent in niuibus, vt ad compassionem moueant diuites, & ad sibi subueniendum in pecunijs. Prius enim certis herbis vel seminibus corpus fricauerunt, & ligaturis artificialibus sanguinem constrinxerunt,
vel

vel poros corporis alijs remedijs obturauerunt. Sed & in sanctis hominibus sæpe grauia exercitia reperiuntur ex specialibus donis. Sic manifestum est, & fuit in beato patre nostro Dominico, qui in humo Ecclesię crebrò noctes ferè duxit insomnes, qualia exercitia fratribus suis inhibuit, non vt eis talia non faueret, sed quia donum illud nouit speciale, & infirmis alijs fratribus non esse communicatum à Deo. *PIG.* Potesne proferre in medium aliquos diuina clementia nostris diebus frigidis, in quibus, iuxta Christi verbum & Apostoli, charitas multorum refriguit, donis talibus laborum corporalium, seu exercitiorum, de quibus loquimur dotatos? *THEOL.* Possum multipliciter. Vidi in Italia tempore quo fui iunior, in conuentu Elugiensi prope Venetias nostri ordinis priorem Fratrem Paulum de vrbe veteri, non dico hominem, sed vix homuncionem corpore, sed gigantem in prædictis exercitijs. Nam paruus corpore, statura pusillus, & obesus erat totus carnibus, atque membra eius vix hærebant ossibus: attamen tam alacer & expeditus animo fuit & viribus, vt secundum in ordine non nouerim. Ieiunium regulare, quod durat prope annum dimidium, persoluebat integrè. Carnes non edebat etiam debilis, die ac nocte sequebatur chorum assiduè. In quadragesimali tempore penè prædicans quotidie, & occupatus in confessionum audientia assiduè, non dicā vino limphato, sed aqua vinata vino modicissimè vtebatur, quando non puram recepit aquā: pictantiam, à qua sæpius abstinebat, tam curiosè à se propinquis & distantibus diuidebat fratribus, ac minutatim occultè molebat inter manus, ne notaretur à circumsedentibus de abstinentia, vt nisi curiosus explorator vix parsimoniā

6.

Mat. 24.

Austeritas vitæ F. Pauli de vrbe veteri ord. Prædic.

posset aduertere. Vestitus durè nocte iacebat, vigilijs multis insistebat, & orationibus deuotis sedulò incũbebat. Nemo in choro & cantu alacrior, in labore manuum nullus pro communitate sollicitior, nec in sedandis fratrum tentationibus efficacior. Et ne tempus sibi transiret incassum, quando audientiæ confessionum, prædicationi, orationi, vel scripturæ non vacabat, statim coquinam, præsertim post prandium intrauit, & cocum ad disponendũ, & laborandũ pro futura fratrũ refectione iuuabat sollicitè, in mundando nunc pisa, nunc olera, nunc verò cooperando ad similia proprijs manibus. Lapideo tabulatu totam Ecclesiã, vel refectoriũ (quorũ vtrumque non minimę est latitudinis) strauit, & ornabat. Et quia scriptor multũ artificialis extitit, chorum eadẽ arte, libris valde notabilibus omniquaque prouidit. Et non obstãtibus prædictis omnibus, in his vsque ad annum suę ętatis perseuerauit circiter octogesimũ in regulari obseruãtia, quã tuebatur pro viribus: tandẽ autẽ præsenti vita functus est. Vidi ibidẽ nostri ordinis in eodem conuentu patrẽ, prout ostendebat sui canicies capitis, septuagenariũ, nunquam hyemali tẽpore, nec die, nec nocte, quocũque coopertorio vtentẽ in capite, nudis incedẽtẽ pedibus cõtinuè, abstinẽtia cibi, prout tradit regularis obseruãtia dura; & tamen in his tãta præditũ lætitia, vt alijs fratribus, præ ceteris, honestũ cõmuniter procuraret solatiũ, licitis loco & tẽpore. Noui in nostra prouincia de Nurẽbergẽsi cõuentu fratrem aliũ, qui in sui nouitiatus tẽpore à dæmone, qui in dolore viri prenoscebat tẽtationes, sustinebat acerrimè. Sępissime enim proponebat, dãdo per tabulã pacis osculum in Ecclesia, dicere alicui sibi notæ puellæ (fuit enim prius notus à multis, & notus in ciuitate)

Aliud exemp. f. eiusdem ord. & cõuentus.

De alio f. miræ austeritatis conuentus Nurẽberg. qui factus est procurator Basiliensis.

ciuitate) quæso Priorem in porta adeas, sibique dicas, quod tibi matrimoniũ promiserim, & me postules iuridicè. Sępius animo firmiter proposuit in choro existẽs, Priori publicè scapulare & cappam tradere, & per Ecclesiã recedẽdo statim de ordine fugere. Sed vicit in eo Christi gratia: professus est enim, & in cõuentus Basiliẽsis reformatione postmodũ effectus procurator gratiosus. Nã occultè vsus est exercitiorũ, inuisis tẽporib⁹ nostris, armis. Habuit ciliciũ, nõ quale portant patres Carthusiæ, sed contextũ tantùm ex equorum grossissimis crinibus & nodis: vsus est flagello, stimulis, & calcaribus equorũ similibus: torquẽ ferreã cum appensis de eadẽ minera cãpanellarum nodis, clã, more nobilium collo detulit, lorica ferrea, & alijs miris ad domandã carnem instrumentis vtebatur. Crucẽ habebat in siropodio magnam, & ligneam, & absconditam super qua iacuit, nec vllis sub capite vtebatur plumis. Nec charitatẽ proximi, quæ feruebat in pectore huius pulchri sacerdotis, & iuuenis, cohibuit dicta exercitatio, vel procurationis officiũ, (quod in dicto cõuentu est grauissimũ) quin diebus festiuis circuiret prædicando per villagia Dei verbũ, & populum informando consilijs salubribus. Verùm quia ingenio fuit subtilissimus, ideo est postmodũ missus in Viennam ad generale studiũ, vbi annum vitæ habẽs prope tricesimũ, anima sua Deo grata assumpta est de corpore. Si leo de femina reclusa, quæ prope Maguntiam vsa est lorica ferrea, erro, si non fuit chalybea. Idẽ iuuentutis suę tẽpore fecit Ioãnes Benedictus, postmodũ Teruisinus antistes, quãdo Venetijs cõuẽtũ nostrum intrauit reformatũ ordinis nostri. Erat enim cuiusdã de maioribus Venetis filius, quẽ patriarchatus quidã expectabat prius eidẽ collatus:

Reclusa.

Ioan. Benedictus Teruesinus. episc.

qui pater poſtmodum electus eſt in Teruiſinum epiſcopum, anteà tamen Prior fuit Venetijs in conuentu ſanctorum Iohannis & Pauli.

Dæmon quomodo religioſos perfectionis iter tranſeuntes plus vexat quàm alios, & quanta bona in Eccleſia fecerint Mendicantium ordines, licet perſecutores ſemper habeant.

CAPIT. X.

V*Ias ſuas multùm occultas ordinatè obſeruant, ne illæ, quæ exeunt reintrare volentes, obuiando præpediant.* Viæ rectę & occultæ quæ ſint dictum eſt 8. proprietate ſuprà. Sunt enim modi diuina contemplandi per ſupererogationis opera, qualia communiter bonis religioſis ad fructum animarum ordinatis aptè congruunt: quales eſſe debent de Prædicatorum & Minorum ordinibus, & ſibi ſimilibus. Tales enim ſecundum ordinationem Eccleſiæ in occultis contemplationibus hauſta, intrà ſua loca & extrà exeundo, debent alijs contemplata tradere, nec ſe impedire mutuò, ſed adiuuare potius inuicem dicti duo ordines ſtatuti ad eoſdem fines. Verùm ſicut in republica formicarum, & in vijs earum nulla exiens, nec intrans aliam impedit in opere, ſed alia diriora animalia ipſas, & vias earum ſępe moliuntur deſtruere, & ita ad errorem eas ponunt: ſic in reformatis conuentibus dictorum ordinum, maiores beſtiæ, dæmones videlicet, talium vias & operationes congruas, quantumcunque rectè & cautè incedant, præpedire nituntur, vt aut ſe perturbent mutuò, aut vt à reformationis cœptæ reſiliant propoſito.

Hac in-

Hac intentione ſathanas in exordio talium ordinum ſępe viſibiliter, & ſępius inuiſibiliter terroribus, & tentationibus in locis pacificis, armis applicatis infernalibus, ſatagebat turbare: de quibus ſuorum ordinum libri multum & latè notant. Sicuti etiam in inchoatione monachorum, vel potius in reformatione talium prima, dęmones viros religioſiſsimos vexauerunt plurimùm, * vt liquet in reformatorum cœnobitarum primitiuorum vita, Antonij, ſcilicet, Baſilij, & ſimilium. Antonius enim non primorum monachorum religioſorum, ſed primò reformatorum pater fuit: quia prout teſtatur Euſebius in Eccleſiaſtica hiſtoria, certum eſt, quòd tempore beati Marci Euangeliſtæ in Alexandria, vbi præſul extitit, vtriuſque ſexus fideles diuiſim habitacula velut monaſteria conſtruxerunt, & vitam monaſticam in caſtitate, paupertate, & obedientia, imò in ſtudio ſacrarum litterarum ſanctè duxerunt. Conſtat etiam beatum Dionyſium beati Pauli apoſtoli diſcipulum epiſtolam ad Demophilum monachum intitulaſſe ſcribendo. Etſi exordiri placet altius, conſtat Dei filium in aſſumpta humanitate, primùm, vnà cum ſuis diſcipulis inchoaſſe mores & vitam, ad quorum inſtar ſupratactorum ordines ſunt inſtituti primitus. Certum eſt enim ex ſerie Euangelica in ſenatu Apoſtolorum, Chriſtum prioris, Petrum ſupprioris, Iudam procuratoris, Philippum quodammodo portarij habuiſſe officium. In eis paupertas fuit, & abdicatio omnium rerum temporalium, teſte Petro Matth. 19. proditore dempto, ibi: Ecce nos reliquimus omnia. Ibi caſtimonia fuit, ob quam Ioannem à nuptijs euocauit. Ibi obedientia fuit ad Chriſtum. Studium ibi in Chriſti doctrina nocte fuit & die excellentiſsimum,

adieci vt.

Euſebius lib. 2. Eccleſ. hiſt. c. 16.

Act. 17. Dionyſ. areopag. epiſt. 8.

Vita monaſtica à Chriſto incepit.

mum, dicente saluatore omnium. Discite à me, quia mitis sum & humilis corde. Prædicationis etiam exercebatur officium, quando misit eos binos ad prædicandum ante faciem suam. Possessio rerum temporalium grandis nulla, sed paupertas affuit copiosa. Hanc ob causam, vt opinor, dæmonis malitia à principio mendicantium ordinum, qui prælibatam Christi vitam seruare deberent, præ cunctis per se, & per quosdam de clero sæpe vexauit, & hodie persequi non cessat ad extremũ, plusquam cæteros ordines, & in locis vbi nunc ad vnguem regulas suas obseruant: quorum tamen tyrannides, sicut nec Christi fidem, nec Petri nauiculam, ita nec religiones istas delere potuit, nec delebit (Deo propitio) in posterum: quemadmodum recolendæ & sanctæ memoriæ magister Henricus de Hassia sacræ paginæ professor pulchrè deducit in lectura sua super Genesin.

Mat. 11. *Luc. 10.* *Henricus de Hassia*

Præclari scriptores ex ordine Prædicatorum. S. Thomas Albertus magnus. Hugo Cardinalis. Petrus de Palude. Petrus de Thrãtasia qui est Innocẽ. V. Durãdus. Iacob. de Voragine

PIG. Constat libros iuris diuini & humani, & colentibus theologiam, & sanctiones canonicas, quòd dictorum ordinum fratres in sacra præsertim pagina longè amplius, quàm sęcularis cleri doctores laborauerunt. Nam libros ferè innumeros S. Thomas ediderunt & Dominus Albertus, non solùm in diuina, sed etiam in philosophica scriptura. Primus & perfectus postillator totius bibliæ Hugo Cardinalis, & postremus Petrus de Palude, medijque alij fuerunt plurimi. Super sententiarum librum Petrus de Tharantasia, postmodum papa Innocentius, Durandus, & multi scripserunt latissimè. Sermones de tempore & sanctis, qui in comparatione aliorum (vt à viris audiui litteratissimis) dicuntur aurei, scripsit, & totum passionale, quod Lombardica historia dicitur de legendis sanctorum Iacobus de Voragine. Iohannes Ia-

nes Ianuensis episcopus, summam confessorum, quæ summa latius conscientiosos casus Theologicos pariter & iuridicos continet quàm Iohànnis Friburgensis; quæ summa breuior & disertior in eisdem quàm Bartholomæi de Brixia. Quis denique textum quinque librorum decretalium, & summam iuris primam, nonne Raimundus de penna forti? Sileo de omnibus textibus philosophi, quos Henricus Krosbein de Græco transtulit. De noua logica, topica, & sophistica eiusdem philosophi, quam sub compendio non solùm in quinque, sed multis alijs paruis tractatibus clausit Petrus Hispanus, & de innumeris alijs libris & opusculis, quæ omnia præfata composuerunt fratres prædicatorum ordinis. Porrò Alexander de Halis, qui summas scripsit maximas, & profundissimas, venerabilis Bonauentura, nouus Scotus Ioannes, Richardus, & alij plurimi, qui super sententias scripserunt egregiè: Astaxanus, & Ioannes Erdfordensis, qui iurium summas; & Nicolaus de Lyra super omnes Bibliæ libros ad literam, quem nullus in hoc excessisse videtur, qui omnes minorum ordinis fuerunt, quos, & alios me melius exprimere valerent, qui dictum ordinem professi essent, ita in alijs ordinibus excellentes multi extiterunt. Cum ergo ex dictis religionibus tot fructus prodierunt Ecclesiæ, & hodie in multis partibus prodeant, & multos suam religionem professos ab Ecclesia canonizatos habeant, & de præfatis voluminibus clerus se & populum habeat regere, mirum vnde apud quosdam odium tale procedat. *THEOL.* A dęmonis seuitia originaliter, ex abusu iurium comunium, & vtrunque fortassis, ex quorundam auaritia. Postrema duo quia clerum tangunt & religiones, pro nunc relinquo:

Ioan. Ianuensis episcopus. Ioan. Friburgensis. Bartholo. de Brixia. Raymun. de penna forti. Henricus Krosbein.

Petrus Hispanus. Ex ordine Minorum Alexāder de Halis. S. Bonauentura. Ioan. Scotus. Richardus de Mediauilla. Astesanus Ioā. Erdfordiensis. Nicolaus Lyranus.

relinquo: vnum credo, quod ſi quidam religioſi abuterentur priuilegijs, non totus ordo, ſed perſequi deberent rei. Et certum eſt, quod illos, qui religionem ſuam modo ſeruant, perſequi ad minus non deberent, quos tamen in ſuis patribus, & in inchoatione ordinum ſcimus perſecutionibus amariſsimis eſſe vexatos. *FIG.* Ergo de dæmone, an adhuc tales vexet religioſos exemplo velis oſtendere. *THEOL.* Manifeſtè pandam. Nam à relatione fide digna didici magiſtri Guidonis ſacræ theologiæ profeſſoris, prioris Zamberati, & eius ſubprioris; & ſcripto prioris in Aſsiaco prouinciæ Franciæ noſtri ordinis reformatoris, religione, litteris, & fama approbatorum, didici, inquam, quod poſtquam idem conuentus in Aſsiaco preterito anno reductus fuit ad reformationis decus, ſpiritus malignus fratrum officinas cœpit patenter inuadere, feneſtras fregit, vtenſilia ſubuertit, dolia vinaria diſſoluit, chordas campanæ ſcidit, & eaſdem aſportauit, cymbalum, quod duntaxat de die pulſari ſolet ad menſam & collationem, tẽpore pulſauit nocturno, ſicque inquietauit ſolùm intra triduum fratres, vt quoſdam ferè duceret ad amentiam. Nam de die in domibus conuentus inferioribus, de nocte verò habitauit in dormitorio adeo terribiliter, vt nullus fratrum auderet ſolus per conuentum incedere. Quid plura? Vna die inuaſit nouitium in ætate conſtitutum vitæ ſuæ vigeſimo & quarto circiter anno, cuius veſtes lacerauit in duodecim foraminibus, veſtigia in eis relinquens vnguium quaſi cuiuſdam feræ ſylueſtris. Alia die, in vigilia videlicet octauarum Epiphaniæ, dicto apparuit nouitio in forma catti nigerrimi, dicens: niſi habitum ordinis exueris, die tertia te interficiam, quo viſo & audi-

Exempl. de dæmone vexante religioſos ſeruãtes ſtatuta reformationis.

& audito, iuuenis alta voce adiurare cœpit dęmonem in Christi nomine. Inuasit tunc dæmon de nouo nouitium, defendit se idem, in qua lucta accurrebant fratres, ex lucta amborum in cella reperientes mensam, pulpitum, lectum, & feréalia subuersa omnia; vnde debilitatum ad recreandũ fratres detulerunt ad ignem, quo facto statim eum de nouo de manibus fratrum eripuit, in flammas ignium proiecit, & per longum tractum temporis caput eius in medio ignis detinuit: deinde nouitium fratres magno cum labore eripientes, eum in Ecclesiam ad summum altare detulerunt, vbi iterato eum dæmon è manibus eorum explodit, & per totum chorum violenter traxit, & adeo percussit grauiter, vt demum relictus à dæmone, penè à cunctis fratribus diceretur esse mortuus. Quamobrem omnes ad Dei genitricem, & ad sanctos plurimos preces pro defuncto cœperunt fundere, & postremò ad sanctum patrem nostrum Dominicum recurrere, ob cuius reuerentiam locus nouella reformatione decoratus erat, & vbi hæc patiebatur à dæmone. Et ecce pater iste pijssimus, suorum memor operum, super altare subitò in forma viri elegantissimi, & in habitu ordinis apparuit. Frater verò qui credebatur mortuus & in fratrum quorundam iacuit manibus, vultu cœpit hilarescere, se de medio fratrum erigere versus altare, vt ibi Deum adoraret, & sanctum Dominicum. Cœpitque currere dæmon inter hęc à loco, & deinde per diuersas officinas domus tãto cum strepitu fugiendo furere, vt totius patriæ malleatores adesse putares. Et quod admiratione est dignius, mox vt sacramento diuinissimo communicatus fuit frater, qui putabatur esse defunctus, contra inuasionem dęmonis tãtam ei diuina virtus

Apparet S. Dominicus.

Virtus Sacramenti Eucharistia.

virtus valetudinem tribuit, vt membris omnibus plena & perfecta restitueretur sanitas. Minabatur præterea eisdem diebus dæmon iste pessimus voce clamorosa, se nullatenus a domo ista recessurũ, quam dixit se longo tempore titulo proprietatis possedisse, sed scientes Deo deuoti fratres, dæmonem esse mendacem, & patrem mendacij, cœptæ reformationi pro viribus operam dederunt, licet in his & alijs vexationibus adeò grauati fuerint, vt noctes ⋆ bene insomnes ducerent, nec dæmon iste malignari destitit. Nam postmodum alterius nouitij cappam destruxit, & famulo in coquina fratrum necessitatibus seruienti violenter librum satis pulchrum, in quo horæ canonicę continebãtur, cœpit, & in ollam bullientem iecit & totaliter destruxit: sicque tandem miser illæ dęmon abcessit, & fratres iam, velut laboriosas formicas, occultas & patentes vias perambulare finit.

Ioan. 8.

c. d. omit. f. legendũ penè.

dæmõ breuiarium projicit in ollam bullientem.

De vtilitate peregrinationis discretæ. De laude & fructu Christi passionem crebrò rumiminantium.

CAPIT. XI.

E*Xtra domum via satis recta & aperta ambulant, vt necessaria acquirant pascua*. Per quæ docet omnes viuentes collegialiter, seu ciuiliter, quòd extra locum suæ habitationis pro necessarijs ædificatoriè possunt egredi. Recta enim via, morum rectitudinem denotat. Aperta autem est extra domum via recta, quando iuxta Christi verbum, sic lux nostra coram hominibus lucet, vt videant opera bona & nostra, per quæ meritoria acquirimus

Mat. 5.

mus pascua virentia hæreditatis æternæ. Causa autem quare extra domum ambulant est, vt pascua necessaria acquirant, animarum moraliter intelligo, vel corporum. Quātumcunque enim quis vitam duxerit bonam & clausam, tamen sæpe opus est, vt pro victu vtriusque hominis sibi vel pro sibi commissis extra domum egrediatur. Si via recta tunc incedere gestiat, siue in via pedum fuerit, siue morum, non ambulent, præsertim sine teste socio, in abditis, vel vbi sordes esse consueuerant communiter, velut in angulis, alioquin spolij periculo se quis committit in rebus honorē vel thesaurum animæ concernentibus.

PIG. Dic quæso, si occurrit, aliquod miraculum nostro factum tempore, de bono fideli, qui extra suam habitationem prodeundo pro animæ vel corporis necessarijs, diuina gratia visitatus sit in hoc maligno tempore. *THEOL.* Duplex tibi pandam prodigium de vno Christi famulo diuinitus ostensum in suo corporali itinere. Nam nostro tempore fuit vir ille dignus memoria, de quo tibi in proprietate prima suprà retuli, qui ob amorem Dei genitricis, ob satisfactionem pro delictis, & vt Deo vacaret quietus, nonnunquam ad peregrinandum versus Aquisgranum de Nurenberga se deuotè dedit itineribus. Consuetudo præterea talis illi crebra extitit in itinere, vt inter prādium & cœnam, etsi siti graui premeretur, nullatenus tamen biberet, sed delectationi tali ob reuerentiam dominicæ passionis resignaret. Hanc autem afflictionē zelo diuini amoris assumptā, quia fortè naturæ debili nocere poterat, ita tandem miro modo temperauit diuina clementia. Siquidem in itinere tempore illo & hora qua sitis Dei seruū grauare cœpit, statim ore clauso quandā humecta-

Exemp. sitis diuinitus sedatæ in quodam peregrināte Nurembergensi. cap. 1.

tionem

tionem rorifluam ori ſuo infundi ſenſit, quam, quia hauſtus refrigerantis naturam * geſsit, mirãdo deglutire cœpit, & omnem ſitim ſibi extinxit, nec hoc ſemel tantum accidit, ſed quotidie, quando ſitis, vt præmittitur, ſanctum virum vexare cœpiſſet. Cumque hanc diuinam, vt præſumitur, recreationem plurimo tempore percepiſſet, adfuit infauſta quædam (vt ita dicam) illi dies & hora, in qua peregrinando, vt antea, verſus beatam virginem in Aquiſgranum graui vexatus æſtu, ſiti acuta tentatus eſt: affuit etiam pro tunc in ipſius itineris ſpatio, abſtinentiæ bonæ ipſius viri, maioris tranſgreſsionis fomentum, fons quidam amœnus & frigidus; quo viſo pugnare cœpit ingluuies cum abſtinentia, quæ etiam deuicta eſt, nam appetitui corporis ſatisfaciendo, bibit, & diuinum, quem prius ſuſceperat, hauſtum irrecuperabiliter pro tunc perdidit. *PIG.* Scire vellem cur Deus illi ſuo famulo ob tam parui (ſi credere audeo) exceſſus tranſgreſsionem, talem voluit conſolationẽ adimere? *THEOLO.* Reſponſum non aliud, quàm vt ſuprà prima proprietate dixi, accipito, quia eodem perpenſo cauſam quæſiti tui habebis. Audi aliud eidem Dei famulo impenſum beneficium. Eſt conſuetudo multum laudabilis multorum, ne dicam, plebeiorum vtriuſque ſexus in Alemania, verumetiam magnatorum & nobiliũ, ad minus ſemel die naturali in hora aliqua, ſummum humano generi impenſum beneficiũ Chriſti paſsionem meditari & rememorari, vt exinde Deo grati mala mundi ferant patientiùs, & virtutes operentur faciliùs. Hunc morem poſtquam Dei famulus audiſſet in ſermone cõmendari plurimum, cœpit ipſe eundem dietim proſequi deuotiùs, quo potuit. Admiratio autem quædã magna

reſt. pro geſtit.

Pia conſuetudo in Germania quotidie meditandi paſsionẽ domini.

tandem

tandem eum tetigit, videlicet, acerba & grandis quæ fuerit in Christo tristitia tempore quo patiebatur in die parasceues, qua admiratione sancta crescente postremò orationes ingeminare nō desinebat ad Christi clementiam, vt si sua voluntas esset, sentimentum aliquod perceptibile daret, in quo per experientiam viri simultatem dictæ amaritudinis legeret. Nec fraudatus est à desiderio suo bono: Nam die quadam, cùm iuxta consuetudinem de ciuitate Nurenbergæ exiret versus capellam Sancti Leonardi. satis prope muros dictæ ciuitatis iacentem, ad quam deuotorum hominum multitudo dietim solet confluere, constitutos in itineris dicti spatio meditabundus & sitibundus ad obtinendum id quod iam diu desiderauerat, inopinatè tantus dolor suo corpori, & tristitia illabebatur animæ, vt omnibus deficientibus viribus cogeretur solotenus cadere, seseque putabat illico animam è corpore perdere. Verùm quia istud diuinum munusculum communicationis dominicæ passionis non in habitu, & permanēter, sed solùm dabatur in passionis & transitus cuiusdam modo, idcirco resumptis viribus resedit, & vltimò surrexit, gratiùs deinceps & deuotiùs, immò & dulciùs Christi passionem mente reuoluendo. *Datur eidem experimentū doloris Christi in passione.*

PIG. Tria hic occurrunt dubia. Mihi enim constat quosdam terreri à Christi vita meditanda, præsertim vbi passionis eius fit memoria, turbulentū & tristem Christum per decursum vitæ suæ fuisse existimantes, naturaliter autem cum tristi diu quemquam morari tædet. Primò igitur quæro: An Christus qui vitam duxit perfectissimam, & semper via incessit publica, an inquam martyr sēper fuerit, qui passionem suam acerbissimam præuidit? Secundò, vtrum conuersationem lætam in *Tria dubia.*

vultu,

vultu, gestu, & verbo crebrò suis ostendit. Tertiò, anne aliquando riserit. *THEOLO.* Ad primum dico: martyr fuit, vt ita dicam, scientiæ infusæ notitia, sed non sensu doloris & experientia. Ab instanti enim conceptionis suę notitiam habuit omnium futurorum in superioribus animæ beatæ potentijs, vbi verbum vidit clarissimè & per infusam scientiam; sed hæc futura præagnoscere, sensualitatem non mouebant ad tristitiæ & doloris sentimenta, nisi appropinquante passionis tempore. Hoc vult S. doctor cùm in 3. dist. 17. quæst. vltima dicit. Quamuis mors à principio cōceptionis esset pręuisa, non tamen præuidebatur vt imminens, ideo dubitationem, id est formidinem affectus, non faciebat, sed solùm quando iam imminebat. Sic enim in nobis experimur timorem vel dolorem. Scit enim studens vitam iuuenis, omnium terribilium finem esse mortem ex dicto philosophi in 3. Ethicorum, & se moriturum, sed quia non eam imaginatur vt propinquam, sed vt distantem, ad tristitiam modicum vel nihil mouet: mouet autem in sensato sene esse & propinqua si sic præcogitatur. Ad secundum, reperio quod Christus in facie & in omnibus artubus sui corporis pulcherrimus fuit; pro maiori parte vitę, conuersando cum alijs, vultu hilari & iocundo incessit, & in verbis, affabilitatis, & eutrapeliæ virtutes perfectè ostendit. Primum patet ex sacra scriptura, ex sanctorum doctrina, ex approbata historia, & ex rationis id conuincitur industria. Nam secundum Hebreos & Latinos sacrę scripturæ expositores illud Psalmi de Christi humanitate ad literam exponitur. Speciosus forma præ filijs hominum, diffusa est gratia in labijs tuis, super quo B. Hieronymus in epistola ad Principiam virginem

Resp. ad 1 — *Thomas in 3. dist. 17. q. vlt. ad 5.* — *Arist l. 3. Ethi. c. 6.* — *ad 2.* — *Psal. 44.*

virginẽ dicit. Absque passionibus crucis pulchrior vniuersis fuit virgo de virgine, qui non ex voluntate viri, sed ex Deo natus est: Nisi habuisset, & in vultu occultasset lumen quoddam sidereum, nunquam eum Apostoli statim secuti fuissent, nec illi, qui ad eum comprehendendum venerãt corruissent. Idem super Matthæum dicit. Certè ipse fulgor diuinitatis occultæ, quæ etiam in humana relucebat facie, ex ipso primo aspectu discipulos ad se trahere poterat, sicut magnes lapis annulos & stipulas ac festucas sibi copulat. De vultus autem hilaritate ad literam tam secundum Iudæos, quàm iuxta Catholicos. Isaias, Isaiæ 42. de Christo sic prædicit: Non erit tristis, nec turbulentus. Vbi glossa: Semper hilaris, semperque iocundus fuit. Et ibidem B. Hieronymus dicit: Denique iuxta prophetiam Isaiæ, non tristis neque turbulentus fuit, sed æqualitatem vultus omni tempore conseruauit. Quod in falso Philosophi gloriantur de Socrate, nunquam scilicet eum, plus solito, tristem aut lętum fuisse. Idem ponitur in glossa super Matthæi 12. vbi Christus præfatum textum Isaiæ 42. appropriat in multis sibi, & prælibata verba Isaiæ, vitio scriptorum omissa esse denotat, vnde & sanctus doctor ibidem sic commentatur de Christo: Non erit tristis in corde, nec turbulentus in facie, semper enim hilaris, iocũdusque fuit, æqualitatem mentis seruans: etsi quantum ad partem sensibilem fuerit propassio tristitiæ, non quidem necessitatis, sed voluntatis: vnde Matth. 26. Tristis est anima mea vsque ad mortem. Hinc B. Bernardus in persona pœnitentium sermone de sancto Martino, comparando Christi benignitatem ad duritiam sæculi sic dicit: Dominus Iesus libentius mecum, quàm ego secum esse dignatur,

Hieron. ad Princi. de explicat. Psal. 44.

Hieron. in c. 9. Mat.

Gloss. interlin.

Id habet Gloss. ord. ad c. 42. Isa.

Thomas super Isa. cap. 42.

Bernardus.

quem inuenio quotiens quæro, qui occurrit cum panibus fugienti, qui vultum lætum mihi ostendit, qui meam pœnitentiam, sicut innocentiam, amplexatur, vbique lętus, vbique bonus, vbique pius, vbique dulcis cum magna multitudine dulcedinis: non facit supercilium, oculos non obliquat, nec retorquet faciem, nec verba resonat ampullosa: sed occurrit reuertenti, & accurrit in amplexus flens super collum meum, & iubet proferri stolam primam. Hæc Bernardus, & alia similia

Luc. 15. de filio prodigo cum suo patre adducit proposito. Historia pręterea de Abagaro rege authēticata scriptis Iuonis Carnotēsis, epistola Adriani ad Carolū & sententijs Ioannis Damasceni lib. 4. de imagine gratiosissima saluatoris, ab eodem, linteo impressa, prælibata confirmat Rationibus etiam idē conuincitur in sacro eloquio fundatis, & in morali philosophia. Nam ea quæ immediatè à Deo manant, secundum Chrysostomum, excellunt alia sui generis, vt in Adam creato & Eua, in vino per Christum de aqua facto, & similibus patuit. Sed Christi humanitas immediatè à spiritu sācto creata & facta est. Insuper, secundum omnes nostræ sophiæ professores, Christus omnes virtutes habuit, quæ imperfectionem non includunt, sed affabilitas seu amicitia est vera, ac specialis & perfecta virtus, nullam imperfectionis notam includēs, vt probat sanctus Thomas 2. 2. q. 114. qua affabilis quis est debitè proximo: de qua Sapiens mandat Ecclesiastici quarto. Congregationi pauperū affabilem te facito: immo pars est iustitiæ, quia homo naturaliter est animal sociale, ideo debet ex quadam honestate veritatis manifestationem alijs. Sicut autem homo non posset viuere in societate sine veritate, ita nec sine delectatione, quia sicut

Damascenus lib. 4. orthodo. fid. c. 17.

Ioan. 2.

Thō. 2. 2. q. 114. art. 1.

sicut Philosophus dicit octauo Ethicorum: Nullus potest per diem morari cum tristi, nec cum non delectabili: Ideo tenetur ex debito quodam naturali honestatis homo, vt alijs hominibus delectabiliter conuiuat, nisi propter aliquam causam necesse sit aliquando alios vtiliter contristare, vt in correctione pro peccatis (sicut Apostolus 2. Corinth. 7.) pronis ad peccatum, non hilarem vultum ostendendo, sicut Ecclesiastici septimo: Filiæ tibi sunt? serua corpus illarum, & non ostendas hilarem faciem ad illas. Ergo ad sapientem pertinet, vt delectationem adferat conuersantibus, nō * lasciuam, quam virtus cauet, sed honestam, secundum illud Psalmistæ. Ecce quàm bonum & quàm iocundum habitare fratres in vnum. Hæc de Thoma. Hinc est, quòd Pharisæis Christi discipulos, immo magistrum calumniantibus, Lucæ quinto, dominus ait: nūquid filios sponsi potestis facere ieiunare dum cum illis est sponsus? Venient autem dies, cùm abbbatus fuerit ab illis spōsus, ieiunabunt, ieiunio, scilicet exultationis, nō afflictionis, secundum glossam. Lucæ decimo, ait euangelista, exultauit Iesus spiritu, & dixit: Cōfiteor tibi Pater &c. Quæ Cirillus, Albertus magn⁹ & Hugo de Christi humanitate exponūt. Immo virtus eutrapeliæ, qua quis bene scit cōuertere aliqua dicta vel facta in solatiū (vt in quarto Ethicorum ponit Philosophus, & sanctus doctor secunda secundæ quæstione 168) à Christo neganda esse, non apparet. Dicit propterea Origenes. Venit traditio talis ad nos de Iesu, quoniam non solum duæ formæ in eo fuerunt, vna secundum quam omnes eum viderunt, altera secundum quam transfiguratus est coram discipulis in monte, sed etiam vnicuique apparebat secundum quod fuerat dignus, sicut &

Arist. li. 8. Ethi. c. 5.

* rest. ex orig. pro lasciuiam

Psal. 132.

Gloss. ord.

Arist. li. 4. Ethi. cap. 8.

Thō 2. 2. q. 168. ar. 2.

Origenes trac 35. in Math. sub med.

Sap. 16.

cut &

cut & de manna scriptum est, quod habebat saporem ad omnem vsum conuenientem. Ita etiã hodie diuersimodè à diuersis videtur mentibus. Vnde Cassianus colla. abbatis Isaac. 2. Secundum naturam puritatis suæ vnaquæque mens in oratione seu contemplatione sua erigitur vel formatur, tantum scilicet à terrenarum ac materialium rerum contemplatione discedens, quantum eam status suæ prouexerit puritatis, feceritque Iesum humilem hominem adhuc & carneum, vel glorificatum, & in maiestatis suæ gloria venientem, internis obtutibus animæ peruideri. Ad tertium dubium de risu cautè loqui oportet & intelligere, ne imperfectio aliqua perfectioni summæ asscribatur. Reperio igitur in sacro eloquio risum triplicem. Vnum virtuosum; Alium deliciosum, seu iocosum: Tertium perniciosum. Perniciosus est, quo quis per ineptam lætitiam ad peccatum mortale declinat cum rationis consensu deliberato: de quo veritas Lucæ sexto ait. Væ vobis qui ridetis nunc, quia lugebitis & flebitis. Vbi beatus Basilius. Superfluus risus est immoderantiæ signum, & effrenis animæ motus. Vbi etiam dominus peccato væ addit, secundum doctorum communem doctrinam, criminale peccatum adesse Christus innuit. De quo Prouerb. 2. dicitur. Lætantur cum malè fecerint, & exultant in rebus pessimis. Deliciosum verò, qui ad tales consensus metas non peruenit, sed ex inordinata animi lætitia procedit, sicut de risu Saræ legimus. Genes. 18. quę audito conceptu ex senibus, disceptando de Dei oraculo (vt glossa dicit) risit, quamobrem etiã ab angelo correpta fuit, quia fidem nondum de eius verbis habuit. Vnde & beatus Augustinus, ibidem dicit in glossa, quod risus fuit dubitationis, non admirationis solum: Quale peccatum fortè

Cassian. colla. 2. abb. Isaac cap. 6.

Ad 3.

Triplex risus.

Basilius.

Gloss. interl.

Gloss. ord.

beatus Augustinus ridendo commisit, quando poma quędam iuuenis existens substraxit alijs: de quo lib. confessionum dicit. Risus erat quasi titillato corde, quòd eos fallebamus, qui hoc à nobis fieri non putabant, & vehementer nolebant. Nemo autem solus facilè ridet, nisi cùm aliquid nimis ridiculum sẽsibus occurrit,* vel animo: vel saltem risus perniciosus hic fuit. De quibus duobus risibus Seneca lib. de quatuor virtutibus dicit: Reprehensibilis est risus, si est immoderatus, si pueriliter effusus, si muliebriter * factus. Odibilem quoque facit hominem risus, aut superbus & clarus, aut malignus, aut furtiuus, aut malis alienis euocatus. De secundo risu dicit B. Basilius in regula. Incontinẽtiæ signũ est, inordinatis & incõpositis moribus agere in risu, cùm vtique subridendo tantummodo lætitiam oportet indicari. Indecorum est enim trepidantem cum sonitu eleuare risum, quod per incontinentiam mentis accidere solet etiam inuitis; quæ res grauitatem & constantiam animæ emollire ac resoluere solet. Qui risus quàm alienus esse debeat à religiosis, ostendit exemplum in vitas patrum, vbi dicitur: Patribus in charitate manducantibus, risit vnus ad mensam, quem videns abbas Ioannes amarè fleuit, dicens: Quid putas frater iste habet in corde? qui risit, cùm magis flere deberet, quia charitatem manducat. Virtuosus autem risus est quem Seneca, vbi supra, sic describit fiendum. Non, inquit, sit risus tuus scurrilis, sed grata vrbanitas. Sales tui sine dente sint, ioci sine vilitate, risus sine cachinno, vox sine clamore. Talem lætitiam, vel vt Basilius ait, subrisum fuisse affirmat B. Bernardus in sancto Malachia episcopo. Quid, ait, non ædificat in eius incessu, aspectu, habitu, vultu? denique

Augustinus li. 2. conf. c. 9.

adieci vel ex orig.

Seneca.

orig. fractus.

Basil in regulis fusius disp interrog. 17. quò videtur respicere.

Vita Patrum.

Bernardus.

vultus hilaritatem non fuscitauit mœror, nec læuigauit risus, totum in eo disciplinatum, totum insigne virtutis, perfectionis forma, per omnia seriosus, sed non austerus, remissus interdum, dissolutus autem nunquam, negligens nihil, etsi pro tempore multa dissimulans. Talem se fuisse testatur B. Iob tempore prosperitatis. Iob 29. Si quando ridebam ad eos, scilicet cum quibus conuersabar, non credebant, & lux vultus mei non cadebat in terram. Super quo S. doctor dicit. Hoc ostēdit quia erat in conuersatione moderatus, nec enim dissoluebatur ad eos in gaudio, vnde dicit: Si quando ridebam ad eos, scilicet aliqua signa lætitiæ ostendens, non credebant, sc. me esse risibilem. Et similiter etiam nō erat per tristitiam depressus, vnde subdit: Et lux vultus mei non cadit. Solent enim homines mœrore depressi oculos dimissos ad terram habere. Et dominus Albertus super eodem dicit. Si quando ridebam, ait, quia ad eos exhibens hilaritatem, quod aliquando faciendum est, vnde Ecclesiastici 4. Noli esse sicut leo in domo tua euertens domesticos tuos. Non credebant, sc. quod risus vt risus esset, sed quod esset hilaritas benignitatis magna maturitate modesta, nihil habens ineptiæ, secundum illud Ecclesiastæ 2. Risum reputaui errorem, & gaudio dixi, quid frustra deciperis? Et hoc explanat idē subdens: Lux vultus mei in hilaritate significata non cadebat in terram, hoc est, in conculcationem, sicut lux eorum, qui ineptas habent lætitias & dissolutas, de quibus dicitur Sapientiæ 14. Dum lætantur insaniunt. Virtuosum hunc risum Abraham habuit, de quo Genes. 17. dicitur: Cecidit Abraham in faciem, & risit, dicens in corde suo: putésne centenario nascetur filius, & Sara nonagenaria pariet? Super

Thomas in c. 29. Iob.

Albertus ibidem.

Super quo glossa. Gauisus est, vnde Isaac risus vocatur. Sequens autem applaudendo dixit, non disceptando. Et vt ibi Augustinus cap. 18. dicit: Hic risus admirationis fuit, non dubitationis: vnde ab angelo non hic, sed Saræ risus reprehensus est. Ad tertium igitur quæsitũtuum ex tertio risu virtuoso recipere poteris, * qui pro quanto perfectionem importat, à Christo non est negandus. Sed quia plus prodest aduersa quàm prospera fortuna, teste Seneca, & teste propheta, à latere sinistro, aduersitatis, sc. cadunt tantum mille, vbi decem milia cadunt à dextris prosperitatis, Christus paupertatem elegit, & pœnitentiæ opera, fleuisseque legitur, non quin pręfata sanctorum dicta de eo locum omnino habeant, vt præmittitur.

Gloss. inter.
August. in gloss. ord.
sc. responsum.
Psal. 90.

PIG. Contentus sto, & prout ex superioribus conijcio res magni profectus est, & virtutum materia sæpe, & multum meritorium dominicam meditari passionem, & tamen nonnulli litteratorum reperiuntur, qui contrarium huius suadent: aut ad illam quam laudas meditationem, nec exclamatorijs, nec priuatis sermonibus fideles Christi trahere nituntur. *THEOLO.* Imperfectum meum fateor, veriùs præsumptionem & stultitiam: diebus enim aliquibus & temporibus meditationes tales non magnipendi apud me, & alios, vt debui: sed Christi verborum immemor & sanctorum autoritatibus, omisi in me, & in proximo, de quo doleo. Doctus sum etiam cum confusione mea tacitùs, quàm meritò multum dolere de neglectis deberem, quia reuera à generosis, & à simplicibus, à doctis, & à secularibus, ab oppidanis, & à ruralibus, ab his, inquam, quos omnes, ni fallor, summam expertus sum deuotionem acquisisse in Christi passione, didici quàm fructuo-

ſum illud ſit memoria reuoluere quod Chriſtus fieri mandauit, Apoſtolus docuit, & ſanctorum auctoritas authenticauit. Hæc, inquit, quotieſcũque feceritis, videlicet, conſecrando, vel ſumendo ſacramentum dominicum, in mei memoriam facietis, vt Eccleſia in Miſſæ habet officio, & à Chriſto ſumptum eſt. Vnde prima Corinth. 11. Apoſtolus dicit, poſt Euchariſtiæ primam traditionem Chriſtum dixiſſe Apoſtolis: Hoc facite quotieſcunque bibetis, in meam commemorationem: quotieſcunque enim manducabitis panẽ hunc, & calicem bibetis, mortem domini annuntiabitis, donec veniat. In eiuſdem etiam laude ita dicit Sanctus Thomas in 4. diſt. 7. quæſt. 1. art. 3. Confeſsionis fidei Chriſtianæ tota ſumma conſiſtit in paſsione Chriſti, vnde Apoſtolus 1. Corint. 2. Non iudicaui me ſcire aliquid inter vos, niſi Ieſum Chriſtum, & hunc crucifixum. Cuius articuli confeſsio maiorem habet difficultatem: quia ſicut dicitur in eadem epiſtola 1. cap. Nos prædicamus Chriſtum crucifixum, Iudęis quidem ſcandalum gentibus autem ſtultitiam. Hæc Thomas. Præterea idem in 2. 2. q. 82. vbi tractat de deuotione, concludens quod tria ad deuotionem cauſandam sũt accommoda, videlicet, Dei gratuitum donum, conſideratio propriorum defectuum, & contemplatio, ſiue meditatio de diuinis, ſic contra vltimam cauſam arguit. Si contemplatio eſſet propria, & per ſe cauſa deuotionis, oporteret quod ea quæ ſunt altioris contemplationis magis deuotionem excitarent: Huius autem contrarium apparet, frequenter enim maior deuotio excitatur ex conſideratione paſsionis Chriſti, & alijs myſterijs humanitatis ipſius, quàm ex conſideratione diuinæ magnitudinis. Reſpondet. Ea quæ ſunt

Luc. 22.

S. Thomas

Idem 2. 2. q. 82. art. 3.

ſunt diuinitatis, ſunt ſecundum ſe maximè excitantia dilectionem, & per conſequens deuotionẽ, quia Deus eſt ſuper omnia diligendus: ſed ex debilitate mentis humanę eſt, quod ſicut indiget manuduci ad cognitionem diuinorum, ita etiam ad dilectionem per aliqua ſenſibilia nobis magis nota, inter quæ præcipuè eſt humanitas Chriſti, ſecundum quod in præfatione dicitur. Vt dum viſibiliter Deum cognoſcimus per hunc in inuiſibilium amorem rapiamur. Et ideo ea quæ pertinent ad Chriſti humanitatem per modum cuiuſdam manuductionis, maximè deuotionem excitant, cum tamen deuotio principaliter circa ea quæ ſunt diuinitatis conſiſtat. Hinc venerabilis Beda ſuper illud Matthæi 16. Tu es Chriſtus filius Dei viui, ſic dicit. Si Apoſtolo Paulo ſatis eſt nihil ſcire niſi Ieſum Chriſtum, & hunc crucifixum; quid amplius mihi deſiderandum eſt ſcire quàm Chriſtum? In vno enim hoc nomine & diuinitatis, & incarnationis, & fides eſt paſsionis. Complexus eſt itaque omnia, qui & naturam & nomen expreſsit, in quo ſumma virtutũ eſt. Sed quo protelabor longius? finis fidei meæ Chriſtus eſt, finis fidei meæ filius Dei eſt, in quo, ſcilicet, ingrediendo & egrediendo moralis formica paſcua inueniet. Beda.

De præparatione cibi ſpiritualis, de duplici dulcedine diuinæ gratiæ, quæ aliquando in Euchariſtiæ ſumptione, aliquando in alijs exercitijs percipitur, & de mirabilibus naturalibus quæ videntur eſſe miracula.

CAPIT. XII.

Non-

NOn more apum sibi formicæ cibum faciunt, sed à Deo, & à natura cibos donatos recondunt. In primis contemplatiuorum, in secundis verò refectio & labor actiuorum datur intelligi. Panis enim iste, de quo Lucæ 14. dicitur, Beatus qui manducat panem in regno cælorum, à quibusdam sollicitudine quasi propria & labore acquiritur, vt à doctoribus sanctis, & prælatis prudentibus, qui conatu sibi à natura indito, non tamen sine Dei instigante gratia. operibus bonis insistunt. De quali cibo Ecclesiastici 14. dicitur. Ante tuum obitum operare iustitiam, quoniam non est apud inferos reperire cibum. A quibusdam verò incipientibus & imperfectis mentis recreatio cum labore modico plus reperitur, quàm fatigatio præpararetur. De eòdem & priori Prouerb. 13. dicitur. Multi cibi in noualibus patrum, & alij congregantur absque iudicio. Est enim (vt tactum est suprà circa finem primi capituli) mentem consolans gratia Dei seruis collata in via, vna gratum faciens, quæ à quibusdam in modico, vel in nullo aliquando percipitur sensibiliter. Alia est gratia gratis data, in qua diuina dulcedo sensibiliter acquiritur Dei solius munere, sine merito præuio. Primam potientes sine secunda sępe sub virtutum & tentationum statu laborant grauiter, sed meritoriè plurimum: sicut Christi Apostoli ablato sponso luxisse reperiuntur. Secundi verò impugnationibus non quassantur pro tunc grauibus, sed cum gaudio diuinæ consolationis minus merentur cæteris paribus, velut saluatoris discipuli, qui in pręsentia sponsi lugere nequibant.

Matth. 9. *PIG.* Da peto, exemplum de secundis, de primis enim est commune. *THEOL.* Noui aliquem militem, Boarum nomine, generosum multum,

Exempl. Boari militis conuerſi ſentientis miram dulcedinẽ in Euchariſtiæ ſumptione.

tum. & etiam apud ſæculum prudentem virum in Herbipolenſi diœceſi, qui mihi ſatis familiaris fuit & notus, & quæ ſequuntur, vt ſibi conſulerẽ, patefecit. Cùm enim fuiſſet aliquando iuuenis cũ filijs procerum, ſatis malè in quibuſdam educatus eſt, non verbum Dei, ſed fiſtulatores audire conſueuit, prudentum & grauium virorum ſocietates fugit, & verba blaſphemiam Dei notantia vix aut nullatenus in ore continere potuit. Venit interea tempus, quo pro acquirenda militia ire debuit ad terram, quam Dei filius ſuis cruore & pedibus conſecrauit. Vbi cum alijs peregrinis per loca varia in quibus Chriſtus paſſus eſt, deductus eſt, & ab alto tunc per Dei gratiam viſitari cœpit. Nam quaſdam orationes crebrò ob Dei reuerentiam dicere propoſuit, & miles effectus in terram propriam redijt, vbi in virum alterum eſt mutatus. Ex prædicationum enim auditione diſcere cœpit, quòd long[illegible]ſſet à Deo, & an militando antea in diuerſi[illegible] proximis nocuiſſet in mundo: Confeſsi[illegible]amentalem omnium facinorũ ſuorum fec[illegible]pro loco & tempore læſis ſecundum prudentum conſilia ſatisfecit. Deinde non modò vt antea ſemel, ſed bis in anni ſpatio Euchariſtiæ ſacramentum ſuſcepit. Quo facto in ſecunda communicatione etiã deglutita iam ſacrata hoſtia, quendam inſolitum percepit ſaporem dulcem quidem, & prout coniecturare potuit, ſimilem habentem odorem panis frumenti nouiter & optimè depiſti, ſed cùm de hoc miraretur, & cogitaret cibo ſumpto materiali talem ſaporem & odorem debere recedere, illud non ſtatim euenit, ſed longo temporis tractu poſtea continuauit præfata perceptio, quæ tamen poſtremò deſijt. Cœpit interea ſequenti anno trina vice Euchariſtiam ſumere,

mere, in feſtiuitatibus videlicet maioribus, & in qualibet communione ſe ſapor & odor prædicti augmentauerunt in perceptibilitate & in cõtinuatione, quouſque deuenerunt ad tantam ſuauitatem, quòd nulli rei dulci & ſuaui ea comparare poterat. Verberatus eſt interim Dei iam miles in ſua conſcientia, vnde hæc ſentimenta prouenirét, annè à Dei munere, vel ab hoſtis antiqui verſutia. In vitijs enim ſe habituatum eſſe ſciuit, licet contritum iam ſe eſſe crederet de peccatis, quæ omnia animo reliquit: vnde teſtimonium conſcientiæ ſe habere non vidit de tam inſolita percepta dulcedine quòd à Deo eſſet. E diuerſo verò, operationem dæmonis adeo appropinquare Euchariſtię effectui, vix animo concepit. Cumque diu in hac nutaret ambiguitate, euenit, Deo diſponente, tempus quo ſermonem à quodam litterato audiuit, diſtinguentem inter virtuoſam dulcedinem, quæ aliquando non ſentitu[illegible]ſtu, ſed percipitur ſolùm in vitiorum, q[illegible]t, fuga, & inter ſenſibilem dulcedinem, q[illegible]ptibiliter animum iocundat nonnunquam[illegible]rpus, qua dotantur & cibantur ideo aliquando debiles & infirmi à Chriſto, ne à cœptis deſiſtant ſanctis pœnitentiæ operibus. Quo audito miles ſe eſſe de ſecundo genere hominum coniecit, & deinceps acrioribus virtutum operibus operam dedit. Prius enim à multis quęſiuerat ſecretò prudentibus, quid de ſentimento prædicto tenere deberet, ſed tãtummodo, vt tactum eſt, viro plenè reſponſum fuit in prædicatione publica. Noui præterea quãdam aliam virginem Adelheydim nomine, quæ in loco villagij valde ruſticano nõ lõgè ab Iſnenſi opido Conſtãtienſis diœceſis nata fuit, & diuinitus vocata à primo iuuentutis flore. Nã ſeptennis paren-

Exemp. Adelheydis virginis miras diuinitus conſolationes recipientis.

parentum pascens pecora, à coætaneis, solo tamen nutu, nonnunquam procabatur amatoribus, vt in illa ætate ab insolentibus pueris de longinquo solet fieri; sed illa statim, vt dolum affuturum sensit, ad orationis fugit tutamen flectendo genua, & manus ad suũ sponsum, quem elegerat, leuando: sicq; tentatorũ fugit omniquaque ad malum machinatio. Veniẽdo proinde ad annos nubiles magnã dulcedinẽ in diuino obsequio, in orationibus sensit, & priuatis meditationibus, quæ sibi exercitia deuota corporis quo ad Deum, & laborẽ in domo, & in agris adeo fecerãt leuia, vt opera perficeret improportionata feminæ viribus. Nam per totam quadragesimam strictè ieiunabat, pisces & oleũ nunquam, & minimè butyrum gustabat, interim in agris sulcos, qui à vomere linquebantur, post aratrũ instrumento ferreo diuidebat, in quo maximus consistit labor, & siquidẽ terra ibi culturę tam inidonea erat, vt aratrum seminibus sufficienter non præpararet, nisi pręsulcetur terra iteratis vicibus vomere, & nisi postremò sulci diuidãtur, quorũ tamen partes adhuc, velut glutẽ, sibi cohærẽt mutuò. Tẽpore hyemali, quando omnia cõgelantur strictissime, post diurnos labores durissimos, virgo ad horã & vltra sæpe tã diu coram lectulo orabat, quousque plãtæ pedũ, antea in stabulo, vel apud pecora madefactę, in calceis eisdem congelatę adhærerẽt tam validè, vt solutæ à calceis cutẽ virginis excoriarẽt sępius. Quæ õnia sibi facilia reddebat diuina, quã tũc sensit, cõsolatio in suis meditationibus. Tandẽ verò circa annũ suũ vigesimũ quartum ciuitatẽ Isni intrauit vna cũ tribus sororibus, quas cõseruabat in castitate virgines, & ibidẽ tantã aggregauit virginũ aliarũ multitudinẽ, vt in opido propè modico quinquaginta virgines


essent

essent in medio sæculi deuotissimè Deo seruiẽtes, cum proposito ita perseuerandi, earumque mater effecta est, & demum feliciter prope annum quadragesimum vitam hanc resignauit morituram. *PIG.* Cur per hunc librum iam multa viderìs Dei seruorum dixisse miracula? Nunquid naturales & philosophi, eisque experimentatores similes aliqua mira sciunt facere miraculorum typum gerentia? *THEOL.* Sciunt quidem, & multi talibus abutuntur, aut ad curiositatis, aut ad auaritię vitium, licet sint merè naturalia: vt de albo lapide, qui Aimast dicitur, de quo sic dicit dominus Albertus libro suo de causis proprietatum elementarium lib. I. trac. & ca. 10. Quod, inquit, mirabile, est & lapis quidam albus, cuius nomen est Aimast, qui attrahit ignem ex magna longitudine, & sequitur eum ignis, & inflammatur in ipso, & faciunt cum illo deceptores sacerdotes lampades ad aras, quas per seipsas dicunt accendi, & sic deludunt populum simplicem. Sequitur autem ignis Aimast album vbicunque oppositus fuerit ei, siue superius, siue inferius, siue à dextris, siue à sinistris, & hoc pro certo est, quia lapis ille spirat quasi spiritum sulphuris, quo spiritu sic ignis ad locum attrahitur, nec tantum attrahitur, sed etiam mouetur ignis ad ipsum, siue ad rem in qua est locus eius naturalis secundum aliquid, sicut magnes locus generationis ferri: Hæc ille. Sic quidam lanam quandam circumferunt, quæ in igne ardet, quam quidam Salamandræ serpentis, alij lanuginem plantæ cuiusdam asserunt esse. Sed Albertus lib. 22. de neutris se esse expertũ dicit, sed expertus sum, inquit, quod est lanugo ferri, vbi enim magnæ massæ ferri cõfabricantur, aliquando scinditur ferrum, & euolat vapor ignis, & cum ille

Albertus magnus mira refert de lapide Aimast, & alijs quibusdam.

ille capitur panno, vel manu, vel per ſe adhæret tecto fabricæ, & eſt ſicut lana fuſca, & aliquando alba eſt: & quod de illo fit, & ipſa lanugo non aduritur igne, & hoc trutanni dicunt eſſe lanam Salamandræ. Hæc Albertus. Item idem dicit de lapide Albiſton lib. ſuo mineralium quod ſemel accenſus multis annis ardet, propter vnctuoſum connaturale. Item ponit inde regulam, & plura de corylo, cuius partes diuiſæ, ſe naturaliter reuniũt: & plura ſimilia & experimenta ſunt, quæ ſimplicibus miracula, vel ſuperſtitiones eſſe videntur, & tamen apud ſapientes ſciuntur eſſe naturalia ſolùm.

Finis libri primi.



Liber Secundus.

QVOD REVELATIONIBVS quis credere potest bene probatis: Quòd simplicibus aliquando & feminis tanquam aptioribus aliqua reuelantur, & de Magistri Vincentij laudibus.

CAPITVLVM I.



E verisimilibus bonis reuelationibus arridet alius duodenarius de formicarum proprietatibus. *Quarum prima est in differentia motuum, quia quædam repunt tantummodo, aliæ alas acquirunt, aliæ volant.* In quibus triplicem vitam iustorum innuit, actiuam, contemplatiuam, & doctrinalem, siue informatiuam. In actiua enim vita degentes quia corporalibus & terrenis negotijs miseriæ & necessitatis insistunt, idcirco in huius mundi exilio quasi in terra repunt. Contemplationis autẽ studio se dantes pro viribus, ⋆ qui spiritualibus & cœlestibus bonis inuigilant cum columba, cuius pennę deargentatę, & posteriora dorsi eius in pallore auri ad superna tendunt. Sed doctrinalem vitam habentes ex vita & officio, puta, qui contemplata alijs per documenta tradunt, non modo pennati, sed volantes meritò dicuntur, & vitam Aposto-

c. d. addit sunt.
Psal. 67.

Apostolicam ducunt: de quibus propheta admiratur Isaiæ 60. dicens. Qui sunt isti qui vt nubes volant, & quasi columbæ ad fenestras suas? *PIG.* Te dicturũ de reuelationibus bonis nũc exorsus, in quo satis vereor & ambigo, annè ridiculo te in prospectu pluriũ expones, quàm vtilitati quorundã deseruies; quid, inquient, opus est reuelationib⁹ modernis stylo insistere cùm in sacris scripturis, & per studiosos in sanctorũ doctorũ commentis omnia quæ necessaria sunt, expressa sint? Semel inquit Iob 33. loquitur Deus, & secundò idipsũ non repetit. vbi interlinealis glossa dicit: Deus singulis priuata voce non respõdet, sed eloquiũ condidit, quod õnibus satisfacit, & glossa marginalis addit. Heliu prę̨uidens quòd scripturã sacrã dominus cõdiderit, & in ea publicis vel occultis cunctorum quæstionibus responderit, ait: Semel locutus est Deus, & idipsũ non secundò repetit. Propterea si quis de agibili aliquo dubitat, an prosequendũ sit vel exequendũ, lumẽ intellectus agẽtis id poterit ostẽdere in creatione animæ dudũ infusũ, de quo secũdũ multos propheta loquitur, vbi dicit: Multi dicunt, quis ostẽdit nobis bona? & respondit: Signatũ est super nos lumẽ vultus tui domine, dedisti lætitiam in corde meo. Terrere fortaſsis etiam nõ debet modicum, quòd in nouiſsimis quibus inuenimur istis diebus, in quo instant tempora periculosa reperiuntur feminæ, sexu fragiles & mobiles animo, frequentius visiones habere, quã viri natura fortes, & mente stabiles. *THEO.* Qui obseruat vẽtũ, (ait Salomõ prudẽtiſsimus Eccl. 11.) non seminat, & qui considerat nubes, nunquam metet. Ergo subdit: Manè semina semen tuum, & vespere non cesset manus tua, quia nescis quid magis oriatur, hoc an illud, & si vtrumque

Gloss. ord.

Psal. 4.

2. Tim. 3.

ſimul, melius eſſet. Cuius hæc, vt gloſſa innuit, ſententia eſt. Qui metuit perſecutionem aduerſariorum, qui per ventum poſſunt intelligi, nunquã meritoriè ſeminat verbo nec facto: & qui ad adulationes blandientium timet, quæ per nubes ſignantur, nunquam vitam æternam metit. Peruerſi, inquit idem, difficilè corriguntur, & ſtultorum infinitus eſt numerus. Eccl. 1. paucique valde ſunt, vt videmus, qui ſpiritualia ſectantur toto ex animo. Aptè etiam Apoſtolus 1. Corint. 2. tibi reſpõdet, vbi dicit: Nos non ſpiritum huius mundi accepimus, ſed ſpiritum qui ex Deo eſt, vt ſciamus quæ à Deo donata ſunt nobis, quæ & loquimur, non in doctis humanæ ſapientiæ verbis, ſed in doctrina ſpiritus, ſpiritualibus ſpiritualia comparantes. Animalis autem homo non percipit ea quæ ſunt ſpiritus Dei: Stultitia enim eſt illi, & non poteſt intelligere, quia ſpiritualiter examinantur. Et lucidius 1. Theſſal. vltimo dicit. Hæc eſt voluntas Dei in Chriſto Ieſu in omnibus vobis: Spiritum nolite extinguere, prophetias nolite ſpernere, omnia autem probate, quod bonum eſt tenete. Per hæc ad primam tuam obiectionem reſpõdeo. Vbi ſacras ſcripturas, & eius expoſitores doctrinam omnem & difficultates quęſtionum continere affirmas, verum dicis, ſed non omnis fidelium plebs hæc cordetenus nouit, nec diſcere poteſt in libris, nec doctores habet vbilibet, nec tempore neceſſario ſemper. Num ergo his opus eſt diuina clementia ſuccurrere, & vnctionem eis ſubmittere ab alto? vt latè ſatis oſtenſum eſt ſuprà 4. cap. libro procedenti. Non enim minor eſt Dei potentia & miſericordia, imo in effectu latior nunc, quã in teſtamenti veteris obſeruantia, præſertim vbi cordis adeſt, ſine peccato graui, puritas, vel tempore

Gloſſ. interlin.

pore oportuno, si id exigit necessitas, secundum illud Isaiæ 59. Ecce non est abbreuiata manus domini, vt saluare nequeat, neque aggrauata est auris eius, vt non exaudiat, sed iniquitates vestræ diuiserunt inter vos & Deum vestrum, & peccata vestra absconderunt faciem eius à vobis. Historiam audi, quam nec ea negauit quęsita virgo, quam tota Basiliensis ciuitas habet pro viuo sanctuario Adelheydin de Mulberg. Huius enim parentes fuerunt simplices plebei, & deuotione pleni ciuitatē præfatam inhabitantes: habuerunt autem tres infantes liberos, præfatam Adelheydim, & Catharinam, ac Ioannem suum fraterculum. Contigit ibidem quodam tempore quo de habitatione pristina ad domum aliam migrabant inhabitandum, tres pueros antefatos circa primum constitutos septennium, hortum nouæ inhabitationis statim intrare, & puerili more quisque puer arborem vnam amplexatus est, eam dicens esse suam, quam singuli deinceps speciali prosequebantur fauore. Eodem igitur anno cum iam arbusta vernali tempore virere inciperent, contra naturalem morem ligni, de qualibet arbore flosculus alterius speciei oriri cœpit & florere. De prima quidem albi coloris flos, quæ erat appropriata, vt præmittitur, Catharinæ, de secunda, quæ alterius sororis extitit, similis coloris flos albus: de tertia verò, quam Ioannes sibi appropriauerat, rosa procedebat amœna. De quo spectaculo multi satis admirabātur, quid sibi hæc prænosticarent futuri. Vitę autem sanctitas, si in prædictis inspicitur subsecuta pueris, florum istorum prophetiam declarat. Nam ambæ sorores virginitatis nitorem seruauerunt illibatè: Prima quidem vsque ad tertium prope septennium, in quo feliciter migrauit ad dominū.

Exemp. de tribus floribus natis in tribus arboribus, designantibus virginitatem seruaturos duas sorores cū fratre.

Altera hodie viuit ferè nonagenaria, omnium virtutum, & virginum spectaculum. Frater verò quē cum virginitate, & in æquipollenti martyrio credo intrasse feliciter sepulchrum, factus est calceator, in qua arte, cuius etiam suus pater Mulber cognominatus extitit, familiam præfatā nutrire meruit vsque ad vigesimum suum circiter annū in quo à quodam sancto viro, fortè futurorū pręscio, vocatus est ad scholas, in quibus nō sine derisione multorū infra bienniū in artibus liberalibus, tātū profecit tā Basileę, quàm in vniuersitate Pragensi, vt iam coætaneum, & in prædictis artibus similē vix haberet. Redijt deindeà generali studio, & in conuentum Columbariensem post nostri ordinis ingressum venit, quem in multis locis reformari procurauit, & tam deuotus prædicator tandem effectus est, vt Germania sibi parem pro tunc non haberet. Imperterritè enim & animosissimè vitia correxit, & ob id dudum, & longè satis vexatus à personis varijs, postremò in longa quā pręoptauerat ægritudine feliciter, vt spero, cum martyrij quodā merito ab hac luce discessit. De qua historia stylum ideo laxo liberiùs, quia socius itineris sępe esse merui huius sancti viri, & hodie viuētis suę sororis notitiam magnam in bono habeo & habui. *PIG.* Quia tibi placet reuelationes aliquas referre, expedit vt exprimas in quo certitudinis gradu tales credas esse veras. *THEOL.* Nolo intelligas in sequentibus exēplis cuiuscunque reuelationes in gradu tātæ certitudinis ponere, in quanto sūt prophetarū & sanctorum doctorū oracula, de quibus cap. 7. dicetur. Reuelationes enim bonas has esse intelligo visiones, quæque a bonę & optimæ famę
i. d. quæ. prodierunt hominibus, in nullo, sacræ scripturæ, doctrinæ ecclesiasticæ, nec dictis sanctorum cōtrariantes,

riantes,

riantes, sed potius Dei hæ sunt consolationes, secundũ illud Apoc. 2. Vincenti dabo manna absc̃oditum, & dabo illi calculum candidũ, & in calculo nomen nouum scriptum, quod nemo scit, nisi qui accipit. Nec volo per hæc ausum, quantum mea interest, dare faciliter credendi omni instinctui, etiam ei qui speciem magni boni gerit: Scio enim tantum esse periculum in faciliter credendo reuelationibus, vt in hoc pede se, iuxta Augustini dictum, ferè omnes hæretici fundent tanquam ad vltimum refugium, sicut patet in Arrianis & Hussitis, quorum sectæ se diuina reuelatione affirmauerunt credere id, in quo principalis eorũ perfidia consistebat. Verba autem vera & sancta quæ Iob esse asseris, non eius, sed Heliu sunt iniustè persequentis sanctum prophetã. Nec glossa quamlibet allocutionem dei secretam adimit fidelibus, sed id esse Dei speciale donum & priuatum non vetat. Vnde enim septem dona spiritussancti, de quibus Isaias loquitur, habitus reales in bonorum animabus, nisi, vt secundum S. Thomam, eis mediãtibus bene & faciliter mobilis ad diuinas inspirationes quis redderetur? Aliud quod subiungis motiuum, minus me mouet à cœptis desistendũ, videlicet de lumine signato super nos vultus domini, quia aut illud est radius agẽtis intellectus animæ concreatus, aut splẽdor aliquis collatus gratuitè secundum glossam. Si de primo intelligis, cũ naturalis sit, ad totum regimen humanæ vitæ, quæ ad supernaturalia tendit, non sufficit. Si verò de secundo capis, meo non tuo obsequitur proposito, quia illud lumẽ est, quod pater parauit ad reuelationem gentium, & ad gloriam plebis suæ Israel. Porrò postremum nihil te, quæso, terreat adeo vt multarum ex deliratione feminarum

Iob. 33. *Isa. 11.* *2. 2. q. 68. ar. 1.* *Psal. 4.* *colligitur ex Gloss. partim interl. partim ord.*

omnes oberrare contendas, aut viros mente latius prędit0s semper decipi contendas: memor eris tamen, hortor sancti doctoris verbis, quibus in 2. 2. q. 82. art. 3. dicit viros simplices & femineum sexum, qui maiorem in se vident, propter suos defectus, humilitatis materiam, sæpe grandiori deuotione, & per consequens altiori contemplationis perfundi gratia. Diffinit enim ibi contemplationem siue meditationẽ esse deuotionis causam, & in huius contrarium sic arguit. Si contemplatio esset huiusmodi causa, oporteret quod contemplationi aptiores essent in deuotione maiores, cuius contrarium videmus, quia deuotio frequenter magis inuenitur in quibusdam simplicibus viris, & femineo sexu, in quibus inuenitur contemplationis defectus. Respondet ibi. Scientia & quicquid aliud ad magnitudinem pertinet, occasio est, quod homo confidat de seipso, & quod non totaliter se Deo tradat, & inde est, quod huiusmodi quandoque occasionaliter deuotionem impediunt, & in simplicibus & in mulieribus deuotio tio abundat, elationem comprimendo. Si tamen scientiam & quamcunque aliam perfectionem ratio perfectè Deo subdat, ex hoc ipso deuotio augetur. Vt autem hoc exemplo doceamus, noueris me sæpius didicisse à nostro prouinciali patre venerabili, & omnium reformatorum fratrum tutore, quod in opido * Goppingensi quædam paupercula, sed casta & deuota muliercula nostro viuebat tempore, quæ dudum ante incinerationem dicti opidi, incolas lamentabiliter clamitando auisauit. O, inquit, quantum væ loco huic imminebit in breui temporis spatio. A qua cùm sciscitaretur quid mali homines passuri essent. Respondit: ignis, inquit, incendiũ opidum in cineres resoluet

S. Thomas.

c. d Geppin.

Exemp. paupercula & casta mulieris prædicentis incendium vrbis Goppingensis.

cum

cum graui nimis iactura hominum, peccatis eorum hoc exigentibus. At illi. Vbi quæso, primùm insurget? Respondit ista: In domo talis viri. Quo audito paterfamilias eiusdem domus, ne proditor vel auctor incendij putaretur, spontaneè, nullo angente, opidum reliquit. Sed quia probus à cunctis iudicabatur, coactus est opidum & habitationem propriam reinhabitare, & non multò post in eiusdem domo, ignis, nescitur quo Dei iudicio, primùm accensus, & deinde loca vicina incendēs, opidum totum incinerauit, & incolas, femineum sexum non semper esse spernendū, edocuit. Tradit insuper naturales rationes dominus Vuilhelmus Parisiensis presul & doctor in suo Vniuerso, quomodo ob teneritudinem complexionis, aut propter aptitudinem mentis nonnunquam femina viro est ad impressiones separatarum substantiarum * captabilior in bonis assistente gratia, & in malis ea absente. Vide de hoc infra lib. 5. cap. 10. causas huius distinctiùs. *f. capabilior.*

PIG. Quia de obiectis me absolutum video quęstionum nodis, peto da exemplum de principali proposito, vt modernum virum videamus aliquē, qui in actuali theorica vita, & in doctrinali fulserit.

THEOL. Magistrum Vincentium accipito de regno Arragoniæ nostri ordinis, & sacræ paginæ professorem egregium, qui diu pœnitentiariæ gerens officium in curia Apostolica, tandem per orbem penè, Dei verbum seminauit gratiosissimè. Pedes, quando valetudo sinebat, diu ambulauit, quibus infirmatis, non nisi aselli tergo vehi voluit, in paupertate voluntaria vixit, esum carnium semper vitauit, & ieiunijs ordinis & ecclesię sedulò institit. At vbi, & quantum valebat contemplationi vacans, sæcularium vitauit præsentiam, *S. Vincentij ord. Pradic. labores, pradicationes, & miracula.*

nisi quando ædificatio proximi ad contrarium coëgit. In qua contemplatione hausisse videtur diuina reuelatione sensus, verba, & gestus quæ diuinissimo modo effundebat & ostendebat in sermonibus. Tam enim gratiosus in Dei verbo fuit, vt nec sui sancti patres, & nostri, ei in hoc æquiparari potuerint; Dominicus, videlicet, Petrus, & Thomas. Nam de villa ad villam, de regno ad regnum tam multa milia sequebantur eum vtriusque sexus homines, non solum plebei & simplices, sed etiam in iure diuino, canonico, & ciuili graduati, & religiosi varij, vt in comitatu se penè omnium mechanicarum artium viri, & mercatores nutrirent. Habuit plures secum de diuersis religionibus fratres, quibus auctoritatem Apostolicam subdelegauit, quam primum habuit à domino Petro de Luna: & eodem per Concilium Cōstantiense deposito, habuit ab eodem secundariò pro confessionum audientia, sicque de diuersis peccatoribus Christo maximum collegit pœnitētium populum. Vix vnquam ecclesia aut platea tam ampla extitit in ciuitate aliqua vel opido, quæ populum suis prædicationibus assistentem caperet. Vnde frequenter cogebatur in campis prędicare, vbi ciues, qui virum sanctum precibus adduxerant, de ligno in altum capellā erexerant. Quotidie hic missam ibi, vel in loco simili cantauit publicè, vnâ cum fratribus, qua finita, statim prædicauit motiuè, vt credatur à fide-dignis, quos tempore Basiliensis concilii examinaui, vltra numerum triginta milium Iudæorum & Saracenorum ad gremium duxisse ecclesiæ. Sileo de infinitis alijs baptisatis peccatoribus, quos ad veræ pœnitentiæ statum aduexit. Vt plurimum etiam, finito sermone, innumeros liberauit à dœmonibus, super quos

Dominicus. Petrus martyr. Thomas Aquinas.

Supra triginta millia Iudæorum & Saracenorum conuertit.

per quos etiam ſpecialem à Chriſto poteſtatem habuiſſe dignoſcitur. Pro infidelibus verò prædictis tale ad capiendum tetendit rete euãgelicum. Nam quia in quibuſdam regnis, vt in Aragonia, multi ſunt Saraceni ſerui, & Iudæi in magno numero, idcirco cum locis talium appropinquauit, per poteſtatem fidelium principum procurauit, vt in platea publica, ſub vnius protracti ſinus termino, ſolùm infideles conuenire cogerentur ad audiendum dei verbum. Quo facto, cœpit vir dei ad Iudæos, ſi affuerunt, vetus exponere teſtamẽtum, quod ſciuit optimè ſecũdum Hæbraicos doctores, & Chriſtum ibi prædictum, & veniſſe efficaciſsimè probare. Si verò pagaui aderant, legem naturæ, munditiam legis euangelicę ſciuit, & alia naturalia accommodã fidei adducere, & hoc modo in captura ſpiritualium piſcium Chriſti rete magnis & multis repleuit piſcibus. Prædicauit autem quotidie (excepta fortè vnica quindena) per 18. annos circiter in regnis, Caſtellæ, Aragoniæ, Nauerræ, Portugaliæ, & Franciæ, ac in partibus his adiacentibus, tandem autem in Britannia, vbi poſt multa, quibus antea claruit, miracula, deuotiſsimè dormiuit in pace cum patribus ſuis. *FIG.* Reuera ſi hic Apoſtolorum vixiſſet tempore, puto memoria laudabili, annalibus fidelium diligenti ſtylo aſſcriptus fuiſſet.

Id factũ eſt & habetur 5. Aprilis.

THEOL. Verum aſſeris; & hanc ob cauſam præſentia, præcedentia, & quæ ſequuntur trado ſcriptotenus, ne ingratitudinis mater, & nouerca virtutum talia ſepeliat obliuio & negligentia.

De

De Archiepiscopi Treuerensis Ottonis bona vita, & cur hodie Episcopi, non sicut olim, clarent miraculis.

CAPIT. II.

FOrmicarum est alia conditio, quod *prænosticant & præsentiunt frigus, & pluuias, & tempestates aeris*. Huius autem signum est, quia ante aduentum calamitatum talium se ad casas suas recolligunt diuino instinctu. In quibus typum gerunt virorum eminentium, qui gratia quadam dotati prophetica, mala imminentia fidelibus prędicunt, & Deo gratis, ne tangantur à talibus, vel saltem alios muniunt, vt præparatiores migrent à mundo. *PIG.* Da exempla, quibus hoc tempore certa reuelatio finem vitæ præmonstrauit.

Prædictio mortis Comiti VVirtenbergensi facta.

THEOL. Pauci sunt elapsi anni quibus viuebat meo tempore Comes de VVirtenberg Constantiensis diœcesis, cuius vitæ terminus fuit qui sequitur, vt in præsentia nostri prouincialis (à quo hæc habeo) Castellanus de Stockgardē recitauit multis fide-dignis viris astantibus. Nam præfatus Comes iam propè sexagenarius fuit aliqualiter debilis ad mortem, tamen nullatenus humano iudicio: vnde se ad thermas prope * Geppingen contulit, vbi lætè frueretur balneis. Die vna medicus ad eum dixit: Domine domui vestræ disponatis, & animæ prouideatis principaliter, quia reuera in quinque horarum spatijs ab hac luce migrabitis. Cui ille, Quid, quæso, refers? nulla enim indicia mortis, nec tu, nec ego iudicamus in me esse. Est præterea dudum mihi prophetatum, feminam

a. b. Scoppingum.

nam in opido proximo quandam eadem debere mori hora qua ego, quam nec ægrotare percepi. Cui medicus: Hæc, noueritis, femina, omnibus munita sacramentis, prope agoniam laborat in extremis. Et iterum Comes. Scio alterum mei interitus indicium, arborem, quam nouimus non multò ante meam mortem ruituram ex oraculo quodam. Cui medicus. Domine hæc hodie cecidit, ergo occasum vestrum adesse sciatis. Tunc Comes ad extrema propinquans, in prædictis didicit, & in propria experientia mortem adesse, quam in sex deinde horarum spatijs degustauit. & inopinatè satis occubuit. Talis modi notitiam & reuelationem habuisse videtur noster contemporaneus dominus Otto Treuerensis Ecclesiæ archiepiscopus. Hic, vt à suo cancellario magistro Tydmaro, decretorum deuoto valde doctore audiui, & ab alijs fide-dignis percepi, hic, inquam, diuino (vt creditur) nutu primum electus in præsulem dictæ Ecclesiæ, tam plenam duxit vitā virtutibus, vt non de Theutonia episcopus, sed plus videretur esse monachus. Nam corpus ieiunijs & vestimentorum duritia atterebat, & animum infra rerum temporalium extremum strepitum, ad contemplatiuam vitam erigebat. Latera sua tam in rebus ecclesiasticis, quam secularibus talibus muniuit viris literatis & religiosis, qui noscere possent, quid reddendum esset Deo, & quid Cæsari. In propria persona cum exercitu non modico, fide bona plenus, & in expensis grauibus Bohemiam intrauit, & quantum sua interfuit, pestem hæreticam ibidem extirpare conatus est. Pro qua causa, nisi Apostolicæ sedis prohibuisset licentia, quam obtinere nequiuit, bona quædam fortunæ suæ Ecclesiæ libens vendidisset. Et quia zelus domus

Ottonis Treuerensis archiepisc. vita sancta, & mors diuinitus reuelata.

Matth. 22.

domus domini virum illum comedere non desijt,
Psal. 68. quando vidit suos canonicos, & collapsos sacerdotes à gradu suæ institutionis, monasteriaque deformata vbilibet: idcirco operam dare cœpit sanctæ reformationi, quam in se dudum antea strictè assumpserat: quam quidem in paucissima loca introducere valuit, sed in nullum collegium clericorum secularium. Maligno enim instigante spiritu, & vitiorum turma tam in monasticis, quã secularibus viris, renitente, muri destructæ Hierusalem reædificari non poterant, & opus Dei demeritis hominum exigentibus interceptum est, non, vt olim, à mechanicis, sed à malis clericis & monachis. Qua in re hi qui minus debuerant, literis sacris imbuti videlicet, & Deo dedicati amplius quàm seculares restiterunt reformationi. Quo viso vir sanctus ingemuit, & cum beato Ambrosio, de cleri duritia tactus dolore cordis lamentari cœpit, & mori ac cum Christo esse non pertimescere, voceque prophetica, quadam die, diuina, (vt creditur) reuelatione præditus, publicè prædicere, & sui incolatus absolutionem adesse in breui, & deinde rebellem clerum & populum vltione diuina mulctandum graui. Vos, inquit, me benignum præcedentem sequi noluistis, venient tempora in quibus neglectum supplere cupietis, & præ calamitate id non perficietis; ego autem interim tollar de medio, & dormiam cum patribus meis. Dixit, & per ordinem actum est, vt prædixit. Nam paulò post, licet ætas viri id non exigeret, tamen diuino beneficio, (vt reor,) & ne oculi sancti hominis viderent mala imminentia ægrotare cœpit, & sumptis deuotissimè ecclesiasticis sacramentis, feliciter migrauit ad Deum. Post cuius occasum in electione noui pastoris

1. Esdra 4.

Paulinus in vita S. Ambrosij

paſtoris diuiſio non modica ſuborta eſt. Nam penè omnes elegerunt vnum, qui viro Dei in reformatione plurimum, vt dicitur, reſtiterat, quatenus aliorum captaret beniuolentiam. Pauciſsimi alium prætulerunt armis munitum theatralibus, & mundana fretum amicitia, qui de facto, non de iure priori reſiſtendo, permittente diuino iudicio, eum penitus à iure electionis deſiſtere coëgit. Dedit proinde dominus Apoſtolicus & confirmauit in Treuerenſem præſulem, Spirēſem prius epiſcopum, virum ſeculari conſanguinitate etiam potentem, cui is, qui prius electum à cepto deſiſtere compulit, pari modo reſtitit, & longè acrius. Exinde ſibi hi reſiſtentes mutuò, primum via iuris, deinde materialibus armis, demum vtroque ſibi tam inhumaniter reſtiterunt vtrimque, vt ipſa diœceſis, immò metropolis ſex circiter annis & vltrà, interdicta grauiſsima, excommunicationes acerbiſsimas, prædas, incendia, cædes hominum, & bella patiatur continuè. Deſolantur propterea Eccleſiæ, & monaſteria adeo, vt plurimi exulare cogantur alibi: quidam ex rerum temporalium carētia, alij vero ex ſacramentorum, quam habere coguntur, abſtinentia.

PIG. Virum hunc, quem verè laudas, tanto tempore dudum agnoui, in cuius hiſtoriæ ſententia nunc primum validè diſco, quàm verum ſit id quod ſuprà præcedenti libello docuiſti, id eſt cap. 7 videlicet, quòd deformatio Eccleſiæ, & defectus reformationis non ſemper aſcribenda ſunt epiſcopis & paſtoribus, ſed ſæpe ſubditis, & morbidis ouibus. Scio enim ex fama præfatum pontificem comitem fuiſſe origine, vita immaculatum, amicis etiam ſæcularibus & potentibus ditatum, & virtutibus plenum, in me tamen inſurgit

insurgit admiratio, cur non modò, sicut olim, sancti & deuoti sunt episcopi.

Cur non hodie vt olim miraculis clareant episcopi.

THEOL. Causa huius est, quia iam, non velut olim, à spiritu sancto ad apicem cathedralis culminis eorum fit vocatio, sed à vanè gloriosis, & ab auaris clericis & laicis crebra eorum fit promotio. Mox enim vt sedes aliqua vacare incipit, conspirant mutuò honorum cupidi canonici, qui nobiles & principes subarratis aucupantur epistolis, & per cognatos Hierusalem ædificare nituntur in sanguinibus, dirigunt plures statim ad Romanam curiam, in qua copia reperitur eorum, qui vendicatis supplicationibus, vt oculos tegant domini Apostolici, referre norunt ea, quę nunquam fuerunt in esse, idoneos affirmant esse præsulatui, qui nulli bene præfuerunt statui, & ita falsis vel cautelosis narrationibus, ignarus, vtinam non vitiosus, animabus præficitur milibus, quem multi agnoscunt nunquam aptum extitisse ad debitum regimen duorum hominum. Silentio pertranseo de sublimatis in cathedras pōtificum eos qui duo obligantur scire testamenta, per duo designata mitræ cornua, quorum nullus congruè nouit loqui grammaticam prima puerorum rudimenta. Tales enim postmodum in regimine ecclesiarum talibus clarent miraculis qualia esse solent in secularium hominum peruersis curijs. Vnde tuæ quęstionis nodum aliquando videtur soluisse (vt audiui) quidam Theologicæ scientiæ non ignarus, regi Francię quærenti, vt tu mouisti. Modo, ait, domine mi rex non miraculis, vel diuinis reuelationibus, aut vitæ sanctitate pollent velut antea episcopi, ideo certè, quia antiquitus hos præuijs orationibus sanctis creauit spiritus sanctus in pręsules; modò autem solis præmissis humanis fauoribus

Mich. 3.

ribus vos & principes facitis pōtifices, qui vestris, non Dei, clarent miraculis & prodigijs. Nam spiritu sancto promouente episcopos, in primitiua ecclesia cœcis visum, claudis gressum, & mortuis dabant vitæ reditum, terris pacem, & super his ciues aduehebant cœlestes. Nunc verò episcopi vestro repleti spiritu diabolico eiusdem clarent virtutibus, quia videntes oculis, gradientes pedibus, & sanos vita orbare soletis, dum de terra per vestras guerras pacem, & de cœlesti vita religiones tollitis. *PIG.* Hæc, de quibus loqueris malorum miracula, & vulgus clero obloqui videtur, in Alemania crebriora sunt quam in quacumque mundi parte alia; fortasis ideo, quia iam spinis rerum temporalium adeo nobiscum circumseptæ sunt multæ diœceses, vt in eis non animarum pastores, sed mundanæ militiæ principes vita, moribus, cura, & vestitu ac equitatu potius, quàm episcopi esse censeantur: quibus pompis tantò obruuntur, vt animarum saluti non posint intendere, & prouidere. *THEOL.* Vulgus nō longè in hoc à veritate discedit, sed vtinam imperfectum suum non viderent oculi nostri, de cuius plateis nondum defecit vsura & dolus, in cuius ciuitate vidimus iniquitatem & dolum sępe, potius sæpius. Verum causam huius lapsus in episcopis, rerum temporalium, nō plenam asignasti, quæ ad malum cogat, sed occasionem præstat, videlicet, eis qui possesionibus Ecclesię licitis abutuntur ad illicita: cuius demōstratio patet in beato Gregorio totius orbis & vrbis olim ditisimo episcopo. Audisti insuper suprà, & modò de multis Alemaniæ præsulibus bonis, qui laudabiliter diuitijs & animabus præfuerunt. Non ergo vsus, sed abusus in tēporalitate cleri pasim vituperandus

Psa. 138.
Psa. 54.
lib. 1. c. 6

perandus est. Caue propterea, ne sectam Hussitarum præsentem incidas, inordinatè detestando cleri temporalia, quæ certum est primum esse data ad tuitionem morum & fidei, ad salutē animarum, & ad Dei augendum obsequium, quæ bona si maior pars malorum prælatorum non quærit principaliter, non mirum, quia in omni ferè multitudine, bonis raritas pretium imponit.

PIG. Nunquid inter simplices plebeios reperiūtur aliquando prophetico fulgore illustrati, qui imminentes malorum tempestates prænosticent sicut recitasti de præsulum cœtu?

Act. 10. *1. Cor. 12* THEOL. Sic. Non enim est personarū acceptor Deus, sed vnicuique datur manifestatio spiritus ad vtilitatem, qui spiritus distribuit singulis, prout vult, teste Apostolo. *Inclusa prædicit incendiū.* Fuit meo tempore quædam reclusa prope Basileam diœcesis tamen Constantiensis, in domo dominorum Theutonicorum de Prussya Buken nominato. Hæc anus effecta iam in dicto loco reclusa, toto mentis nisu Deo famulabatur, & sui sexus feminis consilia in dubijs satis catholica crebrò ministrare solebat, quando ad hæc actuabatur. Visitare hanc multi vtriusque sexus homines solebant ob deuotionis gratiam de Basilea veniendo. Inter quos quidam secularis sacerdos beneficiatus in Basiliensi Ecclesia deuotus & senex, mihi notus, Nicolaus nomine, specialior in domino dictę reclusæ esse solebat. Ad quā cùm quadam vice veniret, quæsiuit ab eo sancta femina, in qua parte ciuitatis Basiliensis domicilium pro nunc haberet dominus Nicolaus. Qui respondit. Prope summam Ecclesiam. Cui illa. Doleo de hoc vehementer. At ille. Cur, inquit? Et illa. Quia in breui circa eundem ciuitatis situm, Deo permittente, vindicta grauis incolas conturbabit.

habit. Quæ verba sacerdos velut ab ore feminæ prolata, & minus ponderis habere credebat, quousque non longè postea ipsius sacerdotis domus, & ferè trecentarum domorum ibidem incendio inopinato demoliebantur.

De visu hominis duplici: De somniorum veritate & falsitate: & de auisatis in somnio vel vigilia per sanctos.

CAPIT. III.

B*Inos habent oculos, quibus corpore reguntur*. Nam propter paruitatem sui capitis formicæ oculos sitos habent super quædam additamenta, quæ per modum duorum pilorum egrediuntur de capite. Per hæc docemur satis apertè, quòd binis oculis, corporis videlicet & animæ, vti debemus ad debitum regimen vtriusque hominis. Qui enim sint corporis oculi, palam est omnibus. Animæ verò oculi sunt intellectus practicus & speculatiuus secundum Augustinum lib. 12. de Trinitate, & in glossa dicitur 1. Corinth. 2. Primo enim velut sinistro intueri debemus inferiora & terrena, sine quibus in hac vita victitare nequimus. Secundo verò speculanda sunt superiora & æterna, sine quibus finem nostræ beatitudinis attingere non possumus. De vtrisque tā corporis quàm animæ oculis propheta commemorat vbi dicit: Ecce sicut oculi seruorum in manibus dominorum suorum, sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ, ita oculi nostri ad dominum deum nostrum donec misereatur nostri. Et de intellectualibus potissimè veritas ait ad discipulos: Beati oculi

August. lib. 12 de Tri. ca 3. & 7. Gloss ord.

Psa. 122.

qui vident, quæ vos videtis. Inter corporeos autē
Mat. 13. oculos & mentales licet magna ſit conuenientia, non minor tamen inter eos eſt differentia: quia corporales ſicuti & mentales bini ſunt, luce neceſſariò indigent, munditia & puritate eos nitere oportet, & ſicut natura primos multis tunicellis 7. videlicet & 3. humoribus tutauit, prout ars tradit, quam perſpectiuam nuncupant, ita gratia & propria induſtria cautiſsimè prouidere opus eſt oculis ſecundis. Vnde propheta de mentalibus oculis ampliùs ne læderentur metuens, ad ſimilitudinem corporalium orando addidit, cum dixit: Cuſtodi me Domine vt pupillam oculi. Differunt
Pſal. 16. inſuper plurimum, quia primi terreni, vel elemētares, ſecundi ſpirituales ſunt & cæleſtes: illis lux corporalis, iſtis verò radius diuinus opus eſt: hi materiali puluere, iſti fantaſijs, erroribus, neſcientijs, ignorantijs, & delictis maculantur: prioribus in actu & in luce corporali exiſtentibus multas agnoſcunt viſibilium differentias, ſed prò tunc poſteriores, intellectus videlicet, per talia impediuntur ampliùs. Vnde artem memoratiuam imprimere volentes, lucida loca ſolent fugere, & in
Exod. 19. & 24. caligine Deus à Moyſe viſus eſſe dignoſcitur, ſcripturę ſacræ teſtimonio.

PIG. Scire deſidero, vtrúmne in ſomno anima veritatem diuinam aliquam intellectualibus oculis videre valeat pro regimine vtrique homini debito, interiori ſcilicet & exteriori.

THEO. In ſomnio quidem, non autem in ſomno perfectè perfecto; veruntamen ſacra ſcriptura vnum pro reliquo ſolet accipere, ſicuti etiam philoſophum feciſſe conſtat in libro ſuo de ſomno & vigilia. Quęſito igitur tuo ſatis apertè reſpondetur Iob 33. vbi dicitur: Per ſomnum in viſione noctur-

nocturna, quando irruit sopor super homines, & dormiunt in lectulo, tunc aperit aures virorum, & erudiens eos instruit disciplina, vt auertat hominem ab his quæ fecit.

PIG. De literatorum numero plures audiui, qui nullam prorsus, vel penè nullam fidem adhibere iubent visionibus & somnijs, incertitudinem periculi allegantes pro sua sententia.

THEOL. Omniquaque respuere somnia vel visiones, hodie puto rem esse è diuerso non sine periculo peccati ingratitudinis, impatientiæ, vel negligentiæ: ad quod me iuuat præcedens in Iob allegata auctoritas, & mouent exempla plurima. Tempore enim meo in conuentu Eistetensi nostri ordinis quidam frater professus stetit, qui aliquandiu B. Barbaræ virgini quibusdam sanctis exercitijs crebra præstitit obsequia, per quam à multis præseruabatur malis. Torpore autem corporis tandem victus, præfata omittere cœpit obsequia, & segnitiei intendere. Hinc dicta beata virgo sibi apparens in somno excitauit, & ei dixit (quemadmodum ipse posteà retulit.) Tu cõsuetis obsequijs dereliquisti me, & ego solitis adiutorijs destituam te, hoc flebili audito oraculo territus frater fuit, sed negligentiam non correxit. Nam paulò postea leuitatibus deditus, ordinis habitum reiecit, & diu apostatauit. Tandem iam in anima & corpore ægrotans venit ad ciuitatis Nurembergensis hospitale sine ordinis habitu, & ibi ignotus iacens extremis suis propinquare cœpit. Missum est ad conuentum nostrum ibidem pro fratre Conrado viro prudenti, vt infirmo cõsuleret, quem in apostasiæ vitio quidam esse notauerant: quo percepto frater Conradus habitum ordinis specialem abscondité attulit, & apostatæ,

Exēp. terribile f. omittentis obsequia D. Barbara in apostasia mortui.

modis quibus valuit, suadebat reinduitionem sui ordinis. Viso autem habitu, nescio quo instinctu dæmonis, vel infirmitatis, miser, velut equus vmbraticus, vestẽ sanctę religionis temerariè abiecit, dicens: Cur, inquit, modo me vultis confundere? recedite, recedite, quia ita fiet nullatenus. Mœsto itaque patre abscedente, miser & ægrotus statim agonisauit, & ita spiritum efflauit.

PIG. Quæro igitur annè illi profuisset, si ad visionis munus dictæ credulus reassumpsisset derelicta virginis sanctæ obsequia?

THEOL. Credo reuera profuisset plurimum. Audi quæso exemplum aliud. Annis istis quibus præsens Basiliense durauit generale Concilium, eidem in protectorem loco Cæsareæ maiestatis datus est illustris princeps VVilhelmus dux Bauariæ, pater pauperum, & tutor omnium religiosorum, cuius quàm laudabilis vita fuerit, testantur orphanorum & viduarum lachrymę super eodem effusæ mortuo. Hic anno vltimè prętерito postquã ad propria de Basilea redijt, prout diligenti inuestigatione à sibi notis facta audiui, quadam nocte somnium habuit, in quo ceruum elegantissimæ staturæ vidit, in cuius vno cornu campanellas habere, & in alio cereos plures affixos conspexit: venator autem quidam, multis cum canibus, fugientem insequebatur ceruum, & euadẽdi eidem omnes vias præuenit, quo viso territum animal in cemiterium Ecclesiæ beatæ virginis, quæ in ciuitate Monatensi sita est, fugit, & in apertum sepulchrum descendens, per canes captus, & occisus est. Euigilauit his visis princeps, & de eis satis admirari cœpit, quid res ista infausti vel ominis prætenderet. Cumque die sequenti suis ista patefaceret, ipse dixisse fertur, alijs variè somnium

Somnium Guilielmi ducis Bauariæ ei prædicens mortem.

interpretantibus: Ego (inquit) ceruus iste sum, & in breui vitā hanc concludens mortalē in dictæ ecclesiæ loco humari eligo. Ægrotauit * deinde statim moriturus, & quāquam quibusdā diebus paucis viueret, tamen sumptis ecclesiasticis sacramentis velociter satis vita functus est. Putásne principi illi prodesse potuit præostensum somnium, si eodē bene & cautè interpretato futura iacula præuidisset? *PIG.* Credo Dei magnum esse beneficium, quando eum metuentibus per visionem aliquam dat significationem vt fugiant à facie arcus imminentis periculi. Sed satis me terret multiplex sacræ scripturæ auctoritas, quæ somnia obseruare vetat, quæ tu videris approbare: Nam Leuitici 19. ait dominus, Non augurabimini, nec obseruabitis somnia, & Deuteron. 13. Propheta ille aut fictor somniorum interficietur. Manasses rex Iuda 2. Paral. 33. vituperatur, quia obseruabat somnia. Et spiritus sanctus in libris sapientialibus contra talia inuehit plurima, dum Salomon, Ecclesiast. 5. dicit. Multas curas sequuntur somnia. Vbi multa sunt somnia, ibi plurimæ vanitates & sermones innumeri. Glossa interlinealis addit. Somnia ne cures quia vana sunt. Et iterum Iesus filius Syrach. Ecclesiastici 34. Vana spes & mendacium insensato viro, & somnia extollunt imprudentes. Quasi qui apprehendit vmbrā & persequitur ventum, sic & qui attendit ad visa mendacia, sed hæc visio somniorum, ante faciem hominis similitudo alterius hominis. Et iterum ibidem. Diuinatio erroris, & auguria mendacia, & somnia maleficientiū, vanitas est. *THEOL.* Auctoritates quas induxisti in mediū si diligenti mentis inspiciātur oculo, non omnium somniorū obseruantiam vituperant, sed eorum tantummodo quæ

a. b. proinde.

Psal. 59.

Auctoritates scripturæ quæ vetant somnia obseruare.

Quomodo sint intelligendæ.

ſuperſtitioſè fiunt, aut quæ ex cura negociationũ prçcedentium ſurgunt. Aliquando aliqui minus frequenter, aut incautè ſomniorum interpretationi inſiſtunt. Nam expreſsè dominus vbi ſuprà in Leuitico, & Deuteronomio de maleficis ſolum antè & poſt loquitur. Nec dubium quin vanitates incidat, qui ſomnia curare nititur ex cura præcedenti venientia, & non ex ſuperis. Vnde gloſſa in Deuter. dicit. Vult, inquit, intelligi ea quæ à diuinis, id eſt, à maleficis, non ſecundum Deum dicuntur, etiamſi euenerint, non eſſe ſic accipienda, vt fiant quæ ab eis prædicuntur. Vnde textus ſeſe declarat, qui immediate ſic ſequitur. Diuinatio erroris, & auguria, mendacia ſomnia maleficientium vanitas eſt: propter quod gloſſa ibi dicit exponendo multas curas, quaſi diceret. Sicut qui multa cogitat, ipſa frequenter ſomniat, ſic in ſtultitiam recidit, qui vltra ſe de Deo diſputat. Porrò quid Eccleſiaſticus, quem allegas, ſenſerit, gloſſa ſobriè ſic exponit. Quaſi qui apprehendit vmbrã &c. Significat ſomnia & fallacias dæmonum homines ſępe deludere, & in errores trahere, niſi cautè diſcernantur, vnde, ſ. ſequitur. Ab immundo * quis mundabitur, & à mendace, quid verum dicetur? Inde in lege præcipitur: Non obſeruabitis ſomnia, neque diuinationes. Quomodo autem cautè ſit procedendum in talibus, domino cooperante, in ſequentibus proprietatibus habebimus.

Gloſſ. ord.

Gloſſ. ord. in c. 5. eccle.

Gloſſ. ord.

text. & gloſſa quid.

De ſomniorum differentiis, de cauſis eorum, & de deceptis per ſomnia & viſiones.

CAPIT. IIII.

Amputatis

A*Mputatis oculis oberrant in vijs alijs patentibus.* Nutant enim tunc formicæ, & quorſum tēdant ignorant. Ita reuera in mentalibus oculis rationali homini accidit, ſi diuinæ gratiæ luce priuantur, vel vſu rationis homo beſtiæ potius, vel ebrio in via morum comparatur, quàm rationali creaturæ, vel angelicæ ſubſtantiæ, qua tamen paulominus eſt ab initio creatus & munitus. Hoc periculum mentalis cœcitatis, & neceſsitatem diuinę manuductionis in viſionibus & ſomnijs innuit Sapiens, cùm poſt ante allegata verba de ſomnijs protinus ſic adiungit: Sicut parturientis, cor tuum fantaſias patitur, niſi ab altiſsimo fuerit emiſſa viſitatio, & Iob 32. Spiritus eſt in hominibus, & inſpiratio omnipotentis dat intelligentiam. *Eccle. 34.*

PIG. Doce quæſo primum quot ſint ſomniorum differentiæ, deinde modos diſcernendi vera à falſis ſubiunge, vt ſciamus in quibus cauere, vel reſidere debeamus, ne in ſemita huius periculoſæ vallis deuiemus à veritatis tramite.

THEOL. Ad primum gloſſa ſuper textu de Eccleſiaſtico præallegato, verbis & ſententijs beati Gregorij ad tuum propoſitum de 4. lib. ſuo dialogorum in his verbis reſpondet. Aliquando, ait, reuelationes per ſomnia fiunt. Vnde in dialogo Gregorius: Sciendum Petre quia ſex modis tangunt animum imaginationes ſomnij: aliquando ventris plenitudine: vel inanitione: aliquando illuſione: aliquando cogitatione ſimul & illuſione: aliquando reuelatione: aliquando cogitatione ſimul & reuelatione. Duo prima omnes experimēto cognoſcimus, cetera in ſcripturis inuenimus. Niſi enim ſomnia per illuſionem diaboli fierent, nequaquam diceret vir ſapiens. Multos errare fecerunt ſomnia. Et alibi. Non augurabimini, non *Gloſſ ord.* *Gregor. l. 4. dial. c. 48.* *Eccle. 34.* *Leuit. 19.*

obſeruabitis ſomnia, valde enim deteſtabilia ſomnia oſtenduntur, quæ augurijs cōiunguntur. Quia verò cogitatione ſimul & illuſione ſomnia fiunt, ſcriptum eſt: Multas curas ſequuntur ſomnia. Per reuelationem verò Ioſeph ſe fratribus præferendum ſomnio vidit. Et Ioſeph monetur, vt tollat in Ægyptum puerum & matrem eius. Et quia aliquando ſomnia cogitatione, & reuelatione fiunt, Daniel Nabuchodonoſor viſionem ediſſerens, à radice cogitationis inchoauit: Tu rex cœpiſti cogitare in ſtratu tuo quid eſſet futurum poſt hæc. Ex qua ſententia ſanctus doctor in 2. 2. q. 95. ad ſecundum tuum petitum compendioſius, quo vidi, reſpondet, vt infrà ſubiungam. Sed primum ſcito, quòd de ſomnijs duo genera hominum iudicare valent, philoſophi videlicet, & veri theologi, & vtrumque eſt difficile non habenti acquiſitam vel infuſam peritiam. Primum modum præſertim, & partim ſecundum dictus doctor ſub quintuplici differentia docet agnoſcere in his ſententijs & verbis pariter. Diuinatio quæ innititur falſæ opinioni eſt ſuperſtitioſa & illicita, & ideo conſiderare oportet quid ſit verum circa præcognitionem futurorum de ſomnijs. Sunt autem ſomnia futurorũ euentuũ quãdoque quidẽ cauſa, puta cùm mẽs alicuſus ſollicita ex his quę videt in ſomnis inducitur ad aliquid faciendũ vel vitandũ, & de talibus loquitur Salomõ, dicẽs: Multas curas fecerunt sõnia. Quandoqꝫ verò ſomnia ſunt cauſa aliquorum euentuũ in quãtum reducuntur in aliquã cauſam cõmunẽ ſomnijs & futuris euentibus. Et ſecundum hoc plurimum pręcognitiones futurorũ ex ſomnijs fiunt. Eſt ergo conſiderandũ quæ ſit cauſa ſomniorum, & an poſsit eſſe futurorum euentuum, vel ea poſsit cognoſcere. Sciendum eſt ergo

Eccle. 5. Gen. 37. Mat. 2.

Thomas 2.2.q 95 ar. 6. in corp.

ergo quòd somniorũ causa quandoque quidem est interius, quandoq; autẽ exterius. Interior autẽ causa sõniorũ est duplex, vna quidẽ animalis, in quãtum, scilicet, ea occurrũt hominis phãtasię in dormiẽdo, circa quę eius cogitatio & affectio fuit immorata in vigilãdo. Et talis causa sõniorum, nõ est causa futurorũ euẽtuum, vnde huiusmodi somnia per accidẽs se habent ad futuros euẽtus, & si quandoque simul cõcurrant, erit casuale. Quãdoq; verò causa intrinseca somniorũ est corporalis, nã ex interiori dispositione corporis formatur aliquis motus in phãtasia cõueniẽs tali dispositioni, sicut homini in quo abundãt frigidi humores, occurrit in sõmnis, quod sit in aqua vel in niue. Et de extrinsecè tãgẽtibus experiẽtia docet: Si quis dormientis digito vel manui aquã frigidã circũdederit, statim se in aqua iacere somniabit. Et propter hoc medici dicũt esse intendẽdum sõnijs, ad cognoscendũ interiores dispositiones. Causa autẽ sõniorũ exterior similiter est duplex, scil. corporalis & spiritualis. Corporalis quidẽ, inquantũ imaginatio dormiẽtis immutatur vel ab aëre cõtinẽti, sicut de aqua iam exẽplificatũ est, vel ex impressione cœlestis corporis, vt sic dormiẽti aliquę phãtasię appareãt cõformes cœlestiũ dispositioni. Spiritualis autẽ causa est quãdoq; quidẽ à Deo, qui reuelat aliqua in somnis ministerio angelorũ, secundum illud Numeri 12. Si quis fuerit inter vos propheta domini, in visione apparebo ei, vel per somniũ loquar ad illũ. Quandoq; verò operatione dæmonũ aliquæ phantasiæ dormiẽtibus apparẽt, ex quibus quãdoque aliqua futura reuelãt his, qui cũ eis habent pacta inita illicita. Sic ergo dicendũ cõcludit doctor ibi respondẽdo, si aliquis vtatur somnijs ad præcognoscenda futura, secũdũ quod sõnia procedũt ex reuelatione

divina,

diuina, vel ex causa naturali intrinseca, siue extrinseca, quantum se potest virtus talis causæ extendere, non erit illicita diuinatio. Si verò huiusmodi diuinatio causetur ex reuelatione dæmonũ, cum quibus pacta habent expressa, quia ad hoc inuocantur: vel tacita, quia huiusmodi diuinatio extenditur ad quod non potest se extendere, illa diuinatio illicita est & superstitiosa. Ex quibus distinctionibus clarè habes, quòd ex quinque causis somniorum, significatio eorum potest aliquando elici. Primò ex causa corporali intrinseca, vt quando ex materia humida, vel sicca futura phantasia mouetur ad somniandum de similibus, & de talibus propriè iudicat Medicus. Secundò ex causa corporali exteriori oriente ex aëre, vel elemento circundante corpus hominis, vt si aër est humidus, faciliter phantasia sensibilis hominis mouetur ad somniandum de pluuia: & ita de alijs aëris vel circumstantis corporis proprietatibus elemẽtaribus: & de hoc modo propriè habet considerare naturalis philosophus. Tertiò ex causa corporali exteriori, oriente ex impressione cœlestis corporis, vt sic dormienti aliquæ phantasiæ appareãt conformes cœlestium dispositioni: & de hoc cautè habet coniecturare astronomus. Quartò ex causa spirituali extrinseca mala, vt quando dæmon ad cognitionem alicuius occulti vel futuri mouet phantasiam. Quintò verò ex causa spirituali extrinseca & bona à Deo, ministerio tamen bonorum angelorum prodeunte in phantasiam & mẽtem hominis, & de istis duobus considerat Theologus. Prædictis considerationibus, si primum & secundum modos per doctorem sanctum adieceris, septem differentias coniecturandi de somnijs, promptè habebis. Quorum primus est, cum mens

Ex quinque causis somniorũ haberi potest eorum significatio.

1. 2. 3. 4. 5. (margin numbers beside the five causes)

alicuius

licuius sollicita est ex his quæ videt in somnis, inducitur ad aliquid faciendum vel vitandum, quẽadmodum quidam vani practicant homines, quibus cùm aliquid delectabile somniauerint, tanquã necessariò exequendum id perficiunt, sed tunc talis executæ rei causa, non est somnium, sed animi libertas, vel potius instabilitas. Alius est modus, quando somnia sunt causa per accidens futurorũ euentuum, vt cum fiunt cum causa intrinseca animali, vt quando occurrunt homini phantasiæ in dormiendo, circa quæ eius cognitio & affectio fuit immorata in vigilando, quemadmodum dictum est à sancto doctore in principio suorum verborum. *PIG.* De hoc saltem da exemplum. *THEOLO.* Duo tibi anteà recitabo exempla, ad intelligendum quomodo per somnia adeo deluduntur plurimi, vt eis iam euigilantibus omnino se æstiment in veritate vidisse, quod solo sensu apprehenderunt interiori. Præceptore enim meo referente audiui, quòd pater quidam nostri ordinis villagium quoddam intrauit, vbi feminã quandam inuenit dementatam in tantum, vt nocturno tempore se cum Diana, & alijs feminis transferri crederet per aëra. Cui cùm pater perfidiam verbis conaretur expellere salubribus, pertinax ista experientiæ se plus credere affirmauit. Cui pater. Sines ergo me esse præsentem cum de proximo recedes. Respondit illa. Ita placet, & me recedere videbis præsentibus, si placet, testibus idoneis. Igitur vt deliram animarum zelator conuinceret, adueniente die recessus, quem vetula præfixerat, affuit pater cum fide dignis hominibus. At illa cubellam in qua pasta formari solet supra scamnum positam intrauit, & sedere ibi cœpit, applicatisque verbis maleficis & vnguento, reclinato

Exempla deceptorũ per somnia.

Primum.

reclinato capite obdormiuit, ſtatimque opere dæmonis sõnia de domina Venere, & de alijs ſuperſtitionibus tam fortia habuit, vt in iubilo quodam voce ſubmiſſa clamitaret, & in his plauſibus, motis manibus, cubellam cui inſidebat nimis mouit, quæ de alto ſcamno præcipitanter ruens vetulæ ſubiacentis caput non modicum contriuit: & ita in terra iacentem, nec de loco motam pater inclamauit iam euigilantem. Vbi quæſo es? Num cum Diana fuiſti, quæ teſtimonio præſentium nunquam de cubella receſsiſti? Ex his igitur geſtis & mediantibus verbis ſalutiferis animum ad ſui erroris deteſtationem deuexit. Simile eſt in legenda beati Germani Antiſiodorenſis, qui in domo quadam videns ſerò menſam parari, admirando didicit, quòd propter bonas mulieres nocturno tempore illa comedentes cibaria ponerentur: igitur eadem nocte vigilando vidit multitudinem dæmonum in ſpecie mulierum ad menſam ſedentem, quibus ne recederẽt imperauit, familiam totam excitauit, & ſi comedentes cognoſcerent quęſiuit, qui cum vicinas ſuas eſſe dicerent, miſit ad domos ſingularum, & omnes in lectis ſuis repertæ ſunt. Adiurati igitur dæmones ſeſe manifeſtabãt, & quomodo populum illuderent aperuerunt. Horum ratio & cauſa datur 26. q. 5. Epiſcopi, vbi ex concilio Acquirenſi ſic dicitur. Ipſe ſiquidem Sathanas, qui transfigurat ſe in angelum lucis, cùm mentem cuiuſque mulieris cœperit, & hanc per infidelitatem ſibi ſubiugauerit, illico transformat ſe in diuerſarum perſonarum ſpecies, ac ſimilitudines, & mentem quam captiuam tenet in ſomnis deludens, modò læta, modò triſtia, modò incognitas perſonas oſtendens per deuia quæquæ deducit, & cùm ſolus ſpiritus hoc patitur, infidelis

Secundũ ex legẽda aurea Iacobi de Voragine.

2.Cor.11

lis * mens hoc non in animo, ſed in corpore *adieci ex*
enire opinatur. De ſomniantium talium viſio- *orig. ve-*
ous plura ibidem reperies. Porrò quomodo de- *culam*
dantur qui ſomnijs faciliter credunt, de hoc ſu- *mens.*
e tale exemplum. Noui quendam fratrem noſtri *Tertium.*
dinis Iodocum nomine, de conuentu Conſtan-
nſi profeſſum, pro nunc boni zeli, qui cum
nior exiſtens non tam fuit, velut modò, mori-
ıs & conſcientia compoſitus: huic exiſtenti in
nuentu, ante tempus generalis Conſtantienſis
oncilij ſomnialis viſio dormienti affuit, in qua
oi videbatur, quomodo in ſummum pontificem
eatus eſſet. Vigilans dudum poſteà ſatis ſeriosè
gitabundus (vt ab eo audiui) * incedebat quid *c. d in-*
oi hoc ſomnium bonæ afferret prænoſticationis, *tendebat.*
em enim aliqualem de veritate in ſe adimplen-
ı præſumpſit de præſulatu aliquo habendo, licet
eris & ſtatu nulla penitus alluderet in homine
o diſpoſitio. Porrò tempore antedicti concilij
poſitis per idem tribus à Summo Pontificio, vi-
licet Petro de Luna, Gregorio Coriarij, & Ioã-
Balthaſare de Coſta, qui omnes ſe in ſuis obe-
entijs gerebant pro ſummis pontificibus, locus,
ectores, dies, & hora in quibus vnicus & indu-
tatus paſtor, & Petri ſucceſſor eligi debuit, ſta-
ta ſunt. Quibus viſis frater prædictus ſpem prę-
ıbitam ſibi clanculo augere cœpit, quòd fortaſ-
ı de eo dudum à ſe viſum verificaretur ſomniũ.
lecto autẽ domino Martino de Columna cõcor- *Martinus*
ter, confuſus apud ſe frater, didicit quàm ſtultũ *V.*
animum dare ſomnijs ſine ſufficienti motiuo.
on multò poſt autem elapſo tempore, tempus
rniſpriuij appropinquauit, in quo in conuentu
niores fratres pro ſolatio aliquando conſueue-
nt repræſentationes ludicras habere ſummi
pontifi-

pontificis & curiæ Romanæ, pro quo ioco cùm diuersi iuuenes ad varia eligerentur officia, prędictus frater Iodocus electus est iocosè in summum Pontificem per fictitium. in qua eminentia tunc primum omnem pręsulatus spem perdidit, quam tacitus fatuis * spebus prius sæpe præhabuit. Hic enim euentus non à somnio causabatur, sed ad eum casualiter se habebat.

** c. d. speciebus.*

Quod recurrendum est ad discretos viros in somniorum & visionum incertitudine. Et de sex regulis per quas aliquis in talibus non decipi potest faciliter.

CAPIT. V.

CÆcitatē incurrens formica, aliā habentē oculos fortissimè amplectitur, nec dimittit nisi ad casam sit reducta. In quo relucet quam piè talibus diuina prouiderit clementia, cuius instinctu orbata visu formica, videntis industria aliena saluatur. Possunt per talem industriam intelligi hi homines simplices, qui diuino munere somnia diuina, vel reuelationes diuinas habentes, eorum intellectum non vident, sed alieno ductu id addiscunt quod propria industria non norunt, sicut Samuel simplex, & visionum diuinarum inexpertus, cùm tempore pueritiæ in templo cum Heli sacerdote dormiens, tertiò vocatus diuino oraculo, id non à se intellexit, sed qualiter se ad idem habere deberet ab Heli protinus didicit 1. Reg. 3. Sic etiam noui plures valde deuotas vtriusque sexus personas, quæ somnia de quibusdam sibi ignotis euentibus satis certa habuerunt, in quibus sibi non credētes, ne de-

deciperentur, recursum humilem ad literatos ibuerunt, & eorundem dictis certiores de verite effecti sunt. Fuit meis temporibus in Argentiensi diœcesi nobilis quidam maior creato milite, pertinæ conditionis, vita & moribus tam compositus, vt nulli eum veriùs quàm Martino post techismum comparare valerem. Hic quia in ombus strennuè egerat & probè, quæ Dei erant eo, & quæ Cæsaris dabat Cæsari omni iudicio, eo * quidam, qui viri bonitatem, & reipublicæ cessitatem nouerant, eum precibus molestabãt, Baliuatum ducatus domini Austriæ debitum, uem habent in Alsatia acciperet, & regeret, de uo, non dubium, apud seculum honorem grandem, & vtilitatem rerum temporalium non modicam assequi potuisset in se & in suis, immo in iendis sanctis monasterijs, quæ plurimum ibidẽ iligebat. Distulit vir prudens affirmatiuum dare sponsum, & cogitabat quod dictum officium idicem exigit iura terræ municipalia noscentem, uæ ipse ad plenum nesciebat. Quæsiuit igitur à e & ab alijs, qui sibi accommodi videbantur, uid responsurus esset, vt animam propriam in ito poneret. Fateor imperfectum meum, quia oui virum esse iustissimum, & quomodo multis rodesse valeret, & fortasis per assessores (qui tamen vix haberi valebant) posse suppleri, quod rincipali deesset iudici, timidus eram vnà cum ijs quid determinatè suaderem, & ita nullus vi- videbatur dare responsum. Habere autem nobilis hic solebat (sciebam) somnia, vel visiones otius valde ponderosas & notabiles prius sæpe, quibus tamen nihil vel modicum, sed in sola saa scriptura, & eius expositoribus principaliter fundare nouerat, vnde quadam vice eodem tempore

Somnium cuiusdam nobilis innuens ipsum non debere suscipere baliuatũ ducatus Austriæ.

Mat. 22.

rest. pro à quibusdã.

tempore somnium vidit tale. Videbatur ei, quòd in agro quodam lato staret satis bene sulcato per aratrum, & semina quæ in manu tenebat accuratè terræ pro fructu habendo insereret, cumque attentius ista conspiceret, vidit quòd nullum ex seminibus sursum creuit, sed totum deorsum tendebat ad interitum. In qua admiratione stupens euigilauit, mihique postmodum dixit, nisi consilium firmum mihi dederitis de acceptando Baliuatum exhibitum, mihi consulo vt incertum dimittam, & amplectar certum, liber enim sum modò à cura huius grauis regiminis, quod acceptando, vereor periculo me submittam, potissimè ob ignorantiam iurium secularium, & consuetudinum. Quo audito, acquieui viro prudenti, quia conforme eius fuit iudicium Christi illius sententiæ, qua dicit. Quid proderit homini si vniuersũ mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur? detrimentum ait, non perditionem. Intellexit enim nobilis iste pro tunc quosdam habitare potentes in Baliuatu, de quibus timendum erat, ne quidquid boni per antefatum ædificaretur nobilem, illi destruerent, vel ne perficeretur cœptum, præpedirent. Cui euentui verisimiliter visio arridebat de pullulante semine versus terrã, & deorsum, non autem ad cœlum & in sursum.

Mat. 16.

PIG. Nimis generales vsque modò dedisti regulas de curandis, vel non curandis somnijs, idcirco precor ad specialia, quæ plus mouent, descendere velis, ad videndum saltem quid sentiendum sit de multorum somnijs, in quibus rarò vel nunquam falli dicuntur, præsertim in his casibus, quando eis ignorantibus aduersa obuiare consueuit fortuna, puta, tentatio grauis, seu grandis tribulatio & tristitia. *THEOL.* Rem partim poscis quam me tibi

ſi tradere eſt ſolius Dei donum gratuitum. De
ımero enim, heu, ſum horum, qui animales
nt, non ſpirituales, niſi ſolo nomine: ſpiritualiũ
ıtem & Dei ſpiritum habentium proprium eſt,
iquãdo talia particulariter agnoſcere. De quibus
er ordinem dicit Apoſtolus 1. Corint. 2. Animalis
omo non percipit ea quæ ſunt ſpiritus Dei, ſpi-
tualis autem iudicat omnia, & ipſe à nemine iu-
catur. Quis enim nouit ſenſum domini, aut quis
ſtruat eũ? Nos autẽ (concludit) ſenſum Chriſti
ıbemus. Vnicuique etiã (vt ibidem 12. dicit) da-
r manifeſtatio ſpiritus ad vtilitatẽ, & inter nouẽ
ona gratiarum gratis datarũ dicit. Alij datur diſ-
etio ſpirituum, alij interpretatio ſermonum. Hęc
tem omnia operatur vnus atque idem ſpiritus,
uidens ſingulis prout vult. Spiritus præterea lo-
ıitur myſteria. ibidem 14. Vnde B. Gregorius,
ſi ſuprà, enumeratis omnibus ſomniorum cauſis
concludit. Difficilè ſomnijs credendũ eſt, quia
io impulſu veniant facilè non elucet. Sancti verò
ıſiones & reuelationes quodam intimo ſapore
cernunt, vt ſciant quid à bono ſpiritu percipiãt,
quid ab ⋆ illuſione patiantur. Ex quibus verbis
a ſalubria debes documenta elicere tuo propo-
o valitura. Primum, quòd difficilè ſomnijs cre-
ndum eſt. Secundum, quòd ſancti quidã habẽt
titiã & differentiam aliquando de ſomniorum
erpretatione. Tertiũ verò, quod mediũ acquirẽ
in hoc diſcretionem ſpirituum fit per quẽdã nõ
um internum, ſed per intimum ſaporem colla-
n ab eo, videlicet, ſancto ſpiritu, qui ſolus inte-
r eſt cuique rei, quàm ipſa ſibi. Hanc ob cau-
ı omnes quos vidı magnos Theologiæ docto-
feciſſe de inſtinctibus, vel de diſcretione ſpi-
ıum tractatus, qui ſe vltimatè reſoluunt

Gregor. l. 4. dial. c. 48.

orig. illuſore.

Tria documenta de ſomnijs

ad dictas Apostoli & beati Gregorij auctoritates, quamquam regulas in eis vel coniecturas potius annectant quas si placuerit intueri, poteris in diuersorum, videlicet, doctorum tractatulis. Veruntamen quia discretè satis ad vnum modum interpretandi cautè somnia descendis quo verentur quidam præostensa sibi futura mala, ideo sex regulis seruatis, spero in Deum, talibus omne malum culpæ vitabis. Prima, diffinitiuè talibus somnijs, neque assertiuè credas, nisi cùm indubitatum donum interpretandi habueris, quale Hieremias obtinuit, qui ait Hiere. 26. In veritate misit me dominus ad vos, vt loquerer in auribus vestris omnia verba hæc. Ratio dicti est, quia causæ somniorum sunt aliquando quæ nullius futuræ rei signa sunt, sed tantùm præteritarum imaginum, vel aliàs naturalium, non somniata designandum, vel dæmonum, qui credulos somnijs ita assuefieri sibi gestiunt. Secūda regula est, omniquaque somnia non semper abigas, præsertim ea quæ tribulationis futurę signa forent, si percipis ea crebrò tibi in bonis & vtilibus animæ verificari, quia aliquando Dei dona sunt nos à malis præseruantia, ne ducamur in tentationem. Iacula enim præuisa minus feriunt, vt beatus Gregorius dicit. Tertia regula. Cùm somnium alicuius infausti tibi occurrerit, tunc forti animo cum Dei adiutorio sine confidētia in proprijs viribus, æquanimiter te tenere proponas. Firmatio enim animi per ea naturalia quæ Deus contulit in libertate arbitrij, actuanda sunt, & eis vtendum est, quia istis mediantibus philosophi (vt Seneca docet de remedijs fortuitorum) immania patienter sustulerunt. Quarta regula. Occasionem mali verisimiliter imminentis pro viribus fugias, ne, videlicet, tu in hoc causam culpabi-

Sex regulæ obseruandæ in somnijs quibus mala putantur præsignificari.

1.

2.

Greg. hō. 35. in Euang. 3.

4.

abilem præstes loquendo, eundo ad loca periculosa, & ita de similibus multis, in quibus sæpe nostris negligentijs, vel factis illicitis mala pœnæ grauia incidimus. Quinta regula est, vt deuota oratione frequenter ad Deum pro gratia patientiæ recurramus, quia opus perfectum habet, & iuxta beati Gregorij mentem, miraculorum operationi antefertur. Non enim nostra industria, & libertas arbitrij ad virtutes acquirendas vel retinendas sufficiunt, sed diuina specialis gratia exigitur, quæ precibus sanctorum, & ad Deum effusis orationibus ex diuina misericordia sæpe obtinetur, vbi nostra demerita aliud exigerent. Sexta regula. Caueas in his visionibus, ne superbiens, quasi ex meritis talia tibi collata esse credas, etiamsi sint à diuino spiritu. Talia enim quando sunt à Deo, sunt gratiæ gratis datę, quæ sæpe in peccatis grauibus existentibus dantur ex mera Dei misericordia, non semper meritis, prout habuisti de hoc suprà libro primo cap. 1. de miraculis.

5. Iac. 1. Necessitas gratiæ specialis. 6.

De via bona multiplici in moribus, & sub quam multis imaginibus somniorum diuersi auisantur.

CAPIT. VI.

ANnectitur prædictis alia formicarũ proprietas, *quòd, videlicet, via vna egrediuntur à suis [do]mibus, quæ tamen versus finem propter quærenda pascua [t]rificari videtur.* Contulit enim illis bestiolis diuinus instinctus vnam principalem & regiam [vi]am facere, & iuxta eandem metiri reditum, [t]amquam circa eandem viam ad quærendum

victum parumper diuertant. Ita hodie nutu diuini spiritus in cuneo & concione vniuersalis Ecclesiæ, omniũ est vna via regia per diuina præcepta progrediendi. Si vis (inquit Christus Matthæi 19.) ad vitam ingredi, serua mandata. Et Leuitici 26. Si in præceptis meis ambulaueritis, & mandata mea custodieritis, & feceritis ea, dabo pluuiam vobis tẽporibus suis, & terra gignet germen suum. Et tamen circa eadem vniuersalia Ecclesiæ & Christi mandata modi varij sunt viuendi, & pascua virentia virtutum acquirendi. Hęc sanctus præsul Augustinus intuebatur, quando à socijs suis & amicis Euodio & Nebridio habere volebat, quis, videlicet, esset aptus modus viuendi ad ambulandum in via Dei; in qua alius sic, alius sic ibat. *FIG.* Vt materiæ somniorum finem imponamus, quæro, vtrúmne mala huius vitæ sanctis viris aliquando imminentia per vnum genus somnij vel an sub diuersis modis præostendatur; quando in somno diuina gratia præmuniuntur vel præauisantur? *THEOL.* Quantum conijcio, diuersi diuersimodè quod ad hoc inspirãtur dum dormiunt, quia quibusqam de aqua, alijs de calice, nonnullis de cruce Christi, aliquibus etiam de infantibus somnia fiũt, post quæ semper, vel vt in plurimum tribulationẽ aliquam grauem in se vel in suis amicis sentiunt, prout sequentibus patescet exemplis. Habui genitricem, quę viduata patre meo iam vita functo, apta secundis nuptijs, eandem multis ad hoc interpellantibus, ob castimoniæ amorem omnino spreuit. Quæ quàm deuotam in matimonio vitam, & in viduitate vsque ad vltimam senectutem coram Deo duxerit & hominibus, si opus foret, totum, spero, natale solum testaretur cum adiacenti vicinio. Aduerterat hæc, quód quotiescunque ✶ somnium

August. lib 8. conf. c. 1.

Mater auctoris sõnians se per aquas incedere vel mare videre, præsensit aliquid triste euenturum.

nium habebat in quo sibi peditare videbatur in a- *a. b. somnulum.*
qua, vel quando eadem mare aliquod est intuita,
sine * fallo euentum postmodum in breui magnæ
tristitiæ sensit, quantoque aqua maior, turbulen- *c. d. falso.*
tior, profundior videbatur, vel impetuosior, tantò
grandior tristitiæ materia sequebatur. Latebat me
materna hæc cōsideratio, quousque iam multis annis stādo in ordine, de studio vniuersitatis VViēnensis repatriaui, satis pro tunc nouus, quia solùm fui tunc studens in sancta facultate Theologica. Vnde ipsa mihi confidens, coniecturam somnij retulit, & experientias plures, addidit, quia valde superstitiones & dæmonis fallacias timuit, se non credere diffinitiuè post talia somnia tribulationem sibi affuturam, sed timere illam, Deo committendo, vnde visio illa somnialis venisset, vel quo iret, & exinde postremò ne deciperetur, à me consiliū quæsiuit, quomodo sine offensa peccati se gerere in iis deberet. Qui igitur sciui à iuuētute mea hanc timuisse Deum, & vitā timori huic cōcordasse in effectu, doctrinā, quā in præcedēti dedi capitulo, sibi tradidi, quā nō mea industria, sed à quodā magno sacræ paginæ magistro in præfatis scholis didici. Nec discordat aquæ vel maris hæc visio, tribulationem denotans à modo sacri eloquij, quod per aquā sæpe vult passionis illationem intelligi. Vnde propheta *Psal. 68.*
rat in tribulatione extrema cōstitutus. Saluū me fac Deus, quoniam intrauerūt aquæ vsque ad animam, infixus sum in limo profundi, & non est substantia. Viuit hodie virgo nobilis secundum seculum, & valde deuota in Argentinensi diœcesi, sexagenaria, Sophia nomine, abbatissa monasterij monialium secularium in Andelano, quæ à iuuentute sua castissimè vixit, sicuti & tres aliæ suæ uterinæ sorores. Collegium etiam prædictum,
 quod

quod dum in Abbatissam esset creata, reperit deformatissimum, magnis cum laboribus in religione reformauit ad plenum, & in temporalibus ditari procurauit plurimum. Hæc mihi aliquando retulit confidenter, quod quandocunque in somnis videret calicem, in quo sacramentum diuinissimum Eucharistię contineri solet, infallibiliter in breui postmodum pressuram aliquam mundi in se, vel in suis perciperet, & quantò in somnis profundius in calicem dabatur potestas videndi, tantò seuerior tribulatio sequebatur virgini. Accidit post hanc relationem longo tractu annorum me venire ad dictum collegium, vbi dicta domina mihi dixit. Ecce pater pro nunc bona pace fruor, sed in breui, vt timeo, grandis mihi obuiabit tristitia, quia somniũ de calice satis profundè inspecto nuper habui. Non multo deinde tempore elapso frater suus miles VValterus ægrotare cœpit, & statim sublatus de hoc seculo. Fuit enim vir in armis strennuus, fama conspicuus, prudentia prędítus, & dicti monasterij, ac reformationis eiusdem fautor supremus: quamobrem virgini aderat magna tristitia per calicem præsignata. Nam de passione locutura veritas ait filijs Zebedæi. Matth. 20. Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum? Et ibidem 26. orando pro oblatione dominicæ passionis, dixit: Pater si fieri possibile est, transeat à me calix iste. Fuerunt meo tempore in ciuitate Basiliensi vna in domo duæ virgines, senioris, quæ 80. circiter annum attigit, nomen Anna extitit, quæ iuniorem suo sub regimine domestico habuit, etiam Annam nomine. Hæ reuera specula virtutum toti ciuitati extiterunt & adiacenti patriæ. Prima quidem Anna & senior sanctè dudum migrauit ad dominum. Iunior verò in fama bona viuit vsque hodie,

Somnium de calice domini prænuncium aduersitatis.

Somnium de pueris vel innocentibus præsagium tribulationis in duabus sãctis virginibus.

›die, cui etiam, non ambigo, interior vita con-
ırdat. Deuotæ huius relatione, quam credo ve-
dicam, sæpe didici, quod quandocunque de par-
ılis & innocentibus puerulis habet somnium,
ıaliter eos, videlicet, videat, aut iocos licitos cum
s habeat, de proximo virgini persecutio aliqua,
ıt tribulatio alia aduehitur. Idem per omnia se-
iori dum viueret eius in spiritualibus nutrici cre-
errimè cõtingebat. Nata enim fuit præfata iunior
nna à parentibus, qui residentiam habuerũt sub
uodam mihi noto nobili solùm nomine, hîc quia
irgo iuuenis erat pulchra facie, & apta nuptui,
ıus semper castimonię dæmon insidiabatur per
ictum nobilem, qui eam sæpe licet ingenuam,
ruam facere conabatur, vt ex ea seruos plures
abere valeret. Vnde nunc blanditijs sibi suade-
at, vt matrimonio alicui de suis seruis copulare-
ır, nunc minis terrere solebat ad idem. Quamob-
em constans virgo de loco ad locum, & de patria
ıgam dare cogebatur. Et contra hunc accipi-
em Dei columba antefatis puerorum somnijs sæ
e præmunita est. Quando enim talia somnia ha-
uit, statim de custodia sui corporis per fugam, vel
er occultationem aliam sibi prouidebat, postmo-
umque experta est somniari verum præcessisse.
t fortassis diuina clementia ideo per paruulorum
isum hanc præmonebat, quam in innocentia, ca-
imonia, & patientia sine macula inuidiæ & pec-
ati sibi pręseruare volebat. Iuxta illud Matthæi
3. Nisi efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in
egnum cœlorum. Certum est etiam paruulos in
uotidianis passionibus & fletibus vexari: Vnde
on mirum, si eorum imago, typum tribulationis
ılet præferre. Habeo pręterea in Constantiensi
iœcesi cognatam nomine Helizabet laudabiliter *Apparitio crucis vel passionis Christi in*

somnis, signum tribulationis successura in aliquibus. valde viuentem in thoro matrimonij, cui si aliquã ignota appropinquat tribulatio, hanc præagnoscit cum sibi in somnis apparet crux vel Christi passio: quẽadmodum mihi retulit. Nulli autem dubium per crucem & passionẽ Christi tribulationẽ posse faciliter designari. Qui, inquit, vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Lucæ 9. Et ipse Christus Petro obuiãs passuro dixit. Vado Romam iterum crucifigi, vt *Linus de pass. S. Petri.* Linus & Leo de eo testantur. *PIG.* Quando somniorum visio est à diuino instinctu signum futuri, peto, an hoc fiat à Deo immediatè, an boni Angeli ministerio? *THEOL.* Dudum hæc determinata est quæstio per M. dist. 8. secundi, & per beatum Augustinum lib. 3. cap. 26. de Trinitate, quod, Moyse & Paulo demptis, nunquam Deus immediatè & nudè apparuit patribus & prophetis, sed reuelationes fiunt Angelorum bonorum ministerio, vt ex his vita nostra muniatur, quemadmodũ petimus de Angelis in collecta Ecclesiæ. Quinimmo vbi scriptura testamenti veteris dicit Deum esse locutũ, & apparuisse Moysi in *Exod. 3.* rubo, & in monte Sinai, id alibi exponit de angelo vt testatur beatus Stephanus dicens Actuũ. 7. Expletis, inquit, annis quadraginta, apparuit Moysi in deserto montis Sina angelus in igne flammæ rubi: Moyses autem vidẽs admiratus est. Et infrà de eodẽ. Hic est qui fuit in Ecclesia in solitudine cum angelo qui loquebatur ei in monte Sina, & cũ patribus nostris, qui accepit verba vitæ dare nobis. *Dionysius Areopagita.* Est præterea doctrina beati Dionysij quod æterna sapientia ima summis iungit per media, id est, infimã rationalẽ creaturã per angelos, qui medij inter nos sunt et Deum, sanctis inspirationibus reducit ad diuina quę sunt sũma. Nõ quin Deus ista se solo facere

facere posset, sed vt in hoc ordo diuinæ sapientiæ videatur, vt angelico ministerio eorum gaudium augeatur, & vt amicitia maior inter eos & nos teneatur. Nec dona per nuncium nobis transmissa paruipendere debemus, quia adhuc quicquid Angelus facit, & quæque secundaria causa, id primaria (quę Deus est) plus agit; qui actiones nostras aspirando præuenit, & adiuuando prosequitur, vt cuncta nostra operatio ab eo incipiat, & ab eodem incepta finiatur.

De laude pacificorum. Quòd Deus mutis & surdis aliquando futura reuelat, & cum simplicibus in Eucharistia miracula operatur. Ac de quinque prophetiæ gradibus.

CAPIT. VII.

AGgrediamur proprietatem aliam, quæ est, *quòd formica per lineam vnam satis regiam, ad nidum redeunt, nec in via vna aliam impedit, sed aliquādo quasi oris osculo sibi mutuò pacis fœdera porrigere vidētur.* In quibus indirupta quædam amicitia nobis præmonstratur, pax & tranquillitas, quę effectus sunt & fructus diuinæ charitatis, & verè aspiratorum sancti spiritus munere: de quibus apostolus ad Galatas 5. dicit. Fructus spiritus est charitas, gaudium, pax, patientia, longanimitas, bonitas, benignitas, mansuetudo, fides, modestia, continētia, castitas. Hi igitur homines, in quibus signa talia reperiuntur diuinæ inspirationis probabilitatem satis præferunt. Ob quod Apostolus subiungit. Si viuimus spiritu, spiritu & ambulemus, non efficiamur inanis gloriæ cupidi, inuicem prouocantes, inuicem inuidentes.

PIG.

VIC. Paucæ, prout coniecturo nostro tempore reperiuntur morales formicæ, quæ talia signa vnitatis & pacis seruent erga se & proximos, quęque intra se, quæque diuinitus inspiratæ spiritu ducātur, iuxta mandatum Apostoli, quod ibidem pręmittit. Dico autem spiritu ambulate, & desideria carnis non perficietis. *THEOL.* Quæstionem similem, & suspicionem talem suprà libro I. cap. 6. tibi explodi. Verùm vt pacis filios & filias, ac spiritus sancti alumnos de vtroque sexu fuisse agnoscas nostro tempore, duo de multis tibi exempla subiungam. Fuit in ciuitate Constantiensi vir quidam pauper rebus, corpore ab ipsa, vt videtur, natiuitate, surdus & mutus, sed spiritu prophetico non inexpertus, humilis vita & habitu, pacemque cū hominibus, & ampliùs cum Deo, in puritate animi & in castimonia corporis habere studebat, nomē eius fuit...... Hic, vt à multis fide dignis percepi personis, quandoque futura, quandoque etiam occulta, quæ humanam latebant industriam solebat, non dico, prædicere quia linguę vsu carebat, sed nutibus præmonstrare manifestis. Nam in fratrum nostrorum conuentu Constantiensi multi talia expertos se fatentur. Huiusmodi habui consanguineum aliquando in dictæ ciuitatis collegio, quod ad Sanctum Stephanum vocatur, sacerdotem canonicum, & Deo, & Apostolorum principibus valde deuotum, qui relicta domo sua sub prouisione cuiusdam vetulæ virginis suæ consanguineę, ad limina dictorum Apostolorum, peregrinationi se versus Romam dedit. In itinere autem quadam nocte casu in hospitio quodam ab alto cecidit, & quassato corpore, fractoque pede ibidem & in Romana curia multo tempore, * rediens tandem iacturas corporis passus est non modicas,

Surdus & mutus à natiuitate prædicit nutibus et signis reditum sacerdotis ab vrbe Roma, & subuersionem sui nutritoris.

omissum est mansit vel quid simile.

dicas, quæ tandiu durauerunt, vt præfata virgo domus eius procuratrix, & nullus in ciuitate Cõstantiensi quicquam de sacerdotis aduentu sciret humano * iudicio. Venit interea certa die dictus mutus læta facie, iocundis oculis, & ore ridenti, plausibus manuum notificans virgini sacerdotis aduentum proximum, mirabatur ista, & sequenti die inopinatum læta recepit de naui sacerdotis aduentum. Nutriebatur hic mutus, qui pauper rebus, per quendam ciuem Constantiensem satis diuitem, qui mutum paulò minus naturali filio diligebat. Venit interea dies in qua per lacum adiacentem nauigio ire disponebat ad ciuitatem aliam aquę propinquam & lacui, & dum in domo propria esset adhuc peregrinaturus ciuis, vidit & considerauit hoc mutus, vnde nutibus, quibus valuit, domino suo suasit ne nauigio se committeret, sed renuebat ciuis; qui postquam domum exiuit, eum sequebatur mutus modis quibus poterat iterum cœptum iter dissuadens, tandem circa nauim miserabilibus gemitibus, vt anteà, prohibere conatus est, suum dominum, quem si nauigaret protinus prę sciuit moriturum in aquis, & minus profecit. Cumque nauis cum domino recederet à littore, mutus, in eodem (vt dicitur) littore magnis profusis lacrymis & apparatu lugubri domini flebilem recessum deplanxit. Aduersa igitur fortuna nauim in aquis mouente, ciuis eodem die aquis submersus est, & an mutus Dei claresceret spiritu ostensum est non modo ciuitati, sed toti adiacenti patrię. Paulò antequam ad Coloniense transmissus sum studium, fuerunt intra ciuitatem ibidem duę virgines, carne & animo sorores, vnanimes, & pacificè in vna domo vota suæ castitatis reddentes quæ distinxerant Deo in labijs suis, & labore manuum

f. indicio.

Virginis sanctaqua frequenter communicare.

nuum victum conquirentes tenuem. Vna autem ex eis, cuius anima primum placuit altissimo, quæ diuinissimum Eucharistiæ sacramentum multum dilexit, & deuotè sæpe solita est sumere, corpore infirmata est; & tandem morbus tanto inualuit, vt contractis neruis quibus labia & mandibulæ mouere consueuerunt, etiam adhibito toto conatu corporis & animæ, ora aperire nequiret ad cibum sumendum corporeum, tantoque superior mandibula inferiori cohęrebat, vt vix vel nullatenus ad minutissimum sumendum cibum cum instrumento argenteo vel cocleari aperiri posset. Æstuabat interea cordis desiderio, se morti propinquare conspiciens, illud saluberrimum Christi viaticum, quod de terrenis cœlestes nouit efficere, vt hoc munita pręsidio fidētius migraret ad Christum. sed omnes vel plurimi formidabant id non posse ab ea sumi. Verùm vt confiteretur sacramentaliter, quod prius sæpe facere consueuerat, & vt viso Christi sacramento sic credendo saltem manducaret, aduocatus est sacerdos Eucharistię sacramentum afferens. Et cùm absolutione pro peccatis præmissa, sacerdos ante faciem Christi sponsæ dominicum corpus eleuaret adorandum ab ea, statim & inopinatè tantam virtutem se percepit habere in corpore, & internum quendam instinctum in anima, vt subitò ad animæ & cordis hiatum corporalia ora amplè satis laxaret, quibus confestim sacerdos dominicum corpus lętè immisit, & ita Christi sponsa, soror, & qui aderant admirantes Deo gratias de collato miraculo retulerunt. *PIG.* De vtroque exemplo aliqua quæstio animum meum pulsat. De primo, an surdus iste semper in dictis suis in quibus futura vel occulta prædixit, veritatem euentuum futurorum

Solebat miraculosè os aperitur vi morbi occlusum ad corpus Dominicum intromittendum.

Duæ quæstiones circa prædicta.

rorum tetigerit. De secundo exemplo non video quid ibi prophetiæ spiritui asscribi valeat, cùm ibi nihil, nisi de motu & apertione oris miraculum vel mirum aliquod affuisse videatur. *THEOL.* Non mihi hoc bene constat, sed esto quod in aliquibus errauerit non mirum, cùm hoc veris prophetis aliquando accidisse legatur, vt de Nathan. 1. Paral. 17. patet, qui Dauid iussit domino ædificare domum, vt putabat, Dei spiritu, quod postmodum reuocauit. Mens enim prophetæ, vt sanctus Thomas docet in summa, dupliciter à Deo instruitur. Vno modo per expressam reuelationē. *Thomas 2 2. q. 71 ar. 4.* Alio modo per quendam instinctum, quem interdum etiam nescientes humanæ mentes patiuntur, vt beatus Augustinus dicit 2. super Genesin ad literam *cap. 17.* de his ergo quæ expresse per spiritum prophetiæ cognoscit propheta, maximam certitudinem habet & pro certo habet, quod hæc sibi sunt diuinitus reuelata. Vnde dicitur Hieremiæ, 26. In veritate misit me dominus ad vos, vt loquerer in aures vestras omnia verba hæc. Sed ad ea quæ cognoscit per instinctum, aliquando sic se habet, vt non plenè discernere possit, vtrum hoc * cogitauerit aliquo diuino instinctu, vel per spiritum proprium. *c. d. cognouerit.* Non autem omnia quæ cognoscimus diuino instinctu, sub certitudine prophetica nobis manifestantur. Talis enim instinctus est quiddam imperfectum in genere prophetiæ. Vnde beatus Gregorius super Ezechielem *Homil. 1.* propter præallegatum prophetam Nathan dicit. Sciendum est, quod aliquando prophetæ sancti cùm consuluntur, ex magno vsu prophetandi, quædam ex suo spiritu proferant, & se hoc ex prophetiæ spiritu dicere suspicantur. Non ergo mireris, si aliquando non euenerunt quæ à muto isto

prædicta

prędicta fuerunt, quem tamen nec in alijs didici esse deceptum. De secundo dubio non absolui poteris, nisi gradus quosdam prophetiæ noueris, quos sanctus doctor, vbi prius, ponit. Sunt enim quinque. Primus ascendendo & infimus est, cùm aliquis ex interiori instinctu mouetur ad aliqua exterius facienda, sicut de Samson dicitur Iudicū decimoquinto quod irruit spiritus domini in eū, & sicut solent ad ardorem ignis ligna consumi, ita & vincula quibus ligatus erat dissipata sunt & soluta. Et propter istum modum tibi dixi exemplū secundum, quia iste gradus locum habere videbatur in apertione oris dictæ sanctæ fœminæ. Secundus gradus prophetiæ est, cùm aliquis ex interiori lumine illustratur ad cognoscendum aliqua cognoscenda, vel agenda, ad humanam conseruationem, vel conuersationem pertinentia, quæ tamen * non excedunt limites naturalis cognitionis, sicut dicitur de Salomone 3. Reg. 4. quòd locutus est parabolas, & disputauit super lignis à cedro quę est in libano, vsque ad hyssopum quæ egreditur de pariete, & disseruit de iumentis, & volucribus, & reptilibus, & piscibus. Et hoc totum fuit ex diuina inspiratione, nam præmittitur: Deus dedit sapientiam Salomoni, & prudentiam multam nimis. Hi tamen duo gradus sunt infra prophetiam propriè dictam, quia non attingūt ad supernaturalem veritatem. Memineris autem quòd de prophetis propriè dictis loqui non vellem per omnia. Tertius gradus est, quando aliqua supernaturalis veritas per lumen intelligibile alicui manifestatur imaginaria visione per similitudinem corporaliū rerum ducentium in supernaturalem veritatem: & talem prophetiam habuerunt omnes illi qui numerantur in ordine prophetarū in textu biblię.

Quinque gradus prophetiæ ex B. Thomas 2. 2. q. 74. ar. 1. & 3.

2. [margin, beside "tur in apertione oris…"]

adieci negationem ex orig.

3. [margin, beside "tius gradus est…"]

Qui

Qui etiam ex hoc ſpecialiter dicuntur prophetæ, quia prophetico officio fungebantur: Vnde ex perſona domini loquebantur dicentes ad populum. Hæc dicit dominus. Quod non faciebant illi qui hagiographa conſcripſerunt, quorum plures loquebantur frequentius de his quæ humana ratione cognoſci poſſunt, non quaſi ex perſona dei, ſed ex perſona propria, cum adiutorio tamen diuini luminis. Quartus gradus eſt, quando per lumen intelligibile reuelatur aliqua ſupernaturalis veritas abſque imaginaria viſione, & ſic Dauid eſt & dicitur propheta per excellentiam, quia accepit reuelationem intelligibilis & ſupernaturalis veritatis abſque imaginaria viſione, & quia plenius etiam Moyſe cognouit & expreſsit myſteria incarnationis Chriſti. Non tamen intelligas, quod aliquis in via intelligat etiam ſupernaturaliter ſine phantaſmatibus, quia hoc eſt contra philoſophũ, & Dionyſium 1. cap. cœleſtis Hierarchiæ. Illuſtratio enim diuini radij in vita præſenti non fit ſine velaminibus phãtaſmatum qualiumcunque, quia connaturale eſt homini ſecundum ſtatum præſẽtis vitæ, vt non intelligat ſine phantaſmate. Quandoque tamen ſufficiunt phantaſmata, quæ communi modo à ſenſibus abſtrahuntur, nec exigitur aliqua viſio imaginaria diuinitus procurata, & ſic dicitur reuelatio prophetica fieri ſine imaginaria viſione. Quintus gradus & ſupremus eſt, quando 5. veritas ſupernaturalis nudè oſtenditur intellectui per lumen ſupernaturale ſine imaginaria viſione, vt Moyſi & Paulo communicatum eſt, videre, videlicet, diuinam eſſentiam, ſecundum Auguſtinum in libro ſuper Geneſin ad literam. Hæc omnia de ſancto doctore ſumpta ſunt, per quæ ſatis iam patet quæ viæ ſint rectæ, per quas diuino inſtin-

Auguſt. lib. 12 de gen. ad lit c. 26. 27. & 28.

instinctu boni diriguntur sine errore.

De sollicitudine pro thesauro virtutum habendo. Et de militibus virtuosè pro republica laborantibus, vel pro fide.

CAPIT. VIII.

O*Mnes vnum locum obseruant, in quem thesauros suos ponunt & recondunt*, vt videlicet, congregent in messe quod comedant. Et hęc bestiolarum nostrarum conditio quemque docet in pręsenti vita fructus virtutum quos potest conquirere, tales in tuto loco, velut animæ thesauros, in cœlo, non in terra recondere. Vnde glossa super verba. Formica parat æstate cibum sibi, & congregat in messe, quod comedat. Prouerbiorum 6. sic dicit. Si animal principe carens, rationis expers, natura duce sibi in posterum prouidet, multò magis tu ad imaginem Dei conditus, ad videndum gloriam eius vocatus, tanto magisterio adiutus ad ipsum conditorem * debes in præsenti fructus bonorum operum congregare, quibus in ęternum viuas in futuro. Hæc enim vita messi cōparatur & æstati, quia nunc inter ardores tentationum tempus est colligendi futurorum merita præmiorum: dies iudicij hyemi, quia nulla relinquitur facultas laborandi pro vita, sed tunc cogetur quisque de horreo priscę * affectionis quod recōdidit proferre. Hinc 1. Timot. vltimo dicit Apostolus discipulo: Diuitibus huius sæculi præcipe, non sublime sapere, neque sperare in incerto diuitiarum; sed in Deo viuo, qui præstat omnia nobis abundè ad fruendū, bene agere, diuites fieri in operibus bonis, facilè tribuere

Gloss. ord.

rest. ex orig. pro omnes.

orig. actionis.

tribuere, communicare, thesaurizare sibi fundamē-tum bonum in futurum, vt apprehendant veram vitam. Et veritas dicit Matthæi sexto. Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, vbi ærugo & tinea demolitur, & vbi fures effodiunt & furantur: thesaurizate autem vobis thesauros in cœlo, vbi neque ærugo, neque tinea demolitur, & vbi fures non effodiunt, nec furantur.

PIG. Aliquem si nouisti diuitem nostra sequentem animalia, & sibi sic thesaurizantē, vt suades, peto in medium proferas. *THEOL.* Tam de numero religiosorum, quàm de cœtu secularium tales reperi. Fuit enim meo tempore ciuis quidam in ciuitate Columbariensi Basileensis diœcesis vxoratus, Petrus nomine, diues in terrena substantia, & meditationi dominicæ passionis adeo assuetus, vt quotidie per quinque missarum tractus temporis eum in nullo tæderet sanctis insistere meditationibus. Hic vxore defuncta tandem conuersus factus est in curia sororum nostrarum monasterij, quod in Subtilia dicitur, cui diuitias suas omnes obtulit, demptis quadraginta circiter aureis, quos inscia sua priorissa, & ignorante vicario monasterij, proprietatis captus vicio, in quadam bursa collo proprio occultè suspensa, tempore satis multo portauit. Cum igitur diu miser iste vicium celaret proprietatis, debilis esse cœpit, & quia anteà in sæculo vitam Christo deuotam duxit, ab eodem & Dei genitrice, quam plurimum dilexit, misericorditer visitatus est. Nam vice quadam cùm maneret solus, ad se vetulam quandam malignam cum acuta furca ferrata, cum qua fenum vel fimus colligi solet, intrare vidit, quæ grauem ictum fratri in latere dare videbatur, sed adiutorio beatissimę virginis inuocato, ipsa

Religiosus proprietarius percutitur diuinitus & renuncians proprietati sanatur.

eandem vetulam propulsauit, & sic visio disparuit. Vicariusque dicti monasterij ad visitandum fratrem Petrum prædictum venit, qui quomodo haberet inquisiuit. At ille respondit. Satis bene haberem, nisi quod vetula quædam mihi in visu grauem ictum dedit, quem cum dolore magno sentio in latere, & nisi Dei genitrix me liberasset, iam fortassis finem haberem vitæ. Volens autem vicarius videre locum puncturæ, bursam cum aureis ibi pendentem reperit, & ait. Certè in anima tua frater mi ad mortem reuera per dæmonem vulneratus es, qui pessimum proprietatis vicium iam diu velut occultus recepisti. Resigna igitur proprio frater, & Dei genitricis meritis sanaberis animo, de corporis verò sospitate tibi dominus prouidebit. Exindè compunctus frater paupertati perfectè se subiecit, & diu postmodum viuens, tandē sine fine quieuit. De seculari verò cœtu noui & nosco militem in Suenia Constantiensis diœcesis, nobilem natu, procerum statura, opibus diuitem, animo virilem, sagacem ingenio, & in armis exercitatissimum; sed quod his longè maius est, Ecclesijs deuotum & Deo, misericordem in pauperes, pium in miseros, & omnium virtutum inter nobiles speculum, qui etiam post vnius, quam habuit, vxoris deuotæ obitum viduus manens, se castrauit non materiali ferro, sed castitatis euangelicæ cauterio. Hic (vt à suo commilitone percepi fide digno, & penè toti constat patriæ) tam sedulus est & fuit in ecclesijs cùm moram trahit in ciuitatibus, vt clericus plus quàm laicus esse censeatur; sed in actuali militia, vbi iustitiam pro se gerit, nullum in campis, vel vix in armis habere parem dicitur aut secundum. In itineribus verò vbicunque pauperes Christi intuetur est largissimus adeo, vt

Miles iustus pro fide pugnans 42 acceptis vulneribus sanatur diuinitus.

nullus

nullus ferè miser sit, qui se abscondere valeat à calore eius. Porrò ante modicos annos, quando crux prędicabatur contra Hussitas & VVickliphistas Bohemicos, & frequentibus annis exercitus fidelium de superiori Alemania cruce signati aduersus fidei hostes proficiscerentur versus Bohemiam, nec proficerent, nescio quo Dei iudicio, semper hic miles grauibus expensis interfuit, paratus mori, vel vincere pro fide tuenda. Cumque tandem fideles tepefacti hęreticam prauitatem inuadere desisterent, excepto vnico constantissimo, reuera Christianissmo principe Alberto duce Austriæ, qui continuum certamen hæreticis intulit, cruciabatur animus militis plurimum, quod ferè nullus nobilium, nec ciuitatenses imperij modo congressum hæreticis dare disponebant. Zelus igitur domus Christi militem comedere incœpit. Vnde vna die motus ait ad quosdam suos nobiles & iuuenes cōsanguineos. Cur, quæso, inertiæ vacamus & ocio in nostris partibus? Scimus ducem Austriæ, à cuius domo multa habemus feoda, vexari per perfidos: me, si placet, sequimini, capitaneus vester ero, vos stipendium, si placuerit, recipietis, Deus mihi prouidebit. Placuit sermo iste tironibus prædictis, cum quibus per centum ferè miliaria Theutonicalia ad Austriam descendit. Habuerunt autem ad maius quadraginta viros equestres armis & animis electos & munitos. Cumque à duce Alberto sibi dari poscerent locum, in quo quotidianis guerris possent vexare hęreticos (pro tunc enim nulla expeditio ducebatur contra eos actu) castrum eis fidelium quoddam datum fuit versus Bohemiam ad tuendum, circa quod rarò, vel nunquam perfidi comparuerunt postmodum. Petierunt deinde locum alium tam propinquum infidelibus, vt quoti-

Psal. 18.

Zelus Alberti ducis Austriæ contra hæreticos.

Psal. 68.

dianum certamē habere valerent, alioquin recessū de terra minabantur: vnde miles cum suis per ducem Austriæ datus est ciuitati Iglauiensi in tutelā, quæ proxima fuit hæreticis, prope cuius portas sæpenumero, immò in ipsis aliquando portis, hæretici pisces & alia victualia vi catholicis paulò antea capere tunc consueuerant. Quibus miles cœpit obsistere, & multis dietim occisis in tantum perfidos compescere, vt nedū prope ciuitatis portas, sed nec in propinquo territorio aliquis cōparere auderet perfidus. Habuit eodem tēpore hæreticorum secta capitaneum insignem audaci malitia Zischa nomine, qui prænarrata omnia vindicare disposuit. Nam vna die duas acies armatorum disposuit, primam de quadringentis viris fortem, cui commisit, vt mane sequentis diei villagia fidelium circa Iglauiam incenderent, & ita militem Christi ad exeundum ciuitatem suam prouocarent. Secundam verò longè maiorem expeditionem collegit, in qua ipse primam sequendo, eidem si inuaderetur succurrere disponit. Prima igitur acies infidelium mane extra Iglauiam, vt ordinatū est, in campis comparuit, & Christi militem ad exeundum prouocauit. Qui statim ad vicinum quendam locum pro quibusdam armatis vocandis nuncium direxit, & stipendiarios ciuitatis secū exire inuitauit, ad explorandum exercitum aduersariorum, & ad inuadendum eundem, si opportunitas assisteret, inuitauit. Quo viso, ciuitatis stipēdiarij militi dixerunt. Ciuitatis tuitio nobis principaliter est commissa, nec expedit vt tam pauci improportionabilem nobis armaturam aggrediamur. Tunc conuocatis suis, miles more Machabæi ait. Ecce audistis, isti perfidos non aggredientur, quæso igitur Christi inimicos inuadamus: spero enim aliqui

aliqui alij ex nostris, pro quibus direxi, tempore medio venient, paucitatem nostram non timeam*, rarò vidimus multitudinem, quæ regi nequit, esse victricem; aut victoriam obtinebimus, aut occumbemus. Ex primo laudem coram Deo, & mercedem, atque gloriam militiæ: ex altero habebimus martyrium, quo genere mortis nihil fœlicius. Quo audito quadraginta isti viri parati mori, munitionem perfidæ concionis aggressi sunt, currus quibus se fortissimè circumdederant, velut leones, frangere cœperunt, & introitum quendam ad hostes per cincturam curruum, qua se circundederãt, velut portam quandam fecerunt, in qua bellantes mutuò, militi quadraginta duo vulnera dederunt, quibus prostratus, raptus est inter hostes. Nec tamen sui à cœptis destiterunt. Tãta enim constantia bellantes perseuerauerũt, quovsque hęretici territi in opposita parte munitionem propriam fregerũt, & fugam arripuerunt. Venerunt enim medio tẽpore quidam fideles pauci in succursum prioribus, cum quibus tota expeditio hæreticorum in fugam versa, prostrata est & occisa, paucis Baronibus eorum reseruatis & captiuatis, & ita Zischa cum suis fugere coactus est. Victores ergo redeundo reperierunt militem semiuiuum, & vsu rationis carentem ex plurimo sanguine effuso; quem in ciuitatem delatum omnis plebs lamentabatur, sed, ex Christi gratia, die altera vti perfecta ratione cœpit: Et vt ipse miles mihi retulit, non tam humano medicamine, quàm diuino munere ab omnibus vulneribus plenè sanatus est in breui dierum spacio. Vidit eodem tempore miles iste nocte quadam mentalibus oculis Christi matrem, cui semper solebat obsequi deuotissimè, se consolantem, & sibi suadentem

ne tristaretur de lacerato & sauciato corpore, quod exinde amplius animæ erat profuturum. Apparebat denique sibi tũc in visione quomodo intueretur arborem quandam grandem crescere ex corpore proprio, cuius stipes & rami de terra per aëra marcescentes & aridi protendebantur, & sine fructu exclusiuè vsque ad cœlum, vbi primò virentibus folijs fructus vberes in cœlo produxerunt. Per quæ, vt rei euentus postmodum docuit, militi dabatur intelligi, quòd in terris pro tanta fidei victoria non condignum à terrigenis præmium, sed in cœlo thesaurum habere debuit. Viso enim quod miles iste, qui velut peregrinus in terra Austriæ extitit, talem de hæreticis triumphum reportasset, inuidia quosdam nobiles segnes & vecordes tetigit, quæ militem Christi apud principem falsò de quibusdam accusauit, à quibus tamen, certum est, sufficientissimè postmodum miles se expurgauit. Et quia (vt mihi constat, qui pro tunc in Austria VViennæ sententias legi) domum militis in proprijs partibus necessitas ardua inuasit, idcirco de consilio cuiusdam valde deuoti & litterati Theologię magistri secularis, Austriam cum suis, quæ eo fortè digna non fuit, recedendo reliquit, & ad propria remeauit. Vndè etiam in * bona diu postmodum memoria eius habita esset, quidam de maioribus Austriæ baronibus, & de probioribus, me præsente, ironicè contra quosdam ait. Hunc, inquit, virum sustinere non potuimus. Habuit hic tiro, (vt mihi retulit) auum militem strennuissimum, * qui in regno Hungariæ verum regem Hũgarorum de castro, quod ibi habuit, iuuare solebat. Erexerat autem se pro rege regni tunc quidam Baro potens aduersus Hungariæ regem, quẽ quotidianis satis molestabat guerris. Et quia miles tyranno

f. bono.

rest. pro quia Audax respectu ho sti datum

tyranno multas intulit molestias, ei insidias posuit, & in campo veri captiuauit, eique ligato dixit tyrannus. Quid, quæso, mecum ageres, si ego tuus essem, sicut tu meus es modò captiuus? Respondit miles. Te reuerà in arbore proxima suspendio interimerem, quia nullo iure fulcitus regnum domini mei regis vexas. Cui tyrannus. Hęc tuæ mortis est sententia. Vnde protinus laqueo quæsito famulis præcepit, vt abductum in proxima quam reperirent arbore suspendio iugularent. Receperunt ergo hostes militi arma sua omnia, vt in illis iam confidere non posset. Igitur dum eques duceretur inter equites, habens in brachio laqueum, quo ab aduerſario tenebatur, capta oportunitate, inopinatè & in ictu oculi miles laqueum de manibus ducentis excussit, aduersarij sui, qui eum captiuum ducebat, gladium extraxit, & vno ictu occidit, sicque pungens equum, quem habebat bonum, fugam inijt, & versus castrum proprium properauit, à quo, sui eum præuidentes descendendo tuebantur, & hi qui militem insequebātur illico perdita iam præda recesserunt. Ista si olim gentiles vidissent, haud dubium fortunę ascripsissent, iuxta illud: Fortuna audaces ipsa iuuat. Nos virtutibus iustitiæ & fortitudinis ista ascribamus, quia hæ sunt quæ nobilibus bonis, thesauros in cœlo recondunt.

à captiuo milite iusto, & euasio stupenda è manibus eum deducentiū ad mortē.

Virg. 10. Æneid.

Quis sit odor bonus in moribus. De sanctè in matrimonio, & castè viuentibus. Et vtrum bonus Angelus aliquem hominem in bono possideat, sicut malus in malo.

CAPIT. IX.

OCcurrit alia conditio, videlicet, *quòd formicarũ nidus acutum quemdam & ponticum atquẽ odorem emittit delectabilem*. Nidus, vt nouimus, *omnis auium fœcundarum & prolificantium propriè solet esse habitatio & domicilium. Volucres enim cœli (ait saluator) habent nidos suos, Lucæ 9. Odor verò delectabilis virtutum redolentiam, famam, & exemplar significat, atque Christi sanam doctrinã: vnde & 2. Corinth. 2. dicit Apostolus. Deo gratias, qui semper triumphat nos in Christo Iesu, & odorem notitiæ suæ manifestat in omni loco, quia Christi bonus odor sumus Deo, in his qui salui fiunt, & in his qui pereunt: alijs quidẽ odor mortis in mortẽ, alijs verò odor vitæ in vitam. Per nidum igitur formicarum odoriferum & olentẽ suauiter, vita & habitatio intelligi potest bonorũ coniugatorum in fœcunditate liberorũ sese mutuò, & totam domum virtuosè regentium, quorum tabernacula admiratur propheta, cùm dicit. Quàm dilecta tabernacula tua domine virtutũ? concupiscit & deficit anima mea in atria domini. Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum. Etenim passer inuenit sibi domum, & turtur nidum sibi vbi reponat pullos suos. *PIG.* Vidistinè vnquam domos tales coniugatorũ in medio seculi, de quorum conuersatione & vita virtuosa similitudo & proprietas prefata formicarum, & dictũ prophetę meritò verificari valeret tuo iudicio? *THEOL.* Quantum mea se extendit consideratio, non semper ista, sed sæpius reperi, de quo duo tibi exempla monstrabo. Vnum tibi, suprà libro primo cap. quarto, partim recitaui de virgine quæ maleficium clerici & dæmonis euasit meritis beatæ sẽper virginis Mariæ. Hæc enim postmodum columbino animo nuptui tradita est cuidam verè simplici & recto,

b. omniũ.

Psal. 83.

Exẽp. coniugũ sanctè conuersantium in cõiugio.

recto, ac timenti Deum iuuenculo, cum quo gignere meruit plures hodie viuentes filios, & vnicam filiam, quos natos ita ab ipsis cunabulis nutriuerunt, vt iam adulti speculum totius patriæ existant omnes, & quilibet in statu suo licito quē arripuit. Nam vnus filiorum castus & deuotus factus est sacerdos, reliqui matrimonio iuncti sunt, & multi viuunt laudabiliter: Filia autem sub voto virginitatis matri obediens eidem cooperatur in domus regimine. Nulla vnquā dissolutio, nullū scurrilitatis verbum, aut derisorium parentes horū in sua domo sustinuerunt audire vel loqui, minimè nomē Dei in vanū sumi à quoquā, & vagari ocio, sed domus regimen si vidisses, plus monasterio, quàm comparasses hominum secularium habitaculo, nisi quod vir & vxor ibi pariter habitauerunt, perfectè tamen sub lege per Apostolum data cōiugibus. *1. Cor. 7.* Ægrotare autem in bona senectute cœpit maritus, & publicè cum gaudio familiæ suæ dicere. Scio me de hoc migraturum seculo infirmitate præsenti, de quo gauisus sum corde, quia nihil amplius me in hoc mundo delectat viuere, dixit, & factum est vt prædixit, quia sumptis sacramentis Ecclesiasticis deuotè in breui postmodum diem clausit extremum. Reliquit autem Deo deuotam iam viduam, quæ prius matrona existens sanctarum coniugum, modò sancta mater est & consolatrix viduarum sibi complicum. Est præterea in ciuitate Basileensi minori, Constantiensis diœcesis, hodie Margareta nomine vidua, annum attingens propè sexagesimum, quæ cùm primum esset nubilis suæ iuuentutis tempore iuncta est matrimonio viro cuidam honesto secundum seculum, sed nō tam Deo supplici, quantū vxor extitit. Fuit enim ipsa corporali specie pulchra facie, & elegātis corporis,

Alterum exemplū de eadem re.

corporis, quod in lege coniugij sic coëgit seruire spiritui per orationes crebras, ieiunijs & abstinentia, vt instinctu sancti spiritus de rebus occultis futuris & præsentibus * suæ sanctæ vitæ accommodum distinctiùs, lucidiùs, & frequentiùs percipere mereretur, quàm de virgine aliqua senserim. Omnia mundana fugit pro posse solatia, quando valebat, festiuis ad minus diebus, & alias quotidie ecclesiarum attriuit limina, prædicationi diuini verbi delectabiliter interfuit, & sãctos libros pro posse legere studuit, quorum sententias, & vitam Christi ac passionis eiusdem summum beneficium in domo, in foro, & in vijs publicis, immo in domo siue laboribus corporeis, frequenter, adeò deuotè & feruenter animo sciuit reuoluere, ac si præsentia in scripto conspiceret. Et licet viro, quantum vxoris intererat, valde inuita exactum redderet debitum, id tamen reciprocè nullatenus ipsa exigebat, sed ne istis casta mens occuparetur, preces ad virginem beatissimam (quam dilexit plurimum) cœpit multiplicare, vt à suo filio purissimo, marito donum daretur maioris continentiæ, quàm hactenus habuerat in matrimonio. De adulterio enim ibi nulla aderat suspicio. Quæ casta petitio feminæ tam fuit efficax, vt Venus in viro penè eradicata esse videretur. Nam maritus de se postmodum admirabatur sæpius, vnde sibi hoc castimoniæ munus, quod in se sentiebat præter solitum, aduenisset: Sciuit quippe nec abstinentia, nec precibus, nec ieiunijs id petisse à Deo, quod vxoris merito à Deo dabatur. Propterea quadam vice satis benignè secretò vxori dixit: Credo, inquit, (ni fallar) me frigidum esse, sed nescio qualiter procurasti. Non enim castam coniugem de maleficio suspectã habere potuit, quã summo horrore talia detestantem

.i. quod ei conueniret.

ſem nouit. Habuerunt tamen inſimul generatione caſta natos quoſdam, quos mater omni conamine Deum timere docuit à ſua primęua ætate. Ceterum (quod dictu vix eſt credibile) occupata in domus diſtractiuis laboribus, vel vexata debilitate in puerperio, aut in neceſsitatibus proprijs miniſtrans proprijs infantulis, mens ſanctæ feminæ inter iſta ſæpius altiorem & deuotiorem de rebus diuinis Chriſtum concernentibus contemplationis gradum actu habuit, quàm me triginta annorum religioſum profeſsione & nomine vnquam ſcio habuiſſe. Inter quas viſiones, prout in ea ſępe didici, diuino ſpiritu præuidit, quæ humanitus præſcire non poterat, de quibus tamen reuelationibus modicam æſtimationem faciebat, ſed de diligendo Deum, & de obſeruandis Chriſti præceptis & conſilijs ſine peccato maximè curabat. Deſtituta autem tandem viro, licet eſſet nubilis, nullum tamen de cetero virum, Chriſto quem elegit, præferre voluit, ſed ſolam filiolam, quam pater reliquit ſecum vidua hodie puto ſancta Deo militare non deſinit tam perfectè, vt nonnunquam eã à bono poſſeſſam eſſe angelo conijcerem.

PIG. Animo meo ſępe irrepſit dubium, vtrum boni Angeli & ſpiritus quoſdam Dei famulos & famulas tales intrando in bono poſsideant, quemadmodum maligni ſpiritus non dubium in malo ſibi traditos obſident? *THEOL.* Credo quæſtionem tuam ad partem affirmatiuam veram, & apud plures doctores ſcio admiſſam eſſe. Non tamen intelligendũ eſt, à ſanctis Dei Angelis quẽquam poſsideri cum priuatione vſus rationis, qua mediante neceſſe eſt meritorium actum perficere, ſed ſua inhabitatione corpus & animam regere norunt diſcretè. Et cum ſecundum Beatum Dionyſium

nysium sint specula mundissima, & lucidissima, potius mentem humanam perficiunt, illuminant, & promouent ad diuinum famulatum; quorum contraria dæmon obsessis infert corporibus. Quod autem Angeli boni quosdam Dei seruos quodammodo possideant, vel obsideant, patet experientia, patrum exemplis, ratione, & ex sacra scriptura. Experientia quidem, quia sicut videmus à dæmone possessos, vel eisdem familiares, vt maleficos, & eorum discipulos, in vultu deformitates oculorum, faciei, vel gestuum contrahere horribiles ad inspiciendum alijs hominibus, quæ nulli dubium effectus sunt maliciosissimæ præsentię dęmonis: ita eos qui toto nisu Deo & virtutibus inseruiunt potissimè castos corpore experimur, gratã faciẽ, benignos gestus, & intuitus humanissimos etiam peccatorũ aspectibus pręferre. Nam charitas, gaudium, patientia, benignitas, & similia sunt (vt Apostolus ad Galatas quinto dicit) effectus spiritus & fructus. Noui aliquando nobilẽ & deuotum militem, de quo dicam inferius libri quarti capitulo decimo, qui vxorẽ pulchrã habuit deceptã occultè paulisper à quodam adultero, cui satis cõglutinato amore affecta & infecta erat. Expertus illud miles maritus prudens, qui animã perditæ vxoris curare volebat, secretè vxorẽ accersiuit, vultum eius (vt mihi miles retulit) horridum nimis vidit, ei sanctis & pijs monitionibus contritionem super scelere, & pœnitentiæ sacramentum suasit, & per Dei gratiam ad hoc exequendum vsque perduxit. Quo facto, & sacramentali sumpta pœnitentia à sacerdote recedens, casto marito militi visa est pristinã recuperasse faciei speciem totaliter, quam anteà sensibiliter perdidisse videbatur. Patet propositum patrum exẽplis. Nam sanctus pater Equitius, de quo beatus

Dionys. de diuin. no. c. 4. p. 4.

Bonos angelos possidere aliquos in bono varijs probat modis.

Species gratiosa coniugatæ euanuit et successit ingrata et horrida ob admissum adulterium, sed per pœnit. sacramentũ vultus pristinũ decorẽ recuperauit.

beatus Gregorius primo dialogorum refert, ab angelo possessus esse videtur Seraphico, qui licet nullũ sacrum haberet ordinẽ, nec missus foret ad prædicandũ à summo pontifice, tamẽ tanto feruore accensus extitit ad conuertendum fideliũ animas ab amore mundi ad diuinum obsequium, vt per ecclesias, per castra, per vicos, per singulorum quoq; fidelium domos circũquaque discurreret, & ad amorem patriæ cœlestis corda audientiũ excitaret. Cuius rei causam, cum ab eo ei familiaris Felix re, & nomine admirando sciscitaretur. Respondit Equitius. Ea quæ mihi loqueris, ego quoque mecũ ipse pertracto, sed nocte quadã speciosus mihi per visionem iuuenis astitit, atque in lingua mea medicinale ferramẽtum, id est, fleubotomũ, posuit, dicens: Ecce posui verba mea in ore tuo, egredere ad prædicandũ: atque ex illo die, etiamsi voluero, de Deo tacere non possum. Legimus insuper in Vincẽtij speculo historiali, quendã Cisterciẽsis ordinis Abbatẽ, à sancto Petro ordinis eiusdem cognomine monoculo interrogasse, quomodo posset semper in eodem statu æquanimiter perseuerare. Respondit Petrus. Cum essem nouitius quasi quidam spiritus sensibiliter visus est in me intrare, ex tunc vsque nunc sẽper illa vis, illa reaffectio mihi dominatur quodãmodo, regit me, & me deducit vt ouẽ Ioseph, sparsum per exteriora, frequenter introrsum colligit, nolentem intendere orationi cogit, ea quæ oculis ingeruntur, aut auribus facit interdum non sentire. Porrò scripturis sanctis dicta opinio non est absona, sed concors potiùs. Audita enim voce angelica spiritus in Ezechielem prophetam sanctum ingressus esse dicitur, Ezechielis secundo, vbi sic habetur: Audiui vocem loquentis (inquit propheta) & dixit ad me: Fili

Greg. l. 1. dial. c. 4.
Exempl. angeli boni B. Equitium possidentis & ad prædicandum iugiter instigantis.
Vincen. in spec. hist. l. 30 c. 28
Alterum de eadem re S. Petri monoculi.
Psal. 79.

Fili hominis sta super pedes tuos, & loquar tecum. Et ingressus est in me spiritus postquam locutus est mihi, & statuit me super pedes meos. Constat autem istum spiritum Angelum bonum fuisse omnium doctorum iudicio catholicorum. Rationi etiam consonat, quod cùm bonus spiritus sit fortior malo spiritu, & fauorabilior amantibus eũ & ei obsequentibus, quàm malignus spiritus suis fautoribus hominibus peruersis, & Deus pronior est ad miserendum, & præmiandum, quàm ad puniendum, cur non maiorem potestatem tribueret super hominem eum colentem bono angelo, quàm maligno spiritui super Deum offendentibus? In his igitur contenti rationibus ad aliam formicarum proprietatem properemus.

Fœtor luxuriæ assimilatur sulphuri: & quantò sit fugienda. Et de castitate, aut virginitate, quæ sicut corpus tueri potest.

CAPIT. X.

F*OEtida multum odiunt, vt sulphur, cornu ceruinum adustum, & origanum, quæ si formicarum superfunduntur domibus, ex eis migrant ad locum alium.* Vnde qui eas fugare volunt à suæ habitationis domo, eidem pulueres cornu ceruini immittunt adusti, vel fumigant sulphure, aut origano. Per fœtida, & sulphurea sacra scriptura dat intelligere Venerea. Vnde Genesis decimonono. Dominus pluit super Sodomam & Gomorram sulphur, & ignem, vt fœtida & abominabilia eos viros punirent, quos luxuria fœdauerat. Et Ecclesiastici. 9. de incontinẽtibus feminis dicitur: Omnis mulier quæ est fornicaria

caria, quaſi ſtercus in via cōculcabitur, colloquium enim illius, quaſi ignis exardeſcit. Has immundicias quia diuina gratia beata Agnes euaſit, idcirco teſte beato Ambroſio, ſtans in medio flammarum ſpeciales virginis filio, & ejuſdem patri laudes retulit, quod carnis, videlicet, ſpurcitias immaculato calle tranſiuit. Virginibus igitur, & cōtinere volentibus dicta formicarum conditio neceſſaria eſt; quia talibus caſtis omnia velut morticina fugienda ſunt in verbo, & opere, in cogitatu, & delectatione, in geſtu, & contagione, quæ fœtorem in ſe notare poſſunt luxuriæ. Et ſi à talibus ſe alienare aliter nequeunt, potius domus & habitatio propria relinquenda eſt, & migrandum ad locum alium. Cum multis enim vitijs in facie pugnandum eſt, iſtud vero Venereæ voluptatis contagium non melius quàm fuga vincitur. Fugite, inquit Apoſtolus, fornicationem. Ioſeph iuuenculus in hoc prudenti conſilio vſus eſt, qui procantem feminam reliquit, & relicto pallio fugam inijt. Tantò denique multæ virgines fœtorem hunc horrebant luxuriæ, vt non ſolum domum, & patriam, ſed etiam vitam relinquerent pro tuenda caſtimonia, de quibus Paſsionale ſanctorum refertum eſt.

Ambroſ. ſer. 90.

1. Cor. 6.

Gen. 39.

PIG. In primitiua eccleſia, quando charitas, non dico viuebat, ſed potius bulliebat in fidelium cordibus, tales, de quibus aſſeris, repertę ſunt virgines. Sed nunc tempore noſtro quo charitas, & per conſequens caſtitas refriguit, taliuſmodi fugas non vidi continentium. *THEOL.* Ego autem aliquotiens meo tempore didici non minorem conſtantiam virginibus affuiſſe pro cuſtodia ſuæ pudicitiæ, quàm quibuſdam beatis olim in ſexu fragili: Noui etiam hodie viuentem virginem Claram re, nomine, & opere. Hæc iunior exiſtens, & decora

Mat 24.

Exẽp. fortiter custodita & propugnatæ virginitatis.

decora in toto corpore, in villagio rurali manere solebat, & vitam castam deuotè Deo ducere. Sed quia nubilis erat, & rebus paupercula, quidam territorij dominus hanc tyrannicè moliebatur matrimonio tradere alicui suo seruo, vt ex eis seruiles nascerentur personæ. Aciem igitur duplicem contra castam cœpit instruere: Primam blandientibus verbis, sed incassum. Ipsa enim virgo ita domino territorij respondit: Ingenua, scio, sum corpore, sicut omnis parentela mea testatur: idcirco libera castimoniam elegi, quam, absit, vt Deo subtraham & tradam homini. Alterum itaque bellum tyrannus admouit minis & terroribus, quæ illa paruipẽdens, assensum nuptijs præbere contradixit. Quo viso, quidam seruilis conditionis à tyranno eligitur rusticus. Virgo eidem in coniugium promittitur, & quod negauit virgo facere volũtaria, nitebatur iam cogi inuita. Nam cum præfato rustico violenta manu virgo turrim carceralem ingredi compellebatur, & viro licentia consummandi matrimonium dabatur. Quo viso, virgo in angulum carceris oppositum se stando contulit, crucis signum, vt diuina asſisteret gratia manui impresſit, & ad virum ita dicebat: Video quousque tu & dominus tuus tenditis, elige de duobus vnum, aut me intactam relinquendo mihi non appropinquabis, aut me inuadendo, si aliter euadere te nequibo, manibus feminæ interibis. Fuit enim virgo robusto corpore & animo accensa castitatis zelo. Isto viso & audito rusticus clamare cœpit ad exteros Aperite, quæso, carceres, aperite, vrsam non coniugem mihi dedistis. Ad hos clamores turris aperiebatur, & visa constantia puellæ, deinceps in maiori pace, quàm anteà Deo seruire permittebatur. Nam ipsa fratrem vterinum iuuenem ad par

castitatis

castitatis propositum alliciebat, cum quo iã habitauerat à iuuentute. Ambo enim vsque hodie de cultura terræ in vna domo viuentes in paupertate honesta, de labore manuum simul cœlibem ducũt vitam. Ipse etiam frater modò exemplar castitatis rarissimum est in loco, vbi habitat cum viris. Ipsa verò virginibus multis, quas dietim semine castorum verborum gignit, mater est, & consolatrix. Hæc licet modò sit propè quinquagenaria, tamen votum castitatis, quam semper dilexit, nunquam emiserat. Quod cùm ab ea audirem, & virginem reperissem verbi diuini prædicatione satis carentem, instinctu spiritus sancti in magnis tentationum fluctibus fuisse rectam & custoditam, suasi vt de cætero in Deo fidendo, voto priuato se castitatis Christo in sponsam consecraret. Illa protinus obediuit, & causam protelationis huiusmodi, diffidentiam propriarum virium esse asseruit, in quibus nunquam confisa est, sed in Deo qui eam hactenus custodiuit, & custodiet, spero deinceps illibatam. Viuit item virgo alia nomine Agnes, libera natu, vsque modò in ciuitate Basiliensi, iam, puto, plus quàm quinquagenaria, quæ cùm esset primùm nubilis, & in villagio eiusdem diœcesis nutrita, tentari cœpit ab eiusdem territorij domino, vt vnum de suis seruis ipsa reciperet in matrimonium. Quod cùm illa facere renueret, seruum elegit iuuenem, & quantum sua interesse videbatur, virginem illi in vxorem tradidit inuitam & insciam. Cumque ipsa hoc esse promissum à domino disceret, & per consanguineos, à dominoque terræ ad nuptias promittendas vocaretur, recusabat ista omnino, castitatis ob amorem, & domum, ac patriam cœpit fugere. Quo percepto, per tyrannum & suos, virginem

Aliud eiusdẽ rei.

teneram tunc cum canibus, velut feram ſylueſtrẽ, inſequebantur, captam plagis & pugnis verberabant, ſed nihil proficiebant aduerſarij. Virginitatis corpuſculum ſiquidem eius cogi, ſed animus violentari non potuit inuitus. Igitur vi capta, &, velut latro reducta laribus amicorum, ibidem iterum iuueni priori iungi tentabatur matrimonio. Inſuper publicè ad eccleſiam ducta ipſa, & qui eſſe debuit maritus, & in facie eccleſiæ per quendam fatuum ſacerdotem benedicebantur quæ non aderant nuptiæ. Demum redeuntibus amicis cum ſponſa ad hoſpitium, ſequenti nocte, in eadem domo, vna in camera, & eodem in * loco cogebatur cum prætenſo marito dormire per plures mẽſes, inter quod tempus & poſtea ſemper ſe defendit virago intacta à viro: Et ſic modò viſa eius cõſtantia perſeuerat caſtè, & mundè viuendo, cum quadam honeſta domina in ciuitate Baſilienſi.

al. lecto.

PIG. Ambas, de quibus præmittis, virgines laudas de ſua ad ſuperiorem reſiſtentia. Inter quas, * vt ſi prima eſt excuſabilis cum ſecunda in parte, non videtur tamen quòd prima ſit excuſanda in toto, quia mortem, vel ſaltem violentiam ruſtico inferre grauem volebat, ſi eam inuitam violare voluiſſet. *THEOL.* Concorditer ſatis dicunt noſtri ſacrorum apicum ſcrutatores, quòd caſtitatem quis, ſi aliter nequit, ſicut vitam ſuo modò defendere poteſt; & quamuis ex veridica beatæ Luciæ ſententia, corona virgini duplicaretur, ſi violaretur inuita, præiudiciũ tamen exinde multiplex corruptæ in præſentia eccleſiæ ſuboriri poſſet, vt patet in velatione virginum, in quarum numero conſecrari non debent à barbaris etiam inuitè corruptæ, vt tradit beatus Leo papa, & ſanctus doctor in 4. diſt. 38. & Auguſtinus de ciuitate Dei

al. &.

Leo epiſt. 87. al. 95 cap. 5. Tho. diſt. 38. q. 1. ar. 5. ad 4

Dei libri primi cap. 18. & 28.

PIG. Quid, quæso secundum Deum potuissent istæ feminæ fecisse, si serue fuissent, non manumissæ libere, seu ingenuæ? *THEO.* Adhuc eis inuitis nullus in eas iustum dominium habuisset imperandi inire matrimonij contractum, in quo periculum foret castitatis propositæ, solus enim Deus in hoc excipitur in nouo testamento in tali casu, qui plenum dominium habet in corpus & animam, in res & in famam. Vnde sicut in veteri testamento (secundum sanctum doctorem) nullus sine speciali Dei iussu à cōiugio abstinere audebat, ita in nouo testamento nullus, excepto Deo, matrimonium, in quo perderetur castitas, iustè præponere potest cuiquam inuito.

PIG. Cur ergo apostolus ad Colossenses tertio dicit. Filij obedite parentibus per omnia. Et posteà subdit. Obedite per omnia dominis carnalibus?

THEOL. Distinguendum est hic dicit sanctus Thomas. 2. 2. q. 104. Quia ex duobus potest contingere, quòd subditus suo superiori non tenetur in omnibus obedire: Vno modo propter præceptum maioris potestatis. * Vt enim ad Romanos decimotertio super isto. Qui potestati Dei resistūt, sibiipsis damnationem acquirunt, dicit glossa. Si quid curator iusserit, * nunquid tibi faciēdum est, si contra proconsulem iubeatur? Rursum si quid ipse proconsul iubeat, & aliud imperator, nunquid dubitatur illo contempto illi esse seruiendum? Ergo si aliud imperator, aliud Deus iubeat, contempto illo, obtemperandum est Deo. Alio modo non tenetur inferior superiori obedire, si ei aliquid precipiat, in quo ei non subdatur. Dicit enim Seneca tertio libro de beneficijs. Errat si quis æstimat seruitutem in totum hominem descendere, pars eius

Thom. 2. 2. q. 104. ar. 5. rest. pro vt ex orig

Gloss. ord. ex Augu. ser. 6. de verb. dñi. rest. pro nunquam ex orig.

Seneca lib. 3. de benef. c. 2 0.

melior excepta est, corpora obnoxia sunt & ascripta dominis, mens quidem est sui iuris. Et ideo in his quæ pertinent ad interiorem motum volũtatis, homo non tenetur homini obedire, sed solum Deo. Tenetur autem homo homini obedire in his quæ exterius per corpus sunt agenda, in quibus tamẽ etiam secundum ea quæ ad naturam corporis pertinent, homo homini obedire non tenetur, sed solum Deo, quia omnes homines natura sunt pares, puta, in his quæ pertinent ad sustentationem corporis, & prolis generationem. Vnde non tenentur nec serui dominis, nec filij parentibus obedire de matrimonio contrahendo, vel virginitate seruanda, vel aliquo huiusmodi. Sed in his quæ pertinent ad dispositionem actuum, & rerum humanarum tenetur subditus suo superiori obedire, secundum rationem superioritatis; sicut miles duci exercitus, in his quæ pertinent ad bellum, seruus domino in his quę pertinẽt ad seruilia opera exequenda, filius patri in his quæ pertinent ad disciplinam vitæ & curam domesticam, & sic de alijs. Verba sunt sancti doctoris quæ audisti. Ad tuum argumentum respondet quod Apostolus dixit, per omnia, intelligendum est quantum ad illa, quæ pertinent ad ius patriæ, vel dominatiuæ potestatis.

Thomas vbi supra in resp. ad 1.

Abstinentia quantum prodest, & crapula obest. Quòd Deus in his pugnantes iuuat. Et de terra vbi viget castarum feminarum multitudo, & virginum.

CAPIT. XI.

Audi

AVdi nunc proprietatẽ formicarũ aliã,quę eſt: *Sũt õnes circa ventrẽ ſtrictæ. paruæ, & quaſi cinctæ.* In quo apertè caſtè viuere volentes docent, vt præ cunctis à carnalibus cibis & potibus ſuperfluis ventrem debitè reſtringant. Nam tam vicina in anima & corpore ſunt ſibi mutuò ventris ingluuies & luxuria, quàm propinqua ſunt ad inuicem membra corporis dictis vitijs deſeruientia, vt Beatus Hieronymus in quodam ſermone affirmat. Vnde ventre in victu non reſtricto * debitè ianua Venereis eſt aperta. Hoc ſenſit qui Eccleſiaſtici vigeſimo tertio dixit orando ad Deum: Domine pater & Deus vitę meę ne derelinquas me in cogitatu maligno: Extollentiam oculorum meorũ ne dederis mihi, & omne deſiderium auerte à me. Aufer à me ventris concupiſcentias, & concupitus concupiſcentię ne apprehendant me. Et animo irreuerenti & infrunito ne tradas mę. Vnde ibidem 37. proli ſuæ ſanam dans viuendi normam, dicit: Fili in vita tua tenta animam tuam, & ſi fuerit nequam, non des illi poteſtatem. Non enim omnia omnibus expediunt, & non omni animæ omne genus placet. Noli auidus eſſe in omni epulatione, & non te effundas ſuper omnem eſcam: in multis enim eſcis erit infirmitas, etiam auiditas appropinquabit vſque ad choleram. Propter crapulam multi obierunt: qui autem abſtinens eſt, adijciet vitam. Voluit hoc veritas dum ait Lucę 21. Attendite vobis ne fortè grauentur corpora veſtra crapula, & ebrietate, & curis huius vitæ, & ſuperueniat in vos repentina dies illa, ſcilicet, mortis & iudicij. Hinc Beatus Gregorius in paſtorali. Cocorum princeps muros Ieruſalem deijcit, quia dum venter ingluuie tenditur, virtutes animæ per luxuriam deſtruuntur.

reſt. pro debito. c. d. Veneris.

Gregor. in paſt. par. 3. admonit. 20.

Caſſ. li. 5. de inſtit. monach. cap. 6. Et facundiſsimus Caſsianus Ioannes libro de monachorum inſtitutis dicit: Quibuslibet eſcis refectus venter ſeminaria luxuriæ parit, nec præualet mens diſcretionis gubernacula moderari ciborum pondere præfocata. Non enim ſola crapula * vini mentem inebriare conſueuit, verumetiam cunctarum eſcarum nimietas vacillantem eam reddit, omniq́ue integritatis ac puritatis contemplatione deſpoliat. Quantum etiam ventris ſeruitus, non tantum caſtitatem, ſed etiam omnium virtutum perfectionem ſemoueat; animaduerte beatum Gregorium dicentem ſic in moralibus. Non ad conflictum ſpiritualis agonis aſſurgitur, ſi non prius intra noſmetipſos hoſtis * penitus, gulæ videlicet appetitus, edomatur, quia ſi non ea quæ nobis ſunt viciniora proſternimus, inaniter ad ea quę longius ſunt impugnanda trãſimus. Incaſſum namque contra exteriores inimicos in campo bellum geritur, ſi intra vrbis mœnia ciuis inſidians habetur. Cui alludit illud Caſsiani, vbi prius. Nunquam poterit ardentes concupiſcentiæ ſtimulos inhibere, quiſquis deſideria gulæ refrenare nequiuerit. Interioris hominis caſtitas virtutis huius conſummatione diſcernitur: nunquam enim robuſtioribus æmulis colluctari poſſe confidas eum, quem in leuiori conflictu conſpexeris ab inferioribus paruisq́ue ſuperari. Impoſsibile eſt ſaturum ventrem pugnas interioris hominis experiri, nec bellis robuſtioribus attentari * dignum eſt eum, qui poteſt deijci leuiori conflictu.

adic. vini ex orig.

Gregor. l. 30. moral c. 13. al. 26.

orig poſitus.

li. 5. c. 11

ibid. c. 13

adieci dignum ex orig.

PIG. Porrige exemplum de modò viuentibus, qui in principio ſuæ iuuentutis corpus ſuũ acriter zelo caſtimoniæ crucifigãt in abſtinẽtia & ieiuniis.

Exemplũ magnæ ſobrietatis

THEOL. Virgo Adelheidis, de qua primo libro capitulo vltimo tibi mẽtionem feci, per gaſtrimargiam

giam vehementer, & plurimo tempore impugnata est. Cùm enim pro castitate tuenda ieiunijs quibusdam diebus operam daret efficacem tanta fames eam inuasit, vt nisi ieiunium in laboribus magnis quos habuit, solueret, sibi quod deficeret statim videbatur. Sed illa paulisper substitit, dæmonis tendiculas hæc esse * timens. Quo viso per dæmonem, videlicet, quomodo Christi sponsa, pro eiusdem amore talem corpori rigorem nō horrescebat, statim tentator abscessit, & vt mihi fassa est, posteà, diebus suis hoc vitio virginem non tentauit. FIG. Insigniorem victoriæ palmam hęc in sexu fragili super gulam habuisse videtur, quàm sanctus Pater Serapion iuuenis existens, qui ad sermonem sui patris alienum compunctus est, & de vitio gastrimargiæ penè conuictus, furtum paniculi, quem comedit clanculò, coram fratribus fatebatur, & à tentatore dæmone protinus liberatus est tam plenè, vt deinceps nunquam de gula tentatus sit, prout refert de eo Casſianus collatione secunda Abbatis Moysi. THEOL. Ita esse videtur in parte saltem, sed omissis comparationibus, quia odiosæ aliquando sunt, audi alia. Sunt in magno numero hodie virgines versus montana Italiæ, & in metis Constantiensis & Augustensis diœcesis, non in beginagijs, nec in sanctimonialiū monasterijs, quia loca talia illis in partibus inuisa sunt. Quę virgines habitant in oppidis paruis, in ruribus, & in villagijs, & in terris incultissimis, & vix frugiferis, circa & intra Alpes, perpetuas niues gerentes, vbi vinum nullum crescit, nec hordeum, nec auena, aut siligo, nisi valde in modico, sed minimè spelta vel frumentum, seu triticum. Vix semel in anno ibi virgines vinum nō dico bibere, sed gustare quodammodo consueuerunt.

& abstinentia in virgine Adelheyde.

a. b. timuit inferre.

Cassian. collat. 2. abbati Moysi ca. 11.

Terra ferax virginum in qua nec vinū bibitur nec ceruisia.

Ceruisia ibi quid sit nescitur. Pisces similiter, vel nunquam gustantur ab eis, immo rarissimè videntur. Carnium quidem ibidem non est minor inopia, quas tamē fugiunt velut incentiua libidinum. Aquam puram bibunt, de lacticinijs edunt, & pane vescuntur tam grosso, de quali, credo, nec canes ederent in Rheni linea, & in alijs planis territorijs Alemaniæ: in laboribusque manuum suarum victitant, & ideo puto ferè inauditum est, quod aliqua in lapsu carnis deprehendatur, sicut contrariū satis commune est in Germania, vbi vinum & alia cibaria habentur in copia. De his tamen suprà libro primo capitulo quarto mentionem feci aliquam.

PIG. Tales virgines in reliquis Theutoniç partibus non audiui, nec vidi abstinere, vt tu affirmas; & nisi ipse proprijs tecum peragrando ista vidissē oculis, proculdubio vix dicenti alteri credidissem. Sunt enim (quod omisisti pronunc exprimere) nō obstantibus ieiunijs & abstinētijs longè robustiores viribus, pulchriores facie, & viuunt diuturnius (vt audiui) quàm viniferarum partium, & frugiferarum virgines, prout testantur etiam nostrarum partium dissoluti nobiles, qui dicta loca pertransierunt. *THEOL.* Ad nos, qui castitatē professi sumus, non multum attinet de corporali pulchritudine (quam putredo carnis gignit) disputare, quæ in spiritualibus viris & feminis nonnunquam vituperatur potius, quàm laudatur à beato Hieronymo, & tamen certum est, quod abstinentia secundum eūdem valitudini corporis & animæ, diuturnæ vitç, & sanitati plus cooperatur, quàm ventris crapula, seu repletio: vnde dicit in epistola ad Iouinianum. Legimus quosdā morbo articulari, & podagræ humoribus laborantes, proscriptione bonorum ad simplicem mensam & pauperes

Hieron l. 2. aduersus Iouinian. ante medium.

Podagra simplici victu sanatur.

peres cibos redactos, conualuisse. Caruerunt enim sollicitudine dispensandæ domus, & epularū largitate, quæ & corpus frangunt, & animū. Aptè exhinc Alanus in de planctu naturæ contra prælatos quosdam inuehit, veriùs in religiosos solo gloriantes nomine, quibus tamen ex voto plus quàm secularibus competeret sobriè viuere. Pestilentia, inquit, id est, gula, non vulgari humilitate profundius se porrigit in prælatos, qui salmones, lucios, ceterosque pisces æquipollenti generositate insignes, varijs decoctionum cruciatos martyrijs baptizandi adulterantes officium, sacri piperis fonte baptizant, vt ex tali baptismate baptizati, multiformem saporis gratiam consequantur. In eadem mēsa terrestre animal piperis inundatione submergitur, piscis natat in pipere, auis eiusdē viscositate ligatur. Dumque tot animalium genera imo vētris ergastulātur in carcere, aquatile animal, secum pedestre, aëreumq; genus in eodē sepulchro intumulari miratur, quibus si detur licētia exeundi egressui vix portæ sufficit amplitudo. Ob has causas ab Alano recitatas euenit, vt raro prælati, potentes, diuites, & religiosi, clerici, varijs escarum epulis saginati diu viuant. Vnde Ecclesiastici 10. Omnis potentatus breuis vita. Et vt Macrobius libro Saturnaliū ponit, Iumenta & bestię periodum suam certius homine attingunt, quia simplicibus & vniformibus cibis contentantur. Hinc Seneca in quadam dicit epistola. Multos morbos fercula multa fecerunt: innumerabiles morbos non miraberis, cocos numera. Istis itaque iam pro custodia parsimoniæ & cœlibatus præmissis, de proprietate duodecima disseramus.

Alanus Insulensis

Varijs epulis saginati diu non viuunt.

Macrob. lib. 7. Satur. c. 4.

Seneca epist. 96.

Quòd

Quòd alæ contemplationis in senio assumi deberent. Quid sit senium laudabile. Et quomodo quidam electi in morte timent, alij gaudent, qui prius fuerunt timidissimi, & scrupulosi in conscientia.

CAPIT. XII.

IN *senio tantùm more auium assumptis alis volant.* Sic enim ipse visu expertus sum proprio, quòd in eodem cumulo alæ quibusdam nasci primum videbantur, alijs alæ maturescebant, sublimiores verò adeptis alis iam in altum volitando se extendebant. In quibus nobis congruè insinuant, quòd mortificatis iā gulæ & luxuriæ vitijs, & nō anteà, sed in ⁎ vitæ virtuosæ senio contemplatione pacis, & tranquillitatis donis ditari quidem possumus. Per seuinm namque vita diuturna, & per alas contemplationis instrumenta aptè possunt intelligi. De senio non quolibet loquimur, quia scriptum esse nouimus: Puer centum annorum morietur, & peccator centum annorū maledictus erit. Isaię 65. Sed de eo de quo Sapientiæ quarto scribitur. Senectus venerabilis est, non diuturna, neque annorum numero computata, cani sunt autem sensus hominis, & ætas senectutis vita immaculata. De pennis etiam illis intelligimus de quibus vaticinatur psalmista vbi dicit. Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, volabo & requiescam. Ecce elongaui fugiens, & mansi in solitudine. Expectabam eum qui saluum me fecit à pusillanimitate spiritus, & tempestate. Hoc enim desiderium est (vt glossa innuit) quorundam seruorum Dei, qui malis

⁎ i. d. vitæ virtuosi senij.

Psal. 54.

Gloss. ord.

malis mundi huius pressi, & pusillanimitate quadam tribulati, à diuina gratia in morte requiescunt & liberantur. *PIG.* Vitę quietem præsertim in senio, vel in vitæ præsentis termino per Dei contemplationem adipiscendam semper affuturam sperabam his, qui in iuuentute Deo militauerant, vt sic post labores diutinos pennas tandem contẽplationis assumerent velut aquilæ, & in cœlum per mortem lætam volarent, nec deficerent. Sed multi verentur de contrario. Nam vidi in diuersis fratrum reformatorum conuentibus, & aliquando in sanctarum secularium virginum congregationibus vtriusque sexus tam timoratos homines, vt magnum periculum eis imminere suspicarer, si in talibus scrupulis extremę ægritudini propinquarent. Desperationi enim timor inordinatus fomitem ministrare solet, quod valde periculosum morituris esse creditur. *THEOL.* Signa prędestinationis in bene * speificatis circa mortem consolari quẽ debent, vt gaudere cum tremore discat: Vnde B. Gregorius super isto Iob 5. Bestiam terræ non formidabis, cum Glossa dicit. Bestiam, id est, diabolum. Bestias terræ non formidabis, quæ tempore mortis ad rapiendum effrenantur. Sed sæuientes non timet, qui blandientes secutus non est, & initium retributionis est in obitu securitas mentis. Cùm autem bene viuitur, cauendum est ne quis despectis ceteris de singularitate glorietur. Tamen quando aliqui reperiuntur de quibus cõstat, quòd conscientiam primum examinantes debitè, & vitam preteritam ex hoc emendauerunt, qui virus veteris hominis coram legitimo confessore cum cordis dolore euomuerunt, & confessori obedientes pœnitentiam obedienter cum proposito vitam emendandi assumpserunt, sibique à peccatis lethalibus

c.d. specificatis.

Gregor. l. 6. moral. c. 16. al. 21.

Gloss. ord.

libus cauere studuerunt, qualia etiam scienter perpetrare nollent. Si, inquam, tales timidi in morte reperiuntur pusillanimes seu scrupulosi, bona spes de eis habēda est, nedum modò quando iste timor velut vigil quidam non dormitabit neque dormiet quin custodiat Israel à multis peccatis, & ab eorum occupationibus, sed etiam in extremis eis felix expectanda est affutura prosperitas; quia tunc præpurgati, & igne tentationis examinati, diuina gratia aut talem pusillanimitatem eis tunc adimit, aut dispositus statim euolare facit, aut victoriam tribuit, ne tales ab hoste vincantur, muniti ecclesiasticis sacramentis, & præuijs meritis. Ita enim quisque piè in benigno nostro saluatore sperare potest, quia sic actum esse cum talibus, sæpe datum est videre nostro tempore, quantum humana fragilitas considerare potest. Quid namque mirum si moriturus statim, mortem satis timet? Quis enim (vt Petrus ait diaconus 4. dialogorum Beati Gregorij) tam inexplicabilem sententiam cuiuslibet sic operis ad exitum veniens non pertimescat, quando etsi iam nouit quod egit, adhuc tamen facta illius, supremi scilicet, iudicis, quàm subtiliter iudicentur, ignorat? Cui beatus Gregorius respondet. Vt asseris, ita est; sed plerunque de culpis minimis ipse solus pauor egredientes animas iustorum purgat. Sicut narrari de quodam sancto mecum frequenter audisti: qui ad mortem veniens vehementer extimuit, sed post mortem discipulis in stola alba apparuit, & quàm præclarè sit susceptus indicauit. Nonnunquam verò omnipotens Deus trepidantium mentes quibusdam prius reuelationibus roborat, vt in morte minimè pertimescant. Hæc Gregorius. Nam vtrique idem sanctus, & liber

Psa. 120. *Gregor. l. 4. dial. cap. 45.* *cap. 46.* *cap. 47.*

liber qui Vitæ ſ-patrum inſcribitur, multa exempla referunt de ſanctis viris, & perfectis, quorum quidam tempore mortis nihil, aut modicum, alij verò ſatis, vel multum timuerunt. Vnde ibidem de ſancto abbate Agathone dicitur, quòd in hora mortis conſtituto quæſiuerunt fratres. Abba vbi es? Reſpondit. In conſpectu diuini iudicij aſto. Dicunt ei. Et tu times Abba? Et ille. Interim laboraui virtute qua potui in cuſtodiendis mandatis Dei, ſed homo ſum, & neſcio vtrum Deo placuerunt opera mea. Dicunt ei fratres. Et non confidis de operibus tuis, quia ſecundum Deum ſunt? Dixit ſenex. Non præſumo, niſi venero ante Deum. Aliter enim ſunt iudicia Dei, aliter hominum. Præterea cum ſanctus Arſenius iam traditurus eſſet ſpiritum, videntes eum fratres flere, dixerunt: Nunquid tu times mortem pater? Reſpondit. In veritate timeo. Et ille timor, qui in hac hora mecum eſt, ſemper fuit in me, ex quo factus ſum monachus, & nunc timeo valde: & ita ambo dormierunt in pace. De tertio quoque ibidem dicitur de patre conſtituto in Scythi, cuius morituri lectum circunſteterunt fratres in hora mortis, qui ſenem ter ridere videntes, cauſam huius quæſierunt. Reſpondit ille. Primô riſi, quia vos timetis mortem: Secundô riſi, quia non eſtis parati: Tertiô riſi, quia de labore vado ad quietem, & ſtatim vitam clauſit extremam. Sed his omiſsis * videamus ad hodierni temporis deuotos homines. Virginem enim quandam multum deuotam fuiſſe mihi conſtat in ciuitate Nurenbergenſi Bambergenſis diœceſis, quæ Kunegondis vocabatur. Hæc viuebat more caſtarum bonarumque virginum in victu, veſtitu,

Gregor. eodem lib. 4. dial.

Tria exẽpla ex vitis patrũ par. 2.

Abbas Agathon timet mortem.

S. Arſenius mortẽ timet.

Sanctus quidam pater ridit ter ante mortem.

** f. redeamus.*

Scrupulis liberatur virgo ante mortem.

vestitu, vitatione seculi, & in his quæ ad Dei cultum pertinebant, sine querela ad omnem hominem sed adeo timida & scrupulosa in conscientia extitit, vt vix meminerim in hoc parem reperisse. Nam post puram & integram à se sæpe factam cõfessionem sacramentalem, frequenter grauibus stimulabatur scrupulis, de insufficienti confessione, vt timebat transacta. In minimis rebus, vbi nullum vel modicum peccatum erat, mortalis criminis lapsum verebatur adesse, & ita nulla pace in domo conscientiæ fruebatur, quicquid enim egit, aut omisit de genere bonorum, in his semper peccatum notabile affuisse suspicabatur. Cœpit itaque ex his inordinatis timoribus in sexu fragili naturalis sua complexio labi plurimum, & dietim vires decrescebant corporis, quia se semper esse plenam peccatis grauibus non diffinitiuè iudicabat, sed reuerebatur. Timuit ipsa, timuerunt cõfessores eius, & non minus cohabitantes sibi virgines, si in tali statu scrupulosissimæ conscientiæ deprehenderetur prope mortem, fortassis desperationis laqueo ab hoste maligno caperetur. Intuentes igitur viri prudentes, & animarum medici corporis defectũ redundare in animæ graue periculum interpretabantur, virgini, quæ in periculo erat vsum rationis perdendi, quod ad ieiunia ecclesię quædam nullatenus, sicut sana, teneretur. Sciebant enim, quod labor quotidianus, quo grauabatur, quia pauper erat rebus, (alijs enim famulabatur virginibus) & prçterita ieiunia, ac abstinentię fomitem libidinis non ministrarent, sed castitati seruandæ potius satis essent. Sed ad ista tristitia maior cor eius inuadebat, cum, videlicet, intuebatur se priuari instrumentis virtutum, quibus cõmuniter plebs fideliũ vtitur. Obediuit tamen discretis confessoribus,
licet

licet inuita, & non sine pusillanimitate maxima. Tandem verò natura deficiente, lecto decubuit, & terminum vitæ propinquare agnouit. Et ecce diuina arridente gratia ante triduum circiter suæ mortis, omnis scrupulus, timor, & pusillanimitas plenè animam virginis reliquerunt, ita vt sumptis Ecclesiæ viaticis & sacramentis, ad literam in pace in idipsum dormiret, & requiesceret, quam singulariter dominus tunc in spe constituerat. Nam anteà de insolita hilaritate quædã admirantes sibi sociæ dicebant virgines quæ eius præteritum timorem nouerant. Nunquid conscientia te redarguit modò, sicut anteà, quòd Ecclesiæ quædam ieiunia gradiente corpore non seruasti? Quibus illa respõdit. Animum scio paratum habui ad ieiunãdum, sed quia animarum medici, Dei vicem habentes, ista inhibuerunt, obediui eis, nec exinde pœniteo aut turbor, sperans de Christi benignitate, suo redempta sanguine, saluari, & ita requieuit, vt præmisi, in domino. Noui aliam nobilem diuitem & potentem dominam, relictam cuiusdam militis de ciuitate Argẽtinensi, quę Catharina de VVesthusen nuncupata est: hæc dum manebat in seculo, & in ciuitatę prædicta, vbi multę deuotæ Deo militant viduæ, earundem omnium specialis mater & patrona extitit, sed in animo valde scrupulosa fuit. Cum autem in Columbaria monasteriũ sororum de Subtilia nostri ordinis reformaretur, relicto seculo, ibidem sanctæ conuersationis habitu induta est, & professa. Et quia vna; vt puto, de fortibus mulieribus fuit, de quibus Prouerbiorum vltimo Salomon scribit, idcirco quibusdam interiectis annis priorissæ, & suppriorissæ gerebat officium successiuè in omni charitate & dilectione: nec feminæ aliquid deesse videbatur perfectionis, nisi

Psal. 4.


Deuota Priorissa Catharina de VVesthusen circa mortem scrupulis omnibus liberatur.

nisi quod plena fuit scrupulis, adeo vt cum illuc in causis ordinis venirē, cum sola hac sorore me pluri mum occupare opus fuit, vt pusillanimitatem eius compescerem. Hoc enim bonum præter alia in se habuit, vt audito superioris sui, vel alterius ex fama boni & sapientis viri iudicio, in aliqua sibi dubia materia, statim eidem acquieuit. Timuit ipsa, timuerunt etiam ipsi qui eam nouerant confessores, quod si infirmata propinquaret morti, aliquādo in his scrupulis, præsertim de iteratione à se bene confessarum rerum in periculo pusillanimitatis amplius poneretur, quàm anteà. Sed diuina ex misericordia, quæ præterita feminæ opera inspexit, actum est per omnia contrarium. Nam vna die satis inopinatè, licet quinquaginta annos vix vel non accederet, infirmata est, & dietim cœpit deficere, & pro tunc omnis scrupulus, & inordinatus timor ab ea penitus abscessit: dixitque ad Fratrem Ioannem VVolffhardi, quem, vtpote deuotum virum, in confessorem specialem præelegerat. Ecce pater scitis quàm erronea fui, & timida in conscientia nimium, sed Dei gratia ne timeatis, totum abscessit, de peccatis à me confessis, & commissis remissionis gratiam piè & fidenter spero, & credo. Et ita inuocans beatum Petrum Apostolum, suumque discipulum Apollinarem, quos peculiarissimè in vita, corde, ore, & opere dilexit, tandem eadem ægritudine, præmunita ecclesiȩ alimentis, vita deuotè functa est. Habuimus aliquando in conuentu reformato Columbariensi quendam fratrem, Petrum nomine, qui à primæua conuersione sua priusquam in conuentu Nurenbergēsi primum inierat, omnium virtutum honestate conspicuus, religionis exemplar fuerat, & speculū. Nam ad colligendum eleemosynas, ostiatim, sēper paratus,

Pius inopinata morte eripitur, ne haberet spacium intendēdi scrupulis suis.

paratus, in domo obediens, die ac nocte in choro ſedulus, & cunctis affabilis fuit fratribus, ſed conſcientiam, vltrà quàm credi poteſt, timidam, ſcrupuloſam, & puſillanimem habuit, omnia tuta timuit, & nimis, vt videbatur. Vnde de his diſcretiores fratres eum ſępe iocosè vexabāt, quem ſciebant æquo animo cuncta tolerare, quæ ſibi contra Deum eſſe non videbantur. Et quamquam eſſet poſteà iam factus ſacerdos, fortis corpore, complexione viuidus, & in annis vix attingens triceſimū, tamen vt ex multis coniecturis habuimus, timor iſte vitalia læſit nimiùm. Vnde quadam die ſatis improuisè ægritudinem, neſcio quam, incidit, in qua ſtatim neceſſe fuit, vt decumberet. Cumque bona fide in infirmaria vſu rationis perfectè vtens, patientia lenis, & deuotione ſolida feruidus iaceret & immobilis, ſtatim & inopinatè agonizare cœpit, & religioſis geſtibus diem clauſit extremū. Nam paulò antè præcedenti die more ſolito confeſſus eſt, & miſſam celebrauerat, talemque vitam in ordine ſemper duxerat, quòd de morte improuiſa, & ſubitanea, mala ſaltem, & periculoſa, ſignum periculi nō aderat diſcretorum virorum iudicio. Et in domino confido, quòd inopinatus iſte interitus non nocere potuit, ſed fortaſsis diuina clementia, ne puſillus animo mortem timeret nimiùm, aut eius circunſtantias, ſtatim finem viuēdi in corpore dare diſpoſuit animæ ſibi placituræ.

Finis libri ſecundi.



Liber Tertius.

DE FALSIS ET ILLVSORIIS *visionibus.*

Quomodo multiplex est quantitas. Qualiter quidam se fingunt defunctorum esse animas, & reuelationes habere. De feminis in iubilo exclamantibus aliquando in sermone, & quid sentiendum sit de talibus.

CAPITVLVM I.



VNC de falsis & illusorijs visionibus loco tertio libellus est inchoandus, cum materia tertij duodenarij in animalium nostrorum reperti proprietatibus. Quarum prima hæc est. *In quantitate earum triplex reperitur differentia: Quia quedam sunt parua, alia mediocres, alia verò maxima:* quantitate dico molis, an autem virtutis quantitate ita se in excessu habeant, non omniquaquè clarum est. Vbi primò notandum, quòd quamquã ea animalia quę diuina sapientia condidit, conditiones laudabiles multas habeant, sicut & creaturæ omnes reliquæ: nihil tamen est, præsertim in hoc mundo passibili, quod à defectu, seu nocumento, vel à malo omnimodè sit absolutum, cùm comparatur ad alia. Nihil enim est omniquaque perfectũ, quia teste Iob 4.

In A-

In Angelis suis Deus prauitatem reperit, nec stellæ sunt mundæ in conspectu eius. ibidem 25. Non igitur mirandum est, si in nostris bestiolis, à quibus mores per Salomonem iubemur instruere, defectus priuationis & nocumenta reperiuntur aliqua, in quibus typum & similitudinem gerunt quorundam malorum vel stultorum hominum. In quibus non minus cauere vitia discere possumus, quàm in bonis proprietatibus virtutes valeamus inspicere. Sicut igitur in formicis quoad materiale corpus, magna & multiplex reperitur differentia in quantitate molis, quòd videlicet quædam sunt paruulæ, aliæ magnæ, reliquæ maximæ, quæ, vt dicetur inferius, plus obsunt hominibus: sic inter homines malos erroris grandis inuenitur diuersitas. Quàm ob causam Apostolus 1. Corinth. 14. suos ab errorum versutijs auisando dixit. Fratres nolite pueri effici sensibus, sed malitia paruuli estote, sensibus autem perfecti sitis: & apertius ad Ephes. 4. Iam non simus paruuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in astutia ad circumuentionem erroris. Veritatem autem facientes in charitate, crescamus in illo qui est Christus, ex quo totum corpus compactum, & connexum per omnem iuncturam subministrationis secundum operationem in mēsuram vniuscuiusque membri augmentum corporis facit in ædificationem sui in charitate: sed nō ita, heu, hodie multi, sed in malitia augmentantur. *I I G.* Quia materiam de illusorijs visionibus inchoare placuit, da aliquam gradualem differentiam inter habentes reuelationes falsas, & fictitias, vt in iniungendis pœnitentijs, & in exclamatione verbi Dei publica simplices præmonere valeamus in prædicationibus. *THEOL.* Sine dono

discretionis spirituum hoc fieri nequit sufficienter, vt libro secundo tactum est. Sunt enim infiniti modi, quibus hostis antiquus deludere solet incautos, quibus nonnunquam viros maximos decepisse comperitur. Nam ab Archidiacono Barcinonensi didici domino Ioanne, iure diuino & humano multum notabili, quod ante tempora Constantiensis concilij schismate iam diu continuato, sub diuersis summis in sua obedientia vocatis põtificibus, quorum quidam Romæ, alij de aduersa parte in Auiniona residebant, Petro de Luna ibidem residente, & per inimicos obsesso, per galeam in Rhodano mare intrauit secretè fugiendo. Cumque in quodam oppido, cuius nomen nunc non occurrit, super distanti portu maris per Abbatem quendam oppidani precedenti die aduentus dicti papæ auisarentur, vt se disponerent ad recipiendũ dictum summum pontificem, deridebant cuncti Abbatem, quia de Auiniona secretissimè recesserat anteà, nec papa vllo modo intendebat dictum oppidum intrare, nec illuc quenquam præmiserat, sed per longi tractus spatium vltra idem oppidum nauigauerat per quindecim circiter miliaria: & ecce ventus contrarius galeam cum papa compulit dictum intrare oppidum. Vbi cum improuisè susceptus esset, abbatis oraculum didicit, vnde aduentum suum præsciuisset, inquisiuit. Et respõsum accepit ab abbate, quod prophetiã istam dudum in quodam libro legisset, in quo cõtinebatur, quod idem papa plura passurus esset ab aduersarijs, quod obsideri deberet, quod ad oppidũ prędictum venturus esset, quod iterum in persecutionem intrare deberet, sed finaliter Romam iturus esset, & in vnione ecclesiæ, ibidem adepta pacifica possessione, & sedato schismate, quiescere deberet.

cap. 5.

Abbas quidam falsa prophetia decipit Benedictũ 11. alias 13. dictũ ante Petrum de Luna.

deberet. In qua re, licet omnia præcedentia penè verificata essent, tantè confidebat, vt citatus per Concilium generale Constantiense contumax fieret, & finaliter ibidem depositus esset. Nam tres pro summis pontificibus se gesserunt, Gregorius, qui humiliter cessit, in Cagetha protunc residens: Ioannes, qui Romæ sedebat, à Constantiensi concilio clam fugiens, iuridicè depositus est à papatu ibidem, in Constantia scilicet. Sed dictus Petrus de Luna, siue dominus Benedictus, licet vir apprimè eruditus in omni ferè scientia esset, tamen in prædictam prophetiam fatuè confidens, vt præmisi, depositus à papatu obedire renuit, in munitiunculam fugit, & tandem in exilio, pertinax in sua opinione vitam nec Romæ, nec in pace, sed in miseria finiuit. Vides igitur quàm periculosum sit talibus faciliter credere. Tamen vt aliqualiter tuo quæsito in apertis deceptionibus satisfaciam: Scito quod triplex est in genere talium hominum differentia à sana doctrina delirantium. Quidam sunt conficti ex auaritia; Alij possessi per dæmonia: nonnulli decipiuntur per phantastica luminaria. Primi sunt periculosi, tertij magis quàm secundi peruersi existunt. De omnibus istis exempla tradam. Fuit in ciuitate Bernensi Fratricellus quidam secularis re, sed specietenus spiritualitatem præferebat multam, de quo mihi frater Nicolaus de Landaro nostri ordinis, & inquisitor prauitatis hæreticæ vir fidedignus retulit, quod in prædicta ciuitate Fratricellus ille, & semibeghardus manere solebat, & quia cupidus erat pecuniæ, laqueos auaritiæ, vbi potuit, tendebat: Sumptaque oportunitate quãdam domũ inhabitare cœpit, & in eadẽ nocturno

Caieta.

Triplex illusorum genus, & exemplum cuiusque.

Fratricellus quidã per auaritiam simulat se reuelationes accipere.

tempore surrexit, lapidibus & lignis spiritum aliquem adesse finxit, & ita in admirationem multorum noctibus locum posuit, pluribus autumantibus, quod reuelatio diuina expectāda esset aliqua, an anima foret, vel malignus spiritus. Nonnunquam enim mutata voce verbis gemebundis, tanquam anima esset alicuius defuncti in ciuitate bene noti responsa sciscitantibus dedit, asserendo se animam cuiusdam nuper defunctæ personæ, quā Fratricellus ipse tam proprio, quàm alieno expressit nomine. Nam peregrinationi ad destinata loca sanctorum pro ea se dare persuasit. Dolus tamen illius deceptoris diu latuit, & pro memoratis animabus interim peregrinando ad quædam sanctorū limina, pecuniam non modicam à se destinantibus acquisiuit. Cumque, artem suæ auaritię diutius continuasset, inquietando supradictam domum, tandem filij huius seculi ciues merè seculares, qui prudentiores sunt filijs lucis, sed in generatione sua, rem habere cœperunt suspectam, posuerunt veritatis obseruatores, & tandem fictor repertus est & captus. Tunc veritatem miser ille aperuit. Et quia à multis fucato titulo præfatam pecuniam extorserat fraudulenter, velut fur & latro per publicam furcatus est iustitiam. Fide dignorum alia relatione didici, quod in monasterio monachorū reddituatorū in Germania nobiles multi, vt proprijs parcerent expensis, frequēter, vt solitum est, cum equis & famulis hospitium receperunt, & victum. De quo quidam conuersus ibidem malè contentus, in hospitum domo circa diuersas cameras, se spiritum, vel dæmonem esse finxit modis quibus valuit, sed occultè. Cumque diu multos ibi hospites nocte vexasset suis strepitibus, quidam miles de veritate spiritus ambigens, cum alijs domum

Luc. 16.

Conuersus fingēs se spiritū esse occiditur.

mum prædictam intrauit, ex condicto audaci se dæmonem eadem nocte perempturum, aut se ab eodem interimendum promisit, & super fortuna huius euentus clam de nocte cum armis, & gladio vigilauit. Venit igitur sub imagine spiritus miser conuersus in tenebris, & domum inquietare ictibus more solito cœpit, quem insequens miles cum ense ei lethale vulnus percussit, & ita conuersus cruentans & fugiens per ianuam secretam, quandam eiusdem hospitij cellam reintrauit, ostiumque post se clausit. Miles verò ad suos rediens, intentato gladio se dæmonem interfecisse gloriabatur. Sed & mane facto, & luce solis apparente, per vestigia sanguinolenta necatus quæritur, & conuersus iste iam mortuus repertus est. Vides igitur, auaritia quomodo quosdam decipit. De dæmonibus autem veris qualiter errores seminent, sequens indicabit exemplum. Venerabilis fratris Heinrici Kaltysen professoris sacræ paginæ nostri ordinis, & inquisitoris relatione percepi, & alterius fratris Arnoldi nostri præfati ordinis, qui infrascriptis interfuit, quòd nuper in Buscoducensi conuentu antedicti ordinis iuuenis habens tredecim annos circiter fuit, qui per eiusdem ordinis habitum, & doctrinam ad profitendum suo tempore disponebatur per parentes. Hic, vt postmodum retulit, hortum conuentus intrauit, in folio caulium albedinem quandam vidit, & nulla benedictione præmissa, delectatione victus folium abscidit, auidèque comedit, ac dæmonem quendam pessimum ignoranter deglutiuit. Possessus igitur iuuenis gestus quosdam cœpit habere deuotos in orationibus, rapi eum fratres videbat, & priuari omnibus exterioribus sẽsibus corporis, quibus restitutis, loquebatur bonum latinum,

Iuuenis nouitius in conuẽtu Prædicat. Buscoducensi folium caulis comedẽs dæmonẽ simul deglutiuit & rapi diuinitus se finxit.

quod prius nesciuit. Cordetenus proferebat multos Bibliæ passus, qui eum prius latebant, Gallicam linguam expressit quam nunquam didicit, se in cælo mirabilia vidisse asseruit, reuelationesque quasdam exprimendo, mirabilia dicere præsumpsit. Ex quibus nonnullæ feminæ, quæ citò credunt & leues sunt corde, satis putabant adesse * Dei spiritum, vbi diabolus solùm locum habebat. Fratres igitur qui iuuenem prius rudem nimis esse nouerant, meritò hoc in malo interpretabantur. Attulerunt iuueni reuerenter diuinissimum Eucharistiæ sacramentum, & in horrore, quem obsessus habuit, manifestam dæmonis agnouerunt tunc adesse præsentiam. Fuit protunc ibi bonæ memoriæ frater Arnoldus, reuera fidelis, & integer sui ordinis obseruator, & tentor, qui die statuta iuuenem exorcisans, dæmonem eundem loqui arctabat, causas ingressus dicere, & corpus miseri dimittere cogebat, & manifestissimo dato signo tandem exiuit. Iuuenis autem ingenio rudis, prout antè, relictus est, & ex præsentia horrendi dæmonis vsque modo aspectum quendam præfert insolitum, verius ingratilem & horribilem, quinimmo tam hebes est ingenio, vt etiam dispensatione prę uia satis dubium sit, an litteraturam attingere valeat quocunque tempore sacerdoti necessariã. Vides igitur arreptos per dęmones reuelationes falsas, & periculosas habere. Qualiter autẽ, sine arreptione, seu obsessione facta per dęmones phantasticis luminibus quidam decipiantur, in sequentibus capitibus exemplorum de hoc copiam habebis.

*c. d. diuinum.

PIG. Vidi aliquando, & audiui sæpius feminas, vt videbatur, satis bonæ famæ rapi, quantum visu perpendi potuit, ad interiora ab exteris sensibus, veluti extasin quandam ex deuotione

tione paterentur. Vidi insuper aliam quæ in publica prædicatione alicuius de Christi charitate, audita sententia, coram omnibus clamorem quendam in altum extulit, quasi non valeret amorem sui pectoris ad Christum clausum in anteà, retinere, & tamen à multis litteratis tales pro fictis habebantur. *THEOL.* Lex generalis est, audisti superius ex Apostolo, non omni spiritui esse credendum, sed probandi sunt spiritus an ex Deo sint. Veruntamen non mireris, si prudentes, & experti de quarundam feminarum actibus fidem gerant modicam, quas flexibiles ad malum, inconstantes ad bonum, & pronas valde ad vanam gloriam esse agnoscunt. Vix enim aliquis nouit nisi expertus, quantum præfata in multis earum regnent facinora. Notitiam cuiusdam virginis habui, quæ in seculo omnium eam noscẽtium fama bona, & deuotione plena extitit, & ingressa reformatum monasterium, non minus in Dei obsequio videbatur sincera, quę tamen in monasterio victa per cenodoxiæ vitium reuelationẽ finxit, & extasin quam nunquam habuit, vt mihi coram suo suppriore sponte propria fatebatur. Nã cùm audisset in mensa legi sæpius, quàm abstractè priores sancti & sanctæ vixissent, vt de numero * earum esse censeretur, nonnunquam publicè merè ficta clamare cœpit voce alta, & in iubilo, vel cadẽdo solo tenus effigiare raptum, vel mentis excessum. Multo tamen deinde elapso interuallo tẽporis conscientię stimulis coacta, & agitata, vt facinus illud sibi diuina clementia dimitteret, rubore perfusa suo, & non in sacramentali confessione, qualis fuerit, mihi & suppriori manifestauit. Audiui à sanctæ memoriæ patre Conrado primo reformatore nostri ordinis, prędicatore in tota Alema-

1. Ioã 4.

Monialis quædam se rapi simulat.

** rect. pro eorum.*

Alemania gratiosissimo, quòd quædam femina apud populum magnæ reputationis existens, in prædicationis deuotè audientia, coram cunctis clamare, quasi in iubilo cœpit, quæ tamen fassa est sibi clam postmodum, quòd illud non ex charitatis feruore, sed tantum gestiebat ex inani gloria. Nolo tamen ex his nec contra feminas, nec aduersum alios generalem elicias deceptionis regulam, quia diuinus amor (vt diuinissimus docet Dionysius) non minores in quibusdam, sed maiores habet effectus amore humano, quem constat rapi ad dilectum cogitatibus, & sese exprimere gemitu, singultu, fletu, cantu, & clamoribus. Vnde Ioannes Cassianus collatione prima Abbatis Isaac dicit de deuotis quibuscunque hominibus. Frequenter per ineffabile gaudium & alacritatem spiritus saluberrimæ compunctionis fructus emergit, ita vt etiam in clamores quosdam intolerabilis gaudij immensitate prorumpat, & cellam vicini iocunditas cordis, & exultationis penetret magnitudo. *PIG.* Si qui perfecti essent homines, viri vel feminæ, probabiliter talium deuotionum signis crederem, sed quando imperfecti talia faciunt, veriùs fortassis ea conficta pro regula habenda sunt. *THEOL.* Hic certè iterum decipi poteris, & in temerario iudicio peccare grauiter, quia talia non solùm perfectis, sed etiam incipientibus Deo seruire hominibus aliquando obuiant, vt ibidem sic exprimit Isaac. In qualibet, inquit, mensura quis positus, incipientium scilicet, proficientium, vel perfectorum, nonnunquam puras, intensasque preces inuenitur emittere, quia & de illo * primo & humili ordine, qui est super recordatione futuri iudicij, is qui adhuc sub terroris pœna & metu exanimus constitutus est, ita ad horam

Simile de alia femina.

Dionys. areopag. de diuin. nominibus ca. 4. par. 1.

Cassian. collat. 9. quæ est 1. abbatis Isaac. cap. 27.

apud Cassianum ibidem c. 15.

rest. ex orig. pro precatio.

horam compungitur, vt non minore ſpiritus alacritate de obſecrationis pinguedine repleatur, quàm ille, qui per puritatem cordis ſui munificentias Dei perluſtrans, atque percurrens, ineffabili gaudio lætitiaque reſoluitur: incipit enim, ſecundum ſententiam domini, plus diligere, quia ſibimet ampliora cognoſcit indulta. Hæc ille. Eſt etiã, noueris, deuotionis ignis in corde infirmioris vaſculi mobilior, & ad prodeundum in clamores aptior: vnde euenire poteſt, vt fortaſsis magnus compũctionis feruor foret in corde ſexus fragilis, qui modicus eſſet in animo virili. Sicut videmus in ſimili, quod affectus femineus minus quã maſculinus intra clauſtrum cordis ſe continet cùm aliqua paſsionatur affectione.

Luc. 7.

Cur faciliùs feminæ in deuotione exclamãt quã viri.

Quantùm obeſt animæ cæcitas. Et de deceptione triplici quam facit diabolus aliquibus: exemplàque ponuntur de dæmone viſibiliter nobili obſequente, & de per Beghardum deceptis.

CAPIT. II.

QVando in via viſu priuantur, de ſe nullatenus ad domum reuertuntur, ſed eo ipſo quo errare incipiunt, tantò ampliùs ſe à quietis habitaculo alienant, quantò longius in cepto itinere ambulant.* Semel enim viam regiam relinquens, niſi ad eandem reducatur ex oppoſito ambulans, ſemper longius, quaſi ſemper oberrare dignoſcitur: ita reuera in via morum oculis orbati mentalibus, per falſitates deceptorias ſeducti ad veritatis lumen non redeunt. Nec mirum ſi cæci in anima, & priuati diuini inſtinctus lumine, ita vt velatis, vel euulſis oculis

incaſſum

incassum ambulant, cùm luce mundi Christo careant, de quo Ioan. 1. Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venienté in hunc mundú. Ambulate, inquit, dum lucem habetis, ne vos tenebræ comprehendāt. In circuitu enim impij ambulant. Et vt in Vitas-patrum scribitur: Qui in area triturare cupit per iumenta calcando triticū, ne bestiæ talia deuorent, oportet vt iumentorum, quæ laborant oculi tegantur. Sic etiā Sampson ille olim fortissimus priuatis oculis per gyrum tandem molā trahendo lethales manus Philijstim incidit, nec ad visū corporis peruenit. *PIG.* Dare velis modos aliquos quibus dæmon mentales solet fidelibus oculos eruere. *THEOL.* Is de quo quæris mille artifex est, & esse à sanctis asseritur, nec est potestas super terram, Iob teste, quæ ei comparari valeat. Innumerabiles ergo astutias gerit ad tendendū pedicas, & laqueos ad capiendū animas, quas cum captiuauerit, erutis animæ luminibus sibi seruire cogit. Occurrunt tamen pronunc tres, de quibus tu quæris, modi. Nam dæmō quibusdā in humana specie die noctuque visibiliter obsequitur. Alios primùm specie visibili credulos sibi constituit, & deinceps certo tātum indicio eos alloquitur. Alios sub angeli lucis figuratione, & sub specie boni mētaliter prosequitur. De quibus tria per ordinem exempla accipito. Viuit hodie in Saltzburgēsi metropoli quidā nobibilis Sucher nomine, in armis famosus plurimum, de quo ea quæ sequuntur à multis grauibus, & valde dignis viris audiui sępius, quorum quidā eidem nobili conuersati fuerant sæpenumero. Sedit iste aliquādo in castro suo quod ab oppido Hallensi in valle distat tribus circiter miliaribus, & quotidianas protunc cœpit nutrire guerras cum oppidanis præfati oppidi, quamobrem

Ioan. 12. *Psal. 11.* *Iudic. 16.* *Iob. 41.*

Tribus modis dæmon homines decipit.

Dæmon in specie famuli obsequitur cuidam nobili.

obrem ſcutiferos & famulos eodem tempore tritos in armis coaceruauit vbi & quales voluit. Obſequi ergo cœpit illi nobili domino iam diſſoluto in moribus, & ſacraméta eccleſiæ, confeſsionis, videlicet, & Euchariſtiam ſatis fugienti quidam famulus ignotus, exercitatus & in armis tritus ſupra modum in occultis & raris territorij vijs, obſequioſus in prouidendis equis, ſed nunquã viſus in Chriſti Eccleſijs. Quamuis enim nobilis ſauciã ex quotidiana inimicitia gereret conſcientiam, eccleſias tamen pro audiendis miſsis aliquando frequẽtauit, & cubatũ vadens, & ſurgens è lecto ſeſe crucis ſignis, & ſalutationibus angelicis, ac quibuſdam orationibus breuibus munire ſolebat. Cũque famulus de quo loquimur, omni tẽpore, quo ceteri iuerunt ad fideliũ eccleſias iſte ſolus extra maneret, ac ſẽper in ſtabulo, vel hoſpitio, aut alibi ſe fingeret in domini ſui negotijs occupari, ſuſpectus ab eodem, poſitus eſt ad rationẽ quis & vnde eſſet. Cui reſpõdit. Domine ne paueatis, fidelis veſter fui, prout multiplici didiciſtis experientia, & fidelis vobis manebo, dęmõ ſum, ſed non vobis nociturus. De quo nobilis aliqualiter, non tamẽ tantũm, quantũm debuit, territus eſt. Nam famulũ iſtum potius æmulũ temporalis lucri gratia, ſatis diu poſtmodum tenebat, & cum inferno pactum gerebat, licet omniquaque ei non crederet, quia prout experiẽtia didicit, in mortem vtriuſque hominis iſtius nobilis ſeruus nequam machinabatur, ſæpe tentando, an videlicet Dei protectione deſtitutus poteſtatem in eum habere poſſet. Accidit enim nocte quadam, vt famulus ille fictus, dormiente domino ſuo in caſtro in camera, ad eandem ſubitò & inopinatè pulſans clamaret. Domine, domine. Euigilans ille ait: Quid vis? Cui famulus. In in-

Iſa. 28.

In instanti surgendo armis cingamini, quia inimici vestri Hallenses adsunt, & circumdant castrum. Noluit autem nobilis sine signo crucis, & orationibus solitis surgere, & iuxta audita se immediatè armis cingere, sed more solito signo crucis se muniens, & orationes consuetas complens, se induit, & ad extra prodiens filium mendacij tunc reprehendit. In quo miser prout potuit falsitatem tergiuersari cœpit, & tamen vt tandem fassus est, mens eius in excitando fuit, vt ecclesiastico more nobilis se non muniens, iam spiritualibus spoliatus, inuaderetur velut inermis à dæmone. Tandē tamen, licet diu inuitus sustineret dæmonē, Christi sacramenta sumendo in confessione, & Eucharistia, illæsus corpore, & rebus meruit à dæmone liberari. Tempore Cōstantiensis concilij in diœcesi Bambergensi, cum quodam satis maturo viro, diuitijs mediocri & honesto conuersationem habere cœpi. Primum enim quia protunc inexpertus iuuenis prædicator fui, ad quædam dicti viri, & ad apparatum exteriorem in vestitu, & gestu solum conspiciens, me prophetam meo tempore reperisse existimabam. Nam quomodo nocturno surgeret tempore ad orandum, qualiter aliquando in operibus misericordiæ Dei recipisset Angelum, quomodo idem sibi futura quædam & alijs occulta reuelasset, tam deuoto, & verisimili perorabat stilo, vt ferè persuaserit, quod quasi Deum viuentem eum esse crederem. Verum quia vix possibile est multa loquentem se qualis sit non prodere, vitam & mores dicti hominis an vera forent & sancta consideraui diutinè, & aliunde informatus à quadam, credo, Dei famula, & veterana virgine, nî fallar, reperi hominem grauiter deceptum per sibi alloquentem secretò malignum spiritum, quē tamen

Nota virtutē signi crucis & orationis etiam in malis.

Vir quidā præ se ferens maturitatis & honestatis speciem à dæmone illuditur.

tamen Dei angelum esse credebat satis firmiter. In consuetudine siquidem habuit cum mecum ad alloquẽdum de bonis venisset, signa hypocritarum, vt Chrysostomus notat, ostendere, videlicet, sub typo diuini zeli proximorum vitam rodere, clero grauiter detrahere, se multum reputare, & de morte futura statim cuiusdam, quem non expressit, magni principis coram me vaticinari, & literas quasdam quę fomenta prætendebant cuiusdã grauis odij impersuasibiliter ad instinctum dicti spiritus apud se seruare, & plura similia facere non destitit, quibus perceptis à viri huius societate me absolui velut à dæmonis decipula. Qualiter autem vitam finierit mihi non constat, qui postmodum locum, & patriam eandem non multum inhabitaui. Sunt præterea pauci anni transacti, quod circa tempora Pisani concilij me viuente in ordine, in diœcesi Constantiensi Beghardus fuit, seu fratricellus merè secularis Burginus nomine, hic eremũ ibidem intrauit, in eodem victu & vestitu sibi austerus valde extitit, orationi & contemplationi multum, vt videbatur, incubuit, & in his reuelationes, sed heu, illusorias, à maligno spiritu sub similitudine angeli lucis habere cœpit, quibus quod peius erat, etiam nimium credidit. Nam ex visionibus istis regulam quandam, & nouam religionem cudit, & eandem discipulos exinde, velut Beatus Antonius esset aut Pachomius docere cœpit: tam rigidam & austeram vitam in dicta regula scripsit, & in se, & in suis seruauit, vt nisi pertinacia, & inobedientia accessisset, veri & boni angeli instinctus intercessisse videretur. Nam vnà cum suis discipulis nouæ religionis cultor & auctor captus per episcopum Constantiensem, & examinatus, repertus est tam cæcam & proteruam habere mentem,

Signa hypocritarum.

Beghardus quidã reuelationibus illusorijs deceptus.

mentem, vt etiam si dominus Apostolicus & Dei Ecclesia regulam quam reperit condemnaret, non se, sed errare tales omnino crederet. In qua pertinacia perseuerans, per inquisitorem iudicio seculari traditus, ab eodem incineratus est rector cum regula. Viuebat paulò anteà quidam purus laicus Nicolaus nomine. Hic in linea Rheni circa Basileã & infrà, primùm velut Beghardus ambulans, à multis, qui persequebantur hæreticos, de eorundem hereticorum numero quasi vnus habebatur suspectissimus. Acutissimus enim erat, & verbis errores coloratissimè velare nouit, idcirco etiam manus inquisitorum dudum euaserat, & multo tempore. Discipulos igitur quosdam in suam sectã collegit: Fuit enim professione & habitu de damnatis Beghardis vnus qui visiones & reuelationes in prædicto damnato habitu multas habuit, quas infallibiles esse credidit. Se scire affirmabat audacter, quòd Christus in eo esset actu, & ipse in Christo, & plura alia, quæ omnia captus tandem VViennæ in Pictauiensi diœcesi inquisitus fatebatur publicè. Sed cùm Iacobũ & Ioãnẽ suspectos in fide, & sibi conscios suos speciales discipulos ad iussum ecclesiæ eum inquirenti nollet dimittere, nisi per ignem, & repertus in multis à vera fide deuius, & impersuasibilis, secularium potestati iustè traditus est, qui eum incinerarunt. Vides igitur quàm impossibile sit mẽtalibus orbatos oculis semel à via catholica deuios de se ad domum reuerti animæ, quæ est catholica ecclesia.

Alter Beghardus fictis visionibus demẽtatus

Idem dicunt heretici huius temporis.

De Vrsis

De Vrsis quibus tyranni assimilantur. Quantum oratio communis valeat, & opera priuata misericordiæ ostenditur in monialibus peruersis, & in femina perplexa mirabiliter in causis matrimonij.

CAPIT. III.

AB *Vrsis formicæ deuorantur, quos scilicet vrsos sanant, si ægrotant, vnde & ab vrsis sagacissimè quæruntur infirmis.* Quomodo per formicas simplices & boni fideles intelligi habeant iteratum est sæpius, nunc verò qui sint vrsi insidiantes talibus subinferendum est. Vrsi siquidem nomine tyranni vel persecutoris proprietas in sacro eloquio designari solet. Vnde per Nabuchodonosor regis Chaldæorũ sæuitiã, qua Hierosolymitas persecutꝰ est, & Hierusalẽ destruxit, vrsus insidiãs Threnorum tertio vocatus est. Vbi in persona sanctæ ciuitatis Hieremias sic plangit: Conclusit vias meas lapidibus quadris, semitas meas subuertit, vrsus insidians factus est mihi, leo in absconditis. Semitas meas subuertit, & confregit me, posuit me desolatam. Et Salomon Prouerb. 28. apertiùs dicit: Vrsus esuriens princeps impius super populum pauperem. Mali autem domini tunc ægrotant, cùm iniustam potentiam in subditos exercent, quia omnis passio inordinata animæ, eius est infirmitas. Sæpe tamen diuina ordinatione disponitur, vt post mulctatam plebem tyranni propriam agnoscant malitiam, à cœptis resipiscentes persecutionibus, quasi iam sanati sint omnino. Sicut legimus 4. Reg. vltim. & 2. Paralip. vltimo.

Sedechias primô persecutor prophetarum grauissimus, postmodum in Babylone memor de verbis sanctorum prophetarum, quos deriserat, in carcere compūctus orauit humillimè: Domine, inquit, Deus omnipotens, peccaui, super numerum arenæ maris multiplicatæ sunt infirmitates meæ. Incuruatus sum multo vinculo ferri, & nō est respiratio mihi, quia excitaui iracundiam tuam. Et nūc flecto genua cordis mei, precans à te bonitatem domine. Per quæ verba, & alia quæ ibi sequuntur, à Deo meruit per regem Babylonis exaltari super omnes reges secum existentes in Babylone.

Oratio Manassæ regis Iudæ.

PIG. Putabam ego ex persecutionis sæuitia deteriores fieri, quos tu asseueras effici aliquando meliores. Nam iniustè tyrannidem exercere in innocentes, maioris crimininis reum constituit.

THEOL. Quantum est ex natura persecutionis ita est, vt affirmas, sed quia pietas iubet Christiana orare pro persequentibus & calumniátibus nos, exinde multis confertur prima gratia, quemadmodum patet primùm in oratione quam Christus clamore valido ad patrem fudit pro se crucifigentibus, qui exauditus est pro sua reuerentia. Vnde sermo statim subiungit euangelicus de multis, qui cum Centurione compuncti tunsis pectoribus reuertebantur in Hierusalem à loco Caluariæ. Et de Apostolo Paulo sermo habetur beati Augustini dicentis. Si Stephanus pro inimicis non orasset, ecclesia Paulum non haberet. Quantum autem communis & priuata oratio valeat, noscere poteris in eo quod sequitur. Sunt vix nouem anni trāsacti quod monasterium sororum nostri ordinis ad sanctam Catharinam in Nurenberga reformari debuit per magistrum ordinis eiusdem, qui protunc moram ibi traxit in nostro conuentu. Cui refor-

Mat. 5.
Heb. 5.
Luc. 23.
August. ser. 1. & 4. de sanctis, quiuterque est de S. Stephano.
Communi multorum oratione impetratur cō-

reformationi vna voce omnes sorores reclamabāt, & exinde per consanguineos totam ciuitatem in diuisionem ponebant, quibusdam dicentibus quia bona est, alijs verò dicentibus nequaquam, sed nouitas est perniciosa. Multis igitur mensibus in hac materia laboratū est, vt in pace sanctū perficeretur opus, sed propter contrarias de hoc opiniones consulum dictæ ciuitatis negotium dietim protelabatur. Misit interea magister ordinis pro vndecim sanctis reformatricibus, quę venerūt de reformato monasterio, & potius furtim, quàm apertè in sororum sanctæ Catharinæ monasterium intromittebantur, propter timorem quorundam ciuium, sine quorum consensu nihil fieri poterat efficax. Consulatus igitur dictæ ciuitatis conclusit hanc sententiam, quod sorores sanctæ Catharinæ reformari deberent ea reformatione, quæ in eis incœpta erat, si & pro quanto ad hanc reformationem inuitæ non fierent voluntate. Hoc audientes nos, qui onus belli contra iras dæmonum portauimus, ferè desperabamus de perfectione sanctæ reformationis, quia notum fuit cunctis, quod nulla sororum voluntaria fuit. Vnde in tam desperato apud homines negotio, ad Deum per orationes publicas currendum esse decreui. Et quia quotidie protunc in Aduentu domini prædicaui, illa die, qua nuncij consulatus voluntatem sororum experiri publicè debuerant, ego in prædicatione ita sub breuibus populo dixi. Boni pueri vobis constat quomodo pro reformatione sororum sanctæ Catharinę pro nunc laboratur, de qua hactenus nullam in ambone mentionem feci, nunc igitur peto vt singulę personę hic præsentes orent altissimum, quatenus in tali negotio fiat voluntas beneplaciti omnipotentis Dei. Deinde facto prandio venerūt

Dissensus monialium in reformationē.

ad monasterium nuncij consulatus, vota inuitarum ad reformationē audire volentes, nobis præsentibus, qui ex parte magistri ordinis missi eramus: Fuerunt autem nuncij consulum quidam displicentiā in ipsius reformationis modo habentes. Cumq; requisitæ sorores super earum consensu ad partē se contraxissent, vix finita morula per quam Psalmus Miserere mei Deus dici posset, spiritu Dei afflante, omnes in reformationem consenserunt. Vnde venientes ad nostram & nunciorum pręsētiam cum lachrymis & genuflexionibus se reformationi obtulerunt. De quo vltra modum gauisi nos fuimus, & aduersarij cōfusi. Et quia negocium sanctum consulatus in arbitrio sororum posuerat, quod iam mutatum sensit in melius, idcircò cōclusionem hanc pro viribus executioni demādauit ad plenum, sicque locus ille hodie totaliter reformatus est. Viuebat præterea nuper in ecclesia Magūtina in summo canonicorum præpositus, clericus solo nomine, & nobilis, sed in armis miles, in vestitu stipendiarius, moribus per omnia dissolutus, qui licet de altaris latissimis viueret beneficijs, horas tamē canonicas, velut toxicum, fugit. Corpore autem adeo decorus extitit, vt imperatrix, quæ hodie viuit, referatur dixisse, se pulchiorem non vidisse virum. In præfata igitur vita aliquandiu viuens in multorum scandalum, nullius hominis hortamenta nec correctiones curauit. Hunc igitur Dei manus inopinatè lepra tetigit, quæ dietim nolenti hominum conuersationem abscidit, & in domum quandam sibi propriam Maguntiæ trusit, vbi manens multo tempore impatientia plenus, & Dei timore vacuus, factus est tandem tam deformis corpore, vt secundum in leprosorio parem non haberet. Deinde digitum Dei adesse sentiens,

Canonicus vita peruersa conuertitur precibus & eleëmosynis matris

Exod. 8

ſentiens, corde contritus & ore, primò ſuæ vitę facinora confitebatur cum tantis lachrymis, vt omnium mentes ſtuperent, qui virum præagnouerât, patientia denique tanta vſque ad mortem dotatus eſt, vt quandocunque confeſſor ſuus frater Heinricus de Confluentia, ſacræ Theologiæ profeſſor noſtri ordinis eum viſitaret (qui etiam mihi pręſentia retulit) non ab eo peteret mortis accelerationem, vel dolorum quos multipliciter patiebatur immunitionem, ſed orate Deum, inquit, pro me mi pater, quatenus diuina miſericordia mea mihi peccata indulgeat, & in hoc ſeculo ſecet me, & vrat quamdiu ſibi placeat. Et in hac patientia tandem in pace requieuit. Quæſiui autem de * circunſtantijs viri, vnde tantum donum infami iſti clerico prouenerit: Et reſponſum accepi, quòd matrem nobilem multum Deo deuotam habuit, quæ viſa & audita filij diſſolutiſsima vita, vota, preces, & eleëmoſynas velut pro mortuo ferè funere Deo offerre conſueuit, & pro eo tanquam pro filio perdito ab alijs iſta fieri procurauit, quouſque velut alter paralyticus in lecto iacens, carnalium voluptatum inſenſibilis, alienis fide & meritis ſanatus fuit. Rem etiam geſtam infra octo annorum ſpacia me teſte noueris. Eſt in diœceſi Baſilienſi hodie femina Deo deuota, pauperibus larga quia plena operibus miſericordiæ, ſecundum ſeculum non infimi ſtatus, ſed cuidam viro iuncta matrimonialiter modis iam dicendis. Hæc quia pulchra fuit in ſuę iuuentutis tempore, & ſub nullius regimine, ab multorum virorum aſtutijs, velut ab vrſis formica deuorata eſt: nam vltra quàm credi poteſt, miſerabiliter animam perdidit diuerſis & incompatibilibus matrimonij contractibus præpediente iuuenili inſania:

c. d circũſtantibus viris.

Adultera & perplexa in cauſis matrimonij clãdeſtini precibus & eleëmoſynis à Deo illuminatur ad vitandũ adulterium.

Diu hanc latuit quot laqueis compedita iaceret in potestate diaboli, reti eiusdem inuoluta, tandem tamen ex operibus, credo, misericordiæ, quibus semper insistebat, illuminata est aliqualiter circa annum ætatis suæ tricesimum sextum. Me autem prædicante in prædicta diœcesi consilij gratia ad me venit post multos, quos præconsultos habuerat, qui, vt expertus sum, animam feminæ fatuis consilijs non iuuabant, sed potius interemerant, vel neglexerant. Cumque fletu tanto inundaret vt Magdalenã alteram credidisses, nisi quod ad pedes peccatoris non procidit, & ego quid haberet tristitiæ ab ea quærerem, tandem subiunxit. Pater ego peccatrix parata pœnitere omnibus modis mihi possibilibus, & satisfacere, quatuor viros habui, & quem nunc habeo non est meus, cum his omnibus per verba de præsenti contraxi, & ex his viuentes tres hodie supersunt. Quibus auditis satis obstupui, sciens quod talibus perplexitatibus summam oportet dare operam, si enodare quis quempiam velit. Vnde inuestigata diligenter causã quam prius nesciueram, didici quod de omnibus viuentibus difficultas aderat, nam de mortuo, si quod fuit ligamentum, illud cum vitæ termino solutum erat. Primum enim virum ex viuentibus percepi anteà cum quadam contraxisse, licet clandestinè, & ita in foro conscientiæ ab eodem liberam esse. Cũ secundo clandestinè etiam contraxerat, & cõsummatum fuit matrimonium carnali opere, sed ipsa hoc periurio negante coram iudice ecclesiastico, diuortiata est ab ipso viro secundo. Cum tertio verò postmodum contraxit in facie ecclesiæ, cũ quo iam domicilium habuit, & natos quosdam. Et quid inter hos duos consulerem, vt anima adulteræ salua fieret, anxius valde fui. Erant enim ambo viri

animosi-

animosi ad arma nutriti, rebus ditati, amicis vallati, ad incontinentiam proni, & iuxta communē existimationem in conscientijs valde lati. Vnde vidi quod quamuis iure fori femina vxor esset tertij, non tamen iure poli, sed tantùm secundi, à quo periurio mediante ipsa diuortiata extitit. Et quodcunque iuberem, videlicet, manere cum tertio, vel redire ad secundum, aut ab vtroque se secernere, in foribus semper aderat ex vna parte aut verisimile homicidium, aut feminæ adulterium, aut alterius mortalis criminis periculum. Nam si iubere volui reditum ad secundum, sequebantur hæc inconuenientia verisimiliter, videlicet, primò quod zelotypia motus tertius secundum via facti inuaderet, & occideret. Secundò quod femina cum secundo manere nequiret, quia diuortij celebratio obstitit facta in iudicio ecclesiæ, quamobrem omni iure humano eam tertius à secundo obtinere poterat, immo excommunicare. Tertiò, vita feminæ sic fuisset in periculo vtrinque, dum ille tanquam periuram, vel iste velut adulteram trucidare valeret. Sileo de nota infamiæ super facto iuramento, quod periurium esse nemo nisi ipsa, & fortassis secundus sciebat, quod propter contractum clandestinum probare contra eam non potuit, nec feminæ crederetur verbis si sese in hoc infamaret. Si denique ex aduerso feminam sinebam manere cū tertio, sequebantur mala animæ in ipsa deteriora, quia quotiens à viro tertio cognoscebatur, totiens adulterium commisit, non suo marito in hoc obediendo, quamquam ipse hoc exigere posset, quem periurium putatę vxoris latebat, non autem ipsa vice reciproca, quæ impedimentum non ignorabat. Et si suadere volebam, vt cum tertio velut soror eius casta maneret, hoc quidem

Nota casus perplexitatem.

ipſa paratiſsimo ſubijſſet animo, ſed ipſe velut incontinens iure exigendi debitum nullatenus carere voluiſſet, prout ex multis coniecturis videre poterã. Porrò ſi mediam viã feminæ conſulere volui, videlicet, receſſum ab vtroque, tã habitatione, quàm thoro, pericula multa intuebar obuiare, quia ſi poſita eſſet in monaſterio, tunc nullæ prudentes eam ad profeſsionem recipere debebãt viro viuente inuito, nec ipſa periculo fraudulentiæ ſe exponere debuit. Si verò extra monaſterium latentiam ei conſulere volui, quod plus mihi placere cœpit, vt animam ſaltem ſaluare poſſet, terrebat me quòd pulchra facie, & ſexu fragilis vix tuta caſtitate maneret, vel quòd tertius zelotypia motus fugientem letaliter inuaderet. Neſcit enim iſte femineus ſexus fuga ſe, ſicut maſculinus, celare, vel tueri. Quid igitur aſſertiuè conſulerem ad præſens non habui, niſi quòd pœnitenti reſpondi eam conſolãdo, vt Deum ſine intermiſsione pro ſua liberatione inuocaret, eleẽmoſynas pauperibus (quia lucroſa valde fuit) pro ſe, & pro tertio viro erogaret, & quid ſibi conſulerẽ deliberatior factus, & ſimiliter alij prudentes viri, parato animo omnino ſuſciperet. Ad quæ verba conſolata aliquantiſper abſceſſit. Interea libros conſului, quibus me iuuare non potui. Deinde Nurenbergam veniens plures diuini & humani iuris doctores ſimul collectos cauſa conſilij adij, quibus paratum animum feminæ, & laqueos quibus perplexa eſſet patefeci: ſed reſponſum nullũ habere potui deciſiuum, propter pericula, quæ hincinde adeſſe videbant quacũque via attentata. Poſtremò tamen ſanctæ memoriæ abbas ſancti Ægidij beati Benedicti ordinis, magiſter Heinricus, qui in ſeculo doctor iuris exiſtens, & mundũ paulò antè reliquerat, ob reformationis

nouellæ

nouellæ opus factum in dicto monasterio. Bono, inquit, ad me, estote animo: Si femina tam boni est propositi, & adeo pia in pauperes, ac dotata donis, quæ de ea dixistis, mihi credite, ipsam Deus illuminabit, vt videat quid faciendo in statum ponatur salutis. Redij interea ad feminam, & vltimum modum fugæ suprataстum sibi suasi. Ad quem cùm se prę pararet, de quo tamen mihi periculum non modicum corporis, & sibi maius, & fortè alijs imminere poterat, affuit diuina gratia quę quęstioni difficillimę solutionem dedit facillimã. Sibi enim incidit, vt quotiescunque vir tertius debitum exigeret, ipsa se per huiusmodi obedientiam lethalem infirmitatem contrahere fingeret, & ne id mendacium esset, ad animæ infirmitatatem hoc mente-tenus apud se retorqueret, ex qua infirmitate animæ, scilicet per mortale crimen, certum est secundum nostram fidem quemque nedum animæ, sed etiam corporis perpetuam mortem subire. Ita fecit vt cogitauit, & diuina arridente gratia, vir prius incontinens feminæ compati cœpit, quam in alijs veracem sæpe esse didicerat, & vsque modò iam annis plurimis eam tantummodò vt sororem habet intactam, nec de adulterio viri quicquam aliunde malè audiui. Audiens ego hanc castimoniæ nouam & delusionem piam, atque raram practicam, lætus ita fieri permisi, ex qua nulla iam sequebantur inconuenientia, quinimmo virum quem tanquam vrsum prius habuit, iam velut ouem Ioseph in castitatem deduxit. Psal. 79. PIG. Cur laudare audes feminam in eo quo mendacium dixisse videtur, & fictè ambulasse? Cum enim fœtus plures à viro præhabuerit, & obediens ei non lethaliter vexaretur, mendacij rea sui videtur,

THEOL.

THEO. Verba feminę veritatem continebant & sonabant, non tamen ad cuiuslibet hominis intellectum. Certum enim fuit quod obediẽdo vtriusque hominis mortem incurrere meruit, primum animæ per adulterium, & corporis pariter & animæ post finale iudicium perpetuam mortem habuisset. Nec semper mendacium quis loquitur, cũ ab eo veritas aliqua obticetur; nec fictio quæuis mendacio coæquatur. Et quid si scriptura sacra obstetrices laudat Hæbreorum de zelo clementiæ, quem in deicolas habuerunt, nõ in falsitates quas expresserunt? Ita & hæc femina plurimum est cõmendanda, quæ die noctuque extra thorum constituta legitimum, sed in eadem domo cum viro alieno habitans, tantum Dei præceptum in adulterio transgredi metuebat, vt viri induta animo, vsque modo multis annis iam vitam castam ducat. Minus insuper miraberis quod retuli exemplum, si simile factum à sancto viro commendatum audieris. Refert enim Sanctus Heraclites vir (vt inquit Vincentius in speculo historiali lib. 18.) religiosissimus, qui in libro suo, quem paradisus, intitulat, scribit ad Lausum episcopum de quadam nobilissima Corintha & Christianissima virgine, & pulcherrima, quam cùm iudex paganus nullis minis à voto castitatis mouere valeret ad sibi consentiendum in Venereis, in lupanar hanc lenoni, vt trinos solidos dietim ab ea haberet, tradidit corrumpendam. Ad quam cùm viri plures stuprandi causa præallato precio accederẽt, illa vulnus quoddam in interioribus se habere dixit, cuius fœtorem si venientes ad eam, sentirent, horrore contagionis effugerent, vnde singulos miserabiliter precabatur, vt ei paucos dies ad quietem concederent. Interea dum orationes cõtinuas ad Deũ funderet, miser-

Exod. 1.

Cap. 64.

Hieraclides in historia Lausiaca, cap. 148.

miſertus ei Deus, & quidam iuuenis Chriſtianus media nocte quinque ei ſolidos attulit, virginem conſolabatur, & ei perſuaſit, vt veſtibus exuta proprijs, iuuenis indueretur veſtitu, & ita abſcederet, ipſo manente. Quod & factum eſt. Nam in craſtinum veritas apparuit, & iuuenis à beſtijs deuorandus per iudicem traditur, & tam pro ſua quàm pro virginis ſalute, duplici martyrio coronatus eſt. Hoc enim exemplum multinuba præfata femina in quadam prædicatione audierat, & exinde ſuam caſtitatem tuita eſt modo ſuprà expreſſo.

Exemplũ in cõcione auditum mouet dictam feminã ad caſtitatẽ eo modo ſeruandã.

Quantum viri cauere habent à mulierum familiaritate, & blanditia. Quomodo ſexus non eſt vituperandus in feminis ſed vitium. Et duæ dantur cauſæ, cur vir excellit feminam, & quare plus viri auiſantur, quàm feminæ.

CAPIT. IIII.

P*Hilomenæ formicas & earum oua quærunt auidè, vt comedant, quia ex his conualeſcunt ægrotæ, & ſonoræ efficiuntur.* Eſt autem (vt dominus Albertus lib. 23. de animalibus tradit) Philomena dicta à philos, & menos, quod dulce ſonat, quia amat cantus dulces: vel dicitur à philos & mene, quia dum cantu cum alia contendit, potius vitam exuit, quàm cantum victa deponat, nam roſtro & collo omne ferè genus muſicæ effigiat, & ſeſe nonnunquam cantibus necat: In qua aue auari, & cupidi principes & viri deſignantur, qui verbis perſuaſorijs, & dulcibus, vel aſtutis ſimplices premunt in rebus,

rebus vel in anima veluti inermes formiculas, & eorum fructus. Quod beatus Hieremias causatur vice domini Hierem. 5. dicens. Inuenti sunt in populo meo impij, insidiantes quasi aucupes, laqueos ponentes & pedicas ad capiendos viros. Sicut decipula plena auibus, sic domus eorum plenæ dolo, ideo magnificati sunt & ditati, & præterierunt sermones meos pessimè, causam viduæ non iudicauerunt, causam pupilli non direxerunt, & iudicium pauperum non iudicauerunt. Et de similibus Ezech. 33. dicit propheta. Auaritiam suam sequitur cor eorum, & est eis quasi carmen musicum, quod suaui, dulcique sono canitur. Quod autem verba dulcia hominum æquipolleant sonis dulcibus docet Ecclesiasticus 40. vbi dicit. Tibiæ & psalterium suauem faciunt melodiã, & super vtraque lingua suauis. *PIG.* Nunquid non meritò vice reciproca simile facit verbis oris sui dulcifluis mala mulier ad decipiendum viros improuidos? *THEOL.* Faciunt quidem hoc mulieres, sed deceptionis arte alia, non sicut viri, qui sæpe post dolum & fallaciam vtuntur tyrannide & potentia. Vnde aduersus tales Salomon filium præauisat. Prouerb. 5. dicens. Ne intenderis fallaciæ mulieris, fauus enim distillans labia meretricis, & nitidius oleo guttur eius, nouissima autem illius amara quasi absynthium, & lingua eius acuta quasi gladius biceps. Et iterum ibidem 6. Conserua fili mi præcepta patris tui, vt custodiant te à muliere mala, & à blãda lingua extraneæ. Nõ concupiscat pulchritudinem eius cor tuum, nec capiaris nutibus illius. Et apertius ibidem 7. dicit. Dic sapientiæ soror mea es, & prudentiam voca amicam tuam, vt custodiat te à muliere extranea, & ab aliena quæ verba sua facit dulcia; Irretiuit enim

enim vecordem iuuenem transeuntem per plateas multis sermonibus, & blanditijs labiorum protraxit illum. *PIG.* Non nouiter, sed dudum cũ in sacra scriptura talia contra feminas præauisando virilem sexum audiui, animum meum tale pulsauit dubium: Cur non plus sexus fragilis muniatur in sacris literis, vt sibi à virorum dolis caueant, quã masculinus, quem tamen constat animo esse constantiorem? Preterea cùm circa monasterium nostri ordinis quędã in Colũbaria mẽtio apud sorores nostri ordinis fieret de beato Ioanne Chrysostomo, & de quibusdam alijs sanctis, qui sicuti dicit scriptura satis inuexerũt contra feminas; audiẽs hoc sanctimonialis quædã sciola grãmaticæ, irascẽdo dixit: Vos viri multa nimis scriptitãdo protulistis contra nostrum sexum fragilẽ, si nobis facultas scribẽdi, & dicendi, velut vobis, affuisset, vicẽ reddidissemus dudum fidelitati vestræ. *THEOL.* Vt ad secundum primò responsum habeas, scito quòd nullus prudẽs in sexum femineũ quicquam mali inuexit, quem à Deo bonum esse creatum nõ dubitauit. Vnde in scriptura sacra, vbi à mulieribus præmonemur, penè semper adiectiuum malitiæ aliquod nomini mulieris adiungitur, vt in libris sapientialibus palam est. Prudenti itaque stilo beatus Iob vsus est, quia è domo tota vnica per diabolum relicta persecutrice, sic eidem respõdit: Quasi vna de stultis mulieribus locuta es, quia sexum reprehendere noluit à Deo creatum, sed stultitiam mulieri annexam. Pari modo alij scriptores ecclesiastici vbi cauere iubent à feminis de vago scorto, procaci meretrice, vel de malo alio notant hãc quam detestantur. Ad primam autem noueris quæstionem, quòd quinque ex causis viri amplius à feminis, quàm istæ ab illis præmoneri solent, quia

Proteruũ feminæ responsũ.

Quinque causæ cur in scriptura sacra viri potius præmonẽtur à feminis cauere, quã feminæ à viris.

quia Deo natura sunt propinquiores, ideo fœdati turpius inficiuntur: corpore & anima sunt liberiores, ideo tanquam vagi facilius decipiuntur: complexione sua sunt calidiores, ideo malè citius inflāmantur: corpore sunt elegantiores, ideò à feminis velocius affectantur: & gradu & officio eminentiores, ideo alij malo eorum exemplo plus scandalizantur.
1. Primò dico sunt Deo natura propinquiores viri quàm feminæ, propter quod dicit Apostolus 1. Corint. 11. Volo autem vos scire quòd omnis viri caput est Christus, caput autem mulieris vir, caput verò Christi Deus. Et iterum. Vir quidem non debet velare caput suum, quoniam imago, & gloria Dei est, mulier autem gloria viri est. Non enim vir ex muliere est, sed mulier ex viro. Etenim non est creatus vir propter mulierem, sed mulier propter virum; Vbi glossa. Vir dicitur esse imago
Gloss. ord. Dei, quia principaliter creatus est ad imaginē Dei, in quo naturaliter amplius, quàm in muliere viget
2. ratio, quasi ipse sit ratio. Secundò, viri corpore & animo sunt liberiores, quia dominium penes eos residet, vnde stare & ambulare possunt vbi & quādo volunt loqui cum quibuslibet. Libertas verò quando in abusum sumitur multis occasio est peccati. Quò contrà Genesis tertio mulieri primæ à Domino dicitur; Sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui. Et 1. Petri 2. Quasi liberi & nō quasi velamen habentes malitiæ libertatem, sed sicut
3. serui Dei. Tertiò, viri complexione sua sunt calidiores, ideò malè citius inflammantur. In cuius argumentum à sensu contrario tertij Regum primo, de Dauid dicitur vetulo: Cumque cooperiretur vestibus, non calefiebat, & per consequens per Abisac adolescentulam pulcherrimam in sinum viri positam non tentabatur ipse, quem tamen antea solo

teà solo

teè ſolo viſu diſtantem, inter plures vxores viuentem, inflammatum fuiſſe conſtat iuuenili ætate, & virili, vt in Berſabee patuit. Vnde in pſalmo cantatur: Lumbi mei impleti ſunt illuſionibus, & non eſt ſanitas in carne mea. Quartò, viri feminis corpore ſunt elegantiores ſtatura, proceritate, & in artuum pulchritudine. Cuius ſimile creator in õni ferè animalium ſpecie videtur poſuiſſe, vt ſemper virum eminentiorem, immo & pulchriorem creauerit: ſicut patet in pauone, phaſione, anate, colũbo, & in alijs multis. Huius rei gratia de primo viro ſpecialitèr dicitur Geneſis primo. Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtrã, vt præſit piſcibus maris, & volatilibus cæli, & beſtijs, vniuerſæque creaturæ, omnique reptili quod mouetur in terra. Quintò, viri gradu & officio sũt feminis eminentiores. Vnde 1. Timot. 2. Mulier in ſilentio diſcat cum omni ſubiectione: docere autem mulieri non permitto, neque dominari in virum, ſed eſſe in ſilentio. Adã enim, ſubdit, prius formatus eſt, deinde Eua: Et Adam non eſt ſeductus, mulier autem ſeducta in præuaricatione fuit. Cùm igitur, vt audiſti, philomenæ voraces animarum per verba dulcia decipere ſoleant in vtroque ſexu, idcirco vterque omni diligentia ſibi caueat ab altero, ne quo ad animam deuoretur. Tempore quo triceſimũ annum attigi vel circiter, ſteti quodam in loco aliquanto tempore prædicando, & confeſsiones audiendo: de cuius ſigillo nihil pandam, Deo duce. Venit protunc in mei noticiam virgo quædam, corpore & animo, quæ meis conſilijs vtebatur frequenter in his quæ ad ſalutẽ ſpectabant animæ. Nam de labore manuum viuebat, ſatis pauperculam vitam quo ad bona temporalia ducebat propter Chriſtum, & quia ingenio ſatis ſubtilis

2. Reg. 11

Pſal. 37.

4.

5.

Virgo non fugiẽs familiaritatem viri corruit in fornicationẽ.

ſubtilis extitit, & affecta verbo diuino, inſtinctus quoſdam & reuelationes habebat ſpecietenus ſatis pulchras, & ſcripturæ ſacræ conſonas, ſed quo ſpiritu neſcio. Quod in dubium verto ideo, quia, vt poſtmodum didici, clam vinum, & libertatem nimis diligebat. Credulus ſatis ſtatim aliquando pro tunc fui talibus, vt verum fatear, & meam iuuenilem ſtultitiam. Nam gaudebam plurimum, ſi quando reperi perſonam * in eo videre deuotam, quam audiui in ſua deuotione aliquid noui diuinitus percepiſſe, & his quadam curioſitate allectus, animum dabam feruentius, quàm indubitatis aliquando ſcripturæ paſsibus, licet eiſdem ex Chriſti gratia nunquam diſſenſerim. Verùm quia prædicta virgo ſub nullius fuit obedientia, liberè inceſſit, quô libebat, ſemper tamen ſub virtutis ſpecie, ſine qua nemo religioſus decipitur, & exinde peregrinari in ſuum malum ad quendam beatæ virginis locum omninò voluit, & obtinuit. Viuebat eodem tempore in loco quidam religioſus, heu ſolo nomine, & ſacerdos, & verbis amatorijs, & incontinentia plenus, & animarum perdendarum aucupijs gnarus, qui in itinere coniunctus virgini, de verbis venit ab obſequia, de obſequijs ad amicitiam, & in tali familiaritate virgo miſera iam in faucibus erat ſe deuorãtis dęmoniacæ philomenę. Exinde enim ipſa totaliter philocapta eſt anima in verbis & geſtibus viri primùm: deinde ex frequẽtia aditus per eum ſtuprata eſt, de quo tam indiſcretè doluit, puta de theſauro irrecuparabiliter iam ſubtracto, vt ſe gladio interimere voluiſſet, niſi è manibus fuiſſet ereptus corruptoris. Ad me igitur conſilij gratia venit, quẽ non ſequebatur, ſed profundè nimis fauces dæmonis intrauerat. Nam iuſſi vt virum ſe adire permitteret nullatenus, & eidẽ

al. meo.

ipſa

ipſa nequaquam necloqueretur, nec appropinquaret, ſed iuxta Apoſtoli ſententiam, in bello hoc fugam pro ſummis armis eligeret: Fugite, inquit, fornicationem: ſuaſi, & nihil profeci, vel modicũ. Vnde diuina vltione factum eſt, vt creſcente amore hereos tandem femina vſum perdendo rationis phreneſin incurreret, à qua poſtremum liberata. Et quia vitam emendare, vt ſibi bene conſulebatur, renuit, à me & ab alijs prius animam eius diligentibus derelicta, vitam neſcio qualem, ſatis diu cõtinuauit. Ipſe verò deflorator ſtatim graui percuſſus infirmitate, facinora ſua agnouit, &, vt verè credo, ex corde pœnituit: & ita omnibus ritè sũptis eccleſiaſticis ſacramentis vita functus eſt tam in bonis ſuæ prædeſtinationis ſignis, vt in lecto ægritudinis ſimilia nunquam agnouerim, in quoquam morituro. Credo enim quod diuina clementia, prętèrita bona viri reſpexerit, quæ, vt mihi conſtat, Deo deuotè ſeruiendo, & iunior exiſtendo anteà aliquando multis annis continuauerat.

1. Cor. 6.

deflorator virginis percutitur infirmitate.

Quomodo Formicaleon, & tigris hypocritas deſignat & hæreticos. Et datur intellectus cuiuſdam pernicioſiſſimæ hæreſis quæ currit hodie, atque duo modi oſtenduntur quibus dæmonum voluntas & poteſtas coarctatur.

CAPIT. V.

F*Ormicaleon cibum formicarum rapit, & edit in hyeme, quia æſtate improuidus, nil ſibi de cibo reſeruat.* Quid autem ſit formicaleon, ſeu myrmicoleon, quod idem eſt, & quę eius natura, quidque

significet, ostendit beatus Gregorius libro quinto moralium exponens illud Iob 4. Perijt tigris, eò quòd non haberet prædam, dicens: Translatione septuaginta interpretum nequaquam dicitur Tigris, sed Myrmicoleon perijt, eò quòd nō haberet prædam. Myrmicoleon quippe paruum valde est animal formicis aduersum, quod se sub puluere abscondit, & formicas frumenta gestantes interficit, interfectásque consumit. Myrmicoleon autē Latinè dicitur, vel Formicarum leo, vel certè expressiùs, formica pariter & leo. Rectè autē formica & leo nominatur, quia siue volatilibus, siue quibuslibet alijs minutis animalibus formica est, ipsis autem formicis leo. Has enim quasi leo deuorat, sed ab illis quasi formica deuoratur. Et infrà. Hæc dæmonis & hypocritæ ostēdit similitudinē gerere. Nimirū apostata angelus in terram de cælis proiectus, iustorum mentes, quę bonorum sibi operum refectionem parant, in ipso actionis itinere obsidet: Cumque has per insidias superat, quasi formicas frumenta gestantes improuisas necat. Rectè autem myrmicoleon, id est, leo & formica dicitur, formicis enim, vt diximus, leo est, volatilibus formica: quia nimirū antiquus hostis sicut contra cōsentientes fortis est, ita contra resistentes debilis. Si enim eius suggestionibus assensus præbetur, quasi leo nequaquam tolerari potest, si autem resistitur, quasi formica atteritur. Alijs ergo leo est, alijs formica, quia crudelitatem illius carnales mentes vix tolerant, spiritales verò infirmitatem eius pede virtutis calcant. Hæretici ergo quia de sanctitatis præsumptione superbiunt, quasi exultantes dicunt, Myrmicoleon vel certè Tigris perijt, eò quòd non haberet prædam. Quem enim nomine Tigris Eliphas, nisi beatum Iob nota varietatis signat

Gregor. l. 5. moral. cap. 16.

Gregor. ibid. cap. 17.

Gregor. cap. 16.

ſignat, vel aſperſum maculis ſimulationis? Omnis namque ſimulator in eo quod videri rectus appetit, mundum ſe per omnia non oſtendit, quia dum virtutes quaſdam per hypocriſin aſſumit * & occultè ſemetipſum vitijs ſubijcit, quædam latentia vitia repentè in faciem erumpunt, & ſuperductæ ſimulationis, quaſi viſionis, corium ex admixtione ſua varium oſtendunt, vt plerunque mirum ſit, cur homo qui tantis virtutibus pollere cernitur, etiam tam reprobis actibus inquinetur. Sed nimirum omnis hypocrita tigris eſt, quia dum mundus color diſsimulatione ducitur, vitiorum nigredine interrumpente variatur. Sæpe enim dum de caſtitatis mundicia extollitur, ſorde auaritiæ fœdatur. Sæpe dum de virtute largitatis ſpecioſus oſtenditur, luxuriæ maculis inquinatur: Sæpe dum de caſtitatis atque largitatis decore veſtitur, velut ex zelo iuſtitiæ, crudelitatis atrocitate fuſcatur. Sæpe caſtitate, largitate, pietate, ex pulchra viſione induitur, ſed interfuſa obſcuritate ſuperbiæ notatur. Quæ videlicet tigris rapit prædam, quia humani ſibi fauoris vſurpat gloriam. Qui enim rapta laude extollitur, quaſi præda ſatiatur. Bene autem hypocritarum laus præda dicitur. Præda quippe eſt cum aliena violenter auferuntur: omnis namque hypocrita qui vitam iuſtitiæ ſimulans, iuſtorum ſibi laudem arripit, alienũ eſt profectò quod tollit. *PIG.* Reperiunturnè modernis temporibus tales mali Hypocritæ? *THEOL.* Sic: & quod magis dolendum eſt, in ſtatu eccleſiaſtico aliquando. Nã in præſenti Baſilienſi Concilio retulit audientibus multis in loco reformatorij dominus epiſcopus Ebroicenſis de ſimilibus etiam me præſente. Fuit, inquit, meo tempore ſacerdos, & prædicator gratioſus in collegiata eccleſia, qui per Dei verbum

adieci & ex orig.

significet, ostendit beatus Gregorius libro quinto moralium exponens illud Iob 4. Perijt tigris, eò quòd non haberet prædam, dicens: Translatione septuaginta interpretum nequaquam dicitur Tigris, sed Myrmicoleon perijt, eò quòd nō haberet prædam. Myrmicoleon quippe paruum valde est animal formicis aduersum, quod se sub puluere abscondit, & formicas frumenta gestantes interficit, interfectasque consumit. Myrmicoleon autē Latinè dicitur, vel Formicarum leo, vel certè expressius, formica pariter & leo. Rectè autē formica & leo nominatur, quia siue volatilibus, siue quibuslibet alijs minutis animalibus formica est, ipsis autem formicis leo. Has enim quasi leo deuorat, sed ab illis quasi formica deuoratur. Et infrà. Hæc dæmonis & hypocritæ ostēdit similitudinē gerere. Nimirū apostata angelus in terram de cælis proiectus, iustorum mentes, quę bonorum sibi operum refectionem parant, in ipso actionis itinere obsidet: Cumque has per insidias superat, quasi formicas frumenta gestantes improuisas necat. Rectè autem myrmicoleon, id est, leo & formica dicitur, formicis enim, vt diximus, leo est, volatilibus formica: quia nimirū antiquus hostis sicut contra cōsentientes fortis est, ita contra resistentes debilis. Si enim eius suggestionibus assensus præbetur, quasi leo nequaquam tolerari potest, si autem resistitur, quasi formica atteritur. Alijs ergo leo est, alijs formica, quia crudelitatem illius carnales mentes vix tolerant, spiritales verò infirmitatem eius pede virtutis calcant. Hæretici ergo quia de sanctitatis præsumptione superbiunt, quasi exultantes dicunt, Myrmicoleon vel certè Tigris perijt, eò quòd non haberet prædam. Quem enim nomine Tigris Eliphas, nisi beatum Iob nota varietatis

Gregor. l. 5. moral. cap. 16.

Gregor. ibid. cap. 17.

Gregor. cap. 16.

signat

ſignat, vel aſperſum maculis ſimulationis? Omnis namque ſimulator in eo quod videri rectus appetit, mundum ſe per omnia non oſtendit, quia dum virtutes quaſdam per hypocriſin aſſumit * & occultè ſemetipſum vitijs ſubijcit, quædam latentia vitia repentè in faciem erumpunt, & ſuperductæ ſimulationis, quaſi viſionis, corium ex admixtione ſua varium oſtendunt, vt plerunque mirum ſit, cur homo qui tantis virtutibus pollere cernitur, etiam tam reprobis actibus inquinetur. Sed nimirum omnis hypocrita tigris eſt, quia dum mundus color diſsimulatione ducitur, vitiorum nigredine interrumpente variatur. Sæpe enim dum de caſtitatis mundicia extollitur, ſorde auaritiæ fœdatur. Sæpe dum de virtute largitatis ſpecioſus oſtenditur, luxuriæ maculis inquinatur: Sæpe dum de caſtitatis atque largitatis decore veſtitur, velut ex zelo iuſtitiæ, crudelitatis atrocitate fuſcatur. Sæpe caſtitate, largitate, pietate, ex pulchra viſione induitur, ſed interfuſa obſcuritate ſuperbiæ notatur. Quæ videlicet tigris rapit prædam, quia humani ſibi fauoris vſurpat gloriam. Qui enim rapta laude extollitur, quaſi præda ſatiatur. Bene autem hypocritarum laus præda dicitur. Præda quippe eſt cum aliena violenter auferuntur: omnis namque hypocrita qui vitam iuſtitiæ ſimulans, iuſtorum ſibi laudem arripit, alienũ eſt profectò quod tollit. *PIG.* Reperiunturnè modernis temporibus tales mali Hypocritæ? *THEOL.* Sic: & quod magis dolendum eſt, in ſtatu eccleſiaſtico aliquando. Nã in præſenti Baſilienſi Concilio retulit audientibus multis in loco reformatorij dominus epiſcopus Ebroicenſis de ſimilibus etiam me præſente. Fuit, inquit, meo tempore ſacerdos, & prædicator gratioſus in collegiata eccleſia, qui per Dei verbum

adieci & ex orig.

Ex odio introducitur meretrix in cubiculum pij sacerdotis ad ipsius famam denigrandã

quod fеmina... gratiosè, & per sanctitatem vitæ, qua se virtutum speculum exhibuerat, multorum animas suo creatori lucrifecit, & exinde fauorem magnum à populo acquisiuit, sed è diuerso à clericis, qui sui confratres esse debuerant in ecclesia eadem, odium valde magnum incurrit. Sui enim comparatione malorum clericorum vita sordescebat, qui cùm in aperto sanctum virum persequi non auderent, nec eum suo spoliare beneficio, & honore, in hypocrisi mendacium contra eum nefandissimum confinxerant. Nam occultè clauem vnam ad cameram viri sancti procurauerunt, & eo absente meretricem de die intromiserunt, eidem committentes, vt cameram ab intrà succenderet, & pro adiutorio de camera ad stratas clamaret: quo audito æmuli de insidijs surgendo quomodo meretrici succurrere vellent, subiunxerunt, cum præmio præpromisso. Ita per ordinem factum est. Nã quando meretrix in camera iam accensa clamauit, de insidijs clerici accurrebant, sæcularium viciniam pro adiutorio inuocantes. Cumque in camera vidissent meretricẽ, tota boni viri denigrata est fama, & ita cedere famæ, & loco oportuit innocentem. Tandem finito multo tempore principalis auctor huius nequitiæ in extremæ infirmitatis articulo, id sacerdoti est confessus, qui eum absoluere noluit, nisi famam publicè restituret. Vnde conuocatis testibus fide dignis in confusionem suam nequam iste, ne in æternum poneretur ruborem, fassus est causam, & ordinem proditionis præfatæ, sicque primùm innocentis famam recuperauit. Reperiuntur prȩtereà hypocritæ de simplicibus hominibus, vel simulatores amarissimi nonnunquam. Sunt enim tres anni vix transacti, quòd in ciuitate Ratisponensi fuit quidam veteranus

ranus vir, qui mendicum se simulans & in extrema paupertate constitutum, pallidus in facie, dorso recuruus, macilentus totus & miserabilis corpore videbatur, sed tantas diuitias habuit in occulto, & in annuis Renensium florenorum reditibus, vt mihi veraci relatione ostendebatur, quod de tanta rerum copia nobilis aliquis, vel miles Germaniæ suam personam nutrire potuisset honestè, & tamen his non contentus, tam miserabiliter vixit mendicando, vt vix aliquis eum intuens, à collatione eleëmosynæ se continuisset. Vnde dominus Archidiaconus Barcinonensis qui de eo cum magna impatientia loqui audierat, me præsente eidem mendico ignoranter denarium in eleëmosynam dedit. At ego. Scitis, dixi, cui eleemosynam datis? Respondit. Mendico. Cui respondi. Immo ditiori fortè huius vici, iste enim est hypocrita, de quo audistis. Tunc ille mendicum verbis satis primùm modestis, deinde ad iram prouocato mendico, eum acerbiis verbis flagellare cœpit, sed nihil profuit. De ore enim extraxit, quem ibi absconderat, vel osculatus est prędictum denarium mendicus, collatori restituit, & à præsentia nostra protinus de choro fratrum, vbi hæc acciderunt, fugit. Præterea fide dignorũ relatione didici, nostro tempore fuisse virum quẽdam pecunijs antiquis refertum & infectum, receptum pro Deo in hospitale ciuitatis Constantiensis, qui cum dudum sibi occultasset ex auaritia magnam multitudinem denariorum puri argenti & veterni, deuenit ad extrema, & de farina auenæ sibi pulmentum impatientissimè clamabat præparandum. Quod cùm factum esset, sedit ægrotus solus more solito in lecto & loco micarũ panis minutatim spargere cœpit denarios, quos occultauerat in pulmẽtũ auenaceũ, & cum

De diuite qui mendicum se simulabat ex auaritia.

De alio mendico qui pecunias per auaritiã seruatas loco panis intriuit in pulmẽtum, et sic suffocatus est.

& cum cocleari auidissimè ori imponere, sicq́; miser suffocatus est ilico. Insuper his inueniuntur hypocritæ longè deteriores, scilicet hæretici. Omnis quippe hæreticus est hypocrita in eo, quod catholicum, & virtuosum se, qualis non est, simulat, sed non omnis hypocrita est hæreticus. Currit namque hodie, atque serpit in partibus Sueuiæ inter quasdam personas vtriusque sexus seculares & ecclesiasticas, religiosos & religiosas hæresis, & hypocrysis tam enormis, vt eam ad plenum, ne aures *innocentum maculem, non exprimere audeam. Nam sibi licere asserit mentiri ad placitum, pacta nulla seruare, occidere etiam innocentissimum, etsi pater foret aut mater. Nunquam ieiunat, nisi vt in cibo non deprehendatur ab alijs, lacticinia, & carnes, cum ouis comedit quadragesimali tempore, vbi potest occultè laborat in festiuitatibus ecclesię, otio vacat diebus alijs: Cæremonias omnes ecclesiæ tanquam opera animalium hominum, non spiritualium spernit cordetenus, & quod deterius est, virginitatis decus, abstinentias vestimentorum, & stratus duritiem, superstitiones corporales esse affirmat, & eisdem resignare docet. Solam perfectionem, & virtutem esse autumant in contemplatione quadam altissima spiritus, qui carnem & ossa non habet: cùm tamen ipsi, prout scio, non modo carnales sed bestialissimè viuant. Nam ad tantum perfectionis apicem se venisse gloriantur, vt nihil eis pro peccato imputari valeat. Vnde summo pontifici, pro minimo ducunt, si quando non obediunt, vel alijs pastoribus ecclesiæ sanctę. Insuper in feruore coitus maris cum femina, vbi etiam secundum ethnicos ratio absorbetur, & homo bestiæ assimulatur, supremam contemplationem, & raptum excellentissimum dicunt consistere, ob quam

c. d. audientium.

Hæresis perniciosissima authoris tempore quam hodierni hæretici totã resuscitarunt.

quam causam sibi nutuo ad mutum in his obtemperant quando libet. In quam sectam, heu, multos occultè de numero nobilium, & ignobilium, de virginibus, & viduis traxerunt miserabiliter.

PIG. Vt sciamus huius mali originem, & quæ talium peruersorum signa sint & indicia, quisque eorum sit modus peruertendi, quæso edoceas, vt vitemus tales. Malum enim si nescitur, vix aut nullatenus vitatur. *THEO.* Reperi in libro manuali, quem pro sua persona, per totum dominus Albertus manu conscripsit propria, se eadem annotasse, videlicet, quòd suo tempore in Colonia fuit eadem hæresis, vnde puncta supradicta, ac articulos plures, quàm hic notauerim, manu propria præfatus conscripsit dominus, quos prætermisi, quia reuera tam sunt blasphemi, & subuertentes omnem rempublicam, & statum ecclesię totius, vt calamo eos manifestare erubesco. Nec in nequitia pares vidi in libris Augustini, Isidori, aut Guidonis quorũ quẽlibet cõstat latissimè scripsisse de diuersis hęresibus. Antiqua est igitur hæc pestis origine, ad libertatis spiritũ tendens. Si verò de vestitu quęris; habitu, scias, vniformi nõ vtuntur, sed quantũcũque pretioso, & dissoluto, aliquãdo se tegunt, aliquando verò plurimũm vili, vtrunque pro loco & tempore, vt prodantur nullatenus. Nam eo ipso quo se credunt impeccabiles, sine omni timore sibi licitum putant omnem habitum, quem vt lateant crebrò variant, alioquin proderentur citius. Cùm simul sunt, si verba scire placet eorum, nonnunquam verbis vtuntur ad inuicem amatorijs, meretricijs, lenonum morem gerentes. Si verò cõuiuunt alijs, vltrà quàm credi valet verbis vtuntur subtilibus, comptis, sublimibus, spiritualibus, & metaphysicalibus, quantum sustinere potest

Manuale Alberti magni.

lingua Theutonica, adeo vt eos vix aliquis debitè intelligere posſit, etiam litteratus, quibus inuoluunt de ſpiritu, de abſtractione, de luminibus varijs, de perſonis diuinis, & de contemplationum gradibus altas ſententias. Vnde quidam libri Theutonicales ſermonum ſubtilium eorum malitiæ ſatis deſeruire videntur, qui de talibus loquuntur vocabulis, quos quidam, ni fallar, fatuè vel periculosè aut ſcripſerunt, aut ſcribi permiſerunt, aut ſaltem ab aliquibus Beghardis, vel hæreticis, qui certis honeſtis, & antiquis religionum doctoribus fictè aſſcripti eſſe videntur. Sub prædictis igitur verbis virus ſuæ prauitatis abſcondunt, & ſuæ malignitatis hæreticæ venenum propinant. Hi pro pede ſui erroris in ſuum reprobum retorquent ſenſum auctoritates iſtas Apoſtoli: Si ſpiritu ducimini non eſtis ſub lege. Ad Gal 5. non aduertentes quod ſtatim ſubditur: Manifeſta ſunt opera carnis, quę ſunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, quibus hi pleni ſunt. Deinde pro ſe allegant illud ibidem: Vos in libertatem vocati eſtis fratres. Non attendentes quod ſubditur: Ne libertatem in occaſionem detis carnis. Et ita vt finem iſtis demus aliquem, ad necandum ſimplices verbis ornatis vtuntur, toxicum mortis ibi propinatur, exercitia corporalia per eos vilipenduntur, ad meditandum, neſcio de quo ſpiritu afficiuntur, & ad opera carnis tandem omnes eorum diſcipuli deuoluuntur, licet ſicut tigrides plenæ virtutibus ſpecietenus tantummodo eſſe videantur.

Infamia

Infamia fœtori comparatur. Quàm periculosum sit feminis conniuere. Quomodo hæretici tales solent seducere ad Spiritum libertatis. Quomodo viri maleficiantur ibi, & discipulos acquirunt defloratos.

CAPIT. VI.

QVamuis nidus formicarum odore bono redoleat, tamen si super eo ligna noua, & tenera, aut ex his lagena facta terantur duriter, & fricentur, fœtorem quendam notabilem contrahere experiuntur. Per nidum formicarum, bonorum simplicium habitatio, & per odorem abinde progredientem, bonæ famæ notitia designatur, vt suprà habitum est. Sed per ligna noua & recentia, corpora designari possunt, à quibus humor passionum carnalium calore charitatis nondum eductus est. Tales si se tactu, vel cohabitatione multa attigerint, haud dubium fœtor Venereorum exinde contrahitur. Si igitur ad domum, vel habitationem quarumcunque feminarum etiam sanctarum sine euidenti necessitate, & vtilitate viri, vel iuuenes, immo senes crebrò accesserint, fœtorem suæ famæ faciliter mouebunt in naribus alienis, vbi prius loca vitando talia Christi bonus odor extiterunt, ita vt de eis dici valeat vtrunque, quod olim de filiabus Israel fatuis vaticinatus est Isaias ibidem 3. Erit, inquit, pro suaui odore fœtor. Amplexus autem cauendus est in his habitaculis vbi dolus alicuius hominis ad decipiendum latet occultiùs, vel dęmonis, qui à nullo penè loco secluditur, alioquin famę nostrę redolētia citò in fœ-

Lib.2.c.9.

2.Cor.2.

in fœtorem conuertitur. Consilium audias in hoc Ecclesiastici 11. dicentis. Non omnem hominem inducas in domum tuam, multæ enim sunt insidię dolosi. Sicut enim eructant præcordia fœtentium, & sicut perdix inducitur in caueam, & vt caprea in laqueum, sic & cor superborum. Et bene dicit, superborum, quia in humilitate vera vix aliquis potest decipi, in superbia verò qua quis vult videri, & sibi sine timore nimium confidit, communiter labuntur plures in fœtorem luxurię, vel in lepram prauitatis hęreticæ. Superbia enim est quæ sæpe per vitiorum fæculentiam humiliari meretur, vt in quo quis latentem superbiam neglexit agnoscere, apertarum nunc carnalium fœtorem intuens, humilior studeat resurgere.

PIG. Dic aliquod exemplum ad propositum.

THEOL. Tot inde de pręsenti materia occurrunt, quanta volumen grande non continere sufficeret. Et vt breuem in hoc dem doctrinam, suadeo fidelissimè, vt nunquam longo tempore cum mulieribus sanctis quantùcunque couuersari studeas. Et vbicunque talia fieri perspexeris, si facultas adest, aquam fraternæ correctionis tanquam igni in domo accensa infundere non tarderis, quia de omni penè genere hominum expertus sum sæpe prius se virginalem pudicitiam perdidisse, quã se nouissent vulnera Veneris, vel perfidiæ actum percepisse. Beatus qui legit, & audit, ac intelligit, sequiturque doctrinam Apostoli contra fornicationem breuissimam & vtilissimam, immo & efficacissimam: Fugite, ait, fornicationem. Cùm enim pręsentia sunt corpora maris & feminæ facillimè verificatur illud prouerbium: Perit omne arbitriũ cùm res transierit in affectum. Noui aliquãdo virginem diuitem, & non minimi status, omnium vicino-

1 Cor. 6.

Quædam virgo per curiositatẽ mirè deluditur.

vicinorum iudicio & meo, deuotam valdè & castã quæ confessorem quendã religiosum habuit multa prudentia & probitate pollentem, cui obediebat longo tempore. Vocata est tandem ad quarundam feminarum nomine deuotarum, domunculam, quam quidam, vt videbatur, multum honestus sacerdos secularis intrare solebat, sed reuera corruptus erat in his quæ ad veram fidem pertinent. Deinde cœpit quibusdam ex eis ad partem sumptis doctrinas speciaiores tradere de patientia, obediẽtia, & de arte contemplandi quædam arduissima subtexere. Finxit miser se easdem videre ad diuina magis dispositas, & in hoc sexum inanis gloriæ maximè cupidum decepit amplius, inter quas præfata virgo fuit principalior. * Delinire tandem cœpit, veriùs malignari sacerdos præfatus, quousque persuasit omni verecundiæ esse abnegandum feminis, quemadmodum Christus nudus pro nobis, vt ait, in cruce pendendo fecit, & nisi ista fierent, perfectionis apicem à nullo attingi posse affirmabat. Exinde autem de sexu fragili quædam deuenerunt in tantam stultitiam, vt se clam coram clericis in hoc complicibus passim denudarent sine carnali commixtione. Tamen postremò persuasit, vt Eucharistiæ sacramentum diuinissimum, quod semel in die sacerdos vix dignus est sumere, quemadmodum vnica die Christus se patri in ara crucis obtulit, id multotiens à feminis sumeretur, eò quòd gratia sacramentalis qualibet communione (vt aiebat) augeretur, non aduertens id esse contra generalem consuetudinem totius ecclesiæ. Exinde factum est, vt aliquãdo in loco secreto tres feminæ nudæ totaliter, flectentes genua corã prædicto perfido, Eucharistię sacramentum reciperent eadem hora & die vltra quinquagesies. Coniacebant

f. delirare.

Sacerdos hæreticus persuadet omni verecundia abnegandum esse feminis.

Idem nudus Eucharistiã pluries in die eisdem administrat.

bant interea viri talibus complices, clerici scilicet seculares feminis, & nonnunquam multi cum multis vno in lecto, nec ad lapsum carnis, vt fatebantur, procedebant, sed vt passionibus Veneris funditus abnegarent, se à seipsis mutuò continebant, verius plus inficiebant. Inter quos continentes iste sacerdos principalis perfectionis esse dicebatur. Adducebantur etiam aliquando clanculò de distantibus religiosarum domibus ad dictam officinam lutosam & porcinam aliæ famosæ in bonis feminæ, quæ indulgentias dæmonũ quas præmisimus, vt domesticæ, acquisierunt. Nam principales actores huius nequitiæ, disponente Deo, postremò capti, hæresim publicè coacti sunt reuocare. Et ita nidus iste in loco vno, nescio si in alijs, dissipatus est cum confusione extrema. *PIG.* Miror quomodo possibile fuerit sine molliciei sorditie saltem tales sibi, sic, vt præmisisti, propinquasse mutuò. *THEOL.* De fœtore tali loquor inuitus, & magis inuitè scribo multa, idcirco verecundiora quæ se fecisse dicunt sine lapsu carnis, dimisi referre. Sed quantum conijcere potui, non video quin plures maiora ibi crimina perfecerunt, quàm si operi carnali simpliciter institissent. Credo insuper quosdam ex eis qui principales in perfidia fuerunt, dæmonis opere protunc maleficiatos esse, ne mouerentur ad naturales & plenos actus incõtinentiæ, vt exinde cæcati se passioni eidem crederent, & alijs persuaderent penitus mortuos esse, facillimum enim est dæmonibus infrigidare, vbi Deus permiserit. Adamiani enim hæretici dudum descripti à veteribus doctoribus ecclesiæ sacrificia nudè & orationes esse offerendas Deo, vt isti suis fieri persuaserunt, & ex talium radice verisimiliter isti & istę pullularunt. Virginem tamen de qua

Adamiani hæretici.

retuli

retuli firmiter credo florem suæ pudicitiæ in bello tali deo mirabiliter protegēte retinuisse. Nā hęresiarcham antefatum corde diligere nunquam potuit, sed omni tempore horrorem quendam de eo intra se sensit, qui affectum eius ad perfidiam amaricauit. Curiositas autem & desiderium acquirendę perfectionis sibi à principio promissæ, eam in vesana societate, & communione Eucharistiæ præmissis cæcauerant & diu retinuerant, à quibus tamen tandem totaliter recessit, & ista mihi patefecit. *PIG.* Quod partim omisisti præcedenti capitulo libens scire vellē, quem modum decipiendi tenerent hi quos ibidem malignissimos descripsisti, quatenus iacula præuisa talia scientem minus ferire possent.

THEOL. Est quidam de eadem secta perdita, qui hodie, vt tigridis se ostendat, & bonos lateat, nunc seculares, nunc regulares, modò rusticorum, modò verò nobilium vestimenta defert, qui aliquando Beghardus fuit, seu Lolhardus. Hic in eodem statu & habitu librorum subtilissimorum in nostro vulgari, vt vereor, periculosè conscriptorum, stilum, & modum loquendi comptissimum, & altissimum didicit, sed vbi nescio, * primum infectus fuit hæresi perniciosissimæ antedictæ. Cuius practica hæc est, & fuit ad acquirendum discipulos, & discipulas. Nam primum sub specie deuoti fratricelli domum aliquam deuotarum muliercularum explorat, quam intrando aliquotiens priuatim verbum Dei ornatissimis verbis seminat, de alta perfectione & contemplationis gradibus differendo. Cui pòstquam data est crebra audientia, incipit contra exercitia corporalia, videlicet, ieiunia, abstinentias, orationes vocales, & similia inuehere, exponendo ea quomodo imper-

Lollardi cuiusdam siue Beghardi aut Fraticelli astutia et carnis spurcitia.
c d addit qui.

imperfectorum sint propria, & necessario dimittenda ab eo qui perfectam vitam cupit apprehendere. Cærimonias ecclesię quascunque, vt de festiuitatibus, de audientia multa missarum, & diuini officij, immo prædicationẽ penè nullam existimationem dicit esse habendam, sed quieti corporis, & contemplationi iubet pro viribus * assistere, & per similia sexum femineum faciliter per verba pulchra solet mulcere ad suum fauorem. Interea studet non multas, sed vnam præsertim prouectę ętatis aliqualiter, & maiori auctoritate inter eas fulgentem, vel paucas alias eligere, quibus aliquotiens ad partem facit exhortationes specialiores, vt virus suum eisdem passim infundat. Vbicunque autem quicquam de sacræ scripturæ passibus sibi per simplices verisimiliter potest obijci, illud soluit ad suam sectam sensum retorquendo. Postremò, secundum quod obedientiam maiorem intuetur in his, quæ * inescatæ hamo perfidiæ proximiores sunt, vnam eligit cum qua extra testimonium oculorum secretè loquitur, & ne turbentur aliæ, neque quis alienus superueniat, custos loci ponitur; his opportunitatibus captam, & allectam clarius inficit, dicendo quod corporis integritas & castitas, cęrimonia quædam, & exercitium corporale est, non mentis vera perfectio; quod oportet se indifferentem facere, & procul ab omni passione verecundiæ, & timoris, & quod propriam voluntatem opus est in omnibus abnegare, etiam nudè viro coniacendo, si iubetur: tueri castimoniam verò corporis vocat proprię voluntatis vsum. Cui perfidæ doctrinæ postquam misera crediderit, audet hæreticus, aut maleficiatus à dæmone, aut aliunde satur libidine, pluribus virgini coniacerę noctibus in nullo eam violando, sed ausu dato diutino,

rectius insistere.

rest. pro in æstate.

tino, tandem * recipit thesaurum irrecuperabilem hora qua minimè credit. Delinitque postmodum verbis mendacibus si prædata mæsta fuerit, ita vt deinceps oneratam peccatis obedire faciat ad placitum omni eam de sua secta poscenti, præsertim cùm ad locum vocata fuerit, vbi omnes & soli de vna professione existunt. Solent enim eligere quędam loca inopinatiora malis, vt leprosoria, vel domos sequestratas ab hominibus, ad quas mutatis prius proprijs vestibus ne intrando agnoscantur, conuenire consueuerunt. Districtum scio vbi virgo quædam (si bene memor sum) propè sexagenaria, primò florem perdidit pudicitiæ in consilio malignantium tali, nec vllatenus sibi sinit persuadere præfata perfidias esse, sed pertinax in secta sua vsque modò perseuerat. In actibus namque Venereis, & in epulationibus, quas faciunt vbi possunt, splendidis, dicuntur opere dæmonis quasdã reuelationes raras habere, quibus illecti tales, velut boni spiritus illuminationibus multæ impersuasibiliter adherent. Noui aliam quæ circa trigesimum suæ ætatis annum deflorata per prædictum lupum fuit, & delusa tempore plurimo, licet immanitas quam detestabatur vitiorum cum Christi gratia tandem eam compunxerit ad verè pœnitendum.

f. eripit.

Virgo propè sexagenaria deflorata.

alia virgo deflorata per supradictum lollardum.

Quàm consultum sit spiritualibus in domo consistere. Et cur quidam & quædam per hæreticos decipiuntur faciliter.

CAPIT. VII.

QVando lucri gratia incautè extra domos ambulãt, sæpe à formicaleone insidiosè necantur. In quo

suadent

ſuadent formicæ, vt in domo appropriata quiſque ſtudeat tutiùs manere, quia ibi in vita corporis ſiue ſpiritus multi perſeuerarent, quàm exeundo perdunt. Coruus enim qui ex arca dimiſſus eſt, aquis interemptus, nunquam reuerſus eſſe ad Noë legitur. Columba prudentior, quæ exiuit cauſa obedientiæ, nō reperiens vbi requieſceret pes eius, ad arcam cautè reuertitur. Altera verò vice euolans cum ramo virentis oliuę vtiliter redijt. Geneſis 8. Iudith viduata viro ſpecioſiſsima & diuitijs plena, in ſuperioribus domus ſuæ fecit ſibi ſecretum cubiculum, in quo cum puellis ſuis clauſa morabatur, habens ſuper lumbos ſuos cilicium, ieiunabat omnibus diebus vitæ ſuę, præter ſabbatha, & neomenias, & feſta domus Iſrael, per quæ meruit reuelationem de victoria Holofernis habere. Iudith 8. Princeps etiam apoſtolorum qui perſeuerantiæ donum & ſcripturæ ſacræ notitiam ſpiritu ſancto inſpirante acceperat, legitur Actuum decimo in Ioppe ciuitate in domo mari proxima, ad ſuperiora, vt oraret, aſcendiſſe, & in exceſſu mētis ſecreta Dei vidiſſe. Anna prophetiſſa vidua vſque ad annos octoginta quatuor non diſcedebat de templo, ieiunijs & obſecrationibus ſeruiens nocte & die. Lucæ 2. quæ dicitur ibi Chriſtum Dei filium in humana natura agnouiſſe. Maria inſuper, cuius vita Marthę præfertur, quia optimam partem elegit, ſorore exeunte obuiam Chriſto, legitur domi ſediſſe, quæ tamen per magiſtrum vocabatur. Ioānis 11. Quod quia Dina non fecit, ſed egreſſa domum, ſeu tabernaculum, non vt viros, ſed mulieres regionis alienę videret, à Sichem nobili adamatur, & rapta ab eo, viq́ue oppreſſa virginitatē perdidit Geneſ. 34. hinc Apoſtolus diſcipulo 1. Tim. 5. ſic ſcribit. Adoleſcentiores viduas deuita, cùm enim

Quàm vtile ſit domi in ſecreto manere probatur exemplis ſcripturæ. Iudith.

Petri.

Anna viduæ prophetiſſæ.

Mariæ ſororis Marthæ. Luc 10.

enim luxuriatæ fuerint in Christo, nubere volunt, habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt: simul autem & ociosę discunt circũire domos. Et primæ Corinth. decimo quarto dicit. Mulieres in ecclesijs taceant: non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse, sicut lex dicit. Si quid autem volunt discere, domi viros suos interrogent. Vnde secum libenter consistere, & cum timore domini domum propriam incolere, ornamẽtum & custodia est, præsertim feminæ, summa. Et Ecclesiasticus vigesimo sexto sic dicit. Gratia super gratiam mulier sancta & pudorata. Omnis autem ponderatio non est digna continentis animæ. Sicut sol oriens mundo in altissimis * diei, sic mulieris bonæ species in ornamentum domus eius. Periculosum autem est sine euidenti necessitate, aut magna vtilitate incautè domum exire, quia illud proprium est malarum feminarum, teste Salomone qui Prouerb. 5. dicit filio: Fili mi fauus distillans labia meretricis, & nitidius oleo guttur eius, pedes eius descendunt in mortem, & ad inferos gressus illius penetrant, per semitam vitæ non ambulat, vagi sunt gressus illius & inuestigabiles. Et ibidem 7. Per fenestram, inquit, domus meæ, & per cancellos prospexi, & considero paruulos, considero vecordem iuuenem. Et ecce mulier occurrit illi ornatu meretricio, præparata ad capiendas animas, garrula, & vaga, quietis impatiens, nec valens in domo consistere pedibus suis, nunc foris, nunc in plateis, nunc iuxta angulos insidians. *PIG.* Satis probasti, quàm necesse sit vel vtile in domo consistere. Nunc exemplo aliquo, quàm periculosum sit vagari, velis ostẽdere, & quemadmodum à formicaleone illi deuorentur aliquando quos paulò suprà denotasti.

text. scripturæ. Dei.

THEOL. Audi ergo quid acciderit cuidam feminæ, quam tempore præsentis Basiliensis concilij vidi in ciuitate Ratisponensi, & iuuabam inquirere. Fuit enim virgo hæc soluta, nec virum aliquando habuit, nec de incontinentia fuit suspecta, sed de ciuitate in ciuitatem, & de domo in domum sæpe mutauerat loca, hæc continuando plurimis annis. In anno autem ætatis suæ fere 53. Ratisponam venit, verba ibidem quædam satis incauta, quo ad fidei normam, emisit, propter quod coram vicario episcopi Ratisponensis accusata, ab eodem carcerali custodiæ mãcipata est. Superuenit interea in negocio Bohemorum missus à præfato generali concilio dominus Ioannes de Polomar Barcinonensis archidiaconus, vir omni deuotione plenus, & tam in diuino, quàm in humano iure apprimè eruditus, cuius ego tunc itineris eiusdem socius & collega extiti. Vocati igitur sumus ad dictæ feminæ examen, in quo dietim probata, inuenta est errasse multipliciter, nec tamen læsa esse videbatur in cerebro ad rationis defectũ, quia ad singula sibi obiecta valde astutè respondit, & inquisitis ab ea, valde maturè, ne sibi contradiceretur, cauere studuit. Se enim Dei spiritum, seu reuelationes diuinas habuisse dixit, se obedire papæ, in his quæ malè disposuerat renuit, se esse beatiorem principibus Apostolorum dum in via fuerunt, affirmauit, se inobliquabilem, seu impeccabilem esse credidit, & tandem matrem totius Christi ecclesiæ, quæ in Basiliensi concilio representabatur, se esse verbo, & signis capitis sui constanter conclusit. Nitebantur propterea multi qui præsentes fuerunt, & ego verbis persuasorijs ex sacra pagina, vt proteruiam à femineo erueremus capite, sed profectus ibi fuit nullus. Dixit enim voce audaci, se scire quòd in

Virgo sæpe vagans incidit in deceptionẽ dæmonis.

Superbi eiusdem errores.

prçfatis

præfatis nullatenus erraret, ſed potiùs ſui examinatores, & ita ſe ad ſubintrandum ignem pro veritate ſua paratam oſtẽdebat. His viſis, archidiaconus, qui ſuprà, ad doctores tam theologiæ, quam aliarum facultatum, quorum multi præſentes erant, ait. Videbitis, inquit, quòd ſola vexatio dabit intellectum, vnde neceſſe eſt, vt per iuſtitiæ publicæ queſtiones ad chordas trahatur lentè aliqualiter, prout ſexus iſte ſufferre poterit: vos autem (ait ſecretò ad me, & ad mei ordinis ſocium quendam lectorem multum deuotum & litteratum) in iſtius feminæ proſpectu oſtendatis nolle intereſſe eius torturæ, nec ſi placet interſitis, vt erga vos beniuola ipſa amplius permaneat, & ita per torturam humiliatam magis poſtmodum idonei eritis ad conuertendum ipſam. Fecimus, & factum eſt per omnia vt præmittitur. Et quæſitum eſt ab ea dum torqueretur, à quo errores ſuos, & an aliquam diſcipulam vel huiuſmodi erroris conſciam haberet, quia in his nunquam niſi negatiuam prius dederat, videlicet, quòd à nullo homine errores ſuos didiciſſet, nec quamquam docuiſſet: ſed apud ſe tacitus illa credidiſſe fatebatur, angelo vel Dei ſpiritu docente, vt ipſa inquit. Torta igitur parumper nihil noui præteritis addidit, nec quemquam fatebatur hominem reum eſſe niſi ſe, conſtanter aſſeruit. Et credo, verum dixit, ſed ſatis humiliata eſt artuũ ſuorum vexatione: vnde in turrim captiuitatis reductam, eadem die ad veſperam viſitauimus ego & ſocius meus ad iuſſum domini archidiaconi miſeram, ſe præ doloribus vix mouere potentem: viſis autem nobis valde eiulare cœpit, & fidenter cauſari quàm grauiter læſa eſſet. Nos verò eam humiliatam eſſe conſiderantes, & eam iam conſiderantes præſumere de nobis, varijs hiſtorijs ei

Iſa. 28.

ostendimus, quomodo multi insignes viri & litterati reuelationibus incautis decepti fuissent, & per angelum satanæ seducti: & quàm fragilis esset sexus femineus non adiutus scripturę sacrę testimonio, multipliciter persuasimus. Tunc per Christi gratiam ipsa resipiscere cœpit, & promittere, quod in omnibus me sequi vellet, & socium. Credidit igitur se deceptam esse, mihi, vt purgaretur animus, confessionem fecit sacramentalem de omnibus à iuuentute sua commissis spontaneam, se ad publicè reuocandum errorem, & ad pœnitendum exhibuit. Et ita tertia die posteà coram ciuitate Ratisponensi, multis præ gaudio & misericordia flentibus, præmissa omnia ad effectum perduxit.

Resipiscit & reuocat errores.

PIG. Cùm nihil sit opertum, quod non etiam in hac vita communiter ad lumen producatur, estnè postmodum expertum, hanc erroris sui hæresiarcham aliquam habuisse, vel discipulam? THEOL. Nequaquã, sed solum malignum spiritum deceptorem habuit, quẽ instinctu interiori pro angelo lucis in reuelationibus falsis susceperat, nec cuiquã experto, vel literato viro hæc, an à Deo essent ad examinandum se exhibuerat, neque diuinum adiutorium sufficienter cõtra erroris spiritum inuocauerat, nec insuper acquisita scientia, aut per sacræ scripturę rudimenta se iuuare poterat, vnde non mirum, si de proprio confisa ingenio decipi tam grauiter meruit de se præsumendo.

Mat. 10. Luc. 12.

Causæ erroris.

Per cineres designatur humilitas: Superbia meretur illudi. Exẽplum esse videtur de moniali quæ se moriturã falsò prædixit, & quomodo veri à falsis prophetis cognoscuntur.

CAPIT.

CAPIT. VIII.

F*Ormicæ vbi sunt nociuæ, facilè fugantur, si ibi orbiculariter cineres spargantur*. Per quod liquidò datur intelligi, quòd vbi homines simplices proximis volunt esse nociui, non meliùs quàm humiliatione sui, & agnitione propriæ fragilitatis à cœptis resipiscunt, & ad se reuertuntur. Cineres enim humiliationem humanæ infirmitatis designant, vnde Genes.18. Abraham Deo ait, vt humilis exaudiretur: Loquar ad Deum meum cùm sim puluis & cinis. Et Thamar humiliata stupro fraterno 2. Regum 13. legitur cineres capiti suo aspersisse. Hinc Threnorum 2. de humiliatis in captiuitate in Hierusalem dicitur. Consperserunt cinere capita sua virgines Hierusalē. Et Rex Niniue humiliter pœnitendo abiecit vestimentum suum à se, & indutus est sacco, & sedit in cinere. Ionæ 3. Quid superbit terra & cinis? de homine ait Ecclesiasticus 10. Omnis enim caro fœnū, & omnis gloria eius quasi flos agri. Exsiccatum est fœnum. & cecidit flos, quia spiritus Dei sufflauit in eo. Verè fœnum est populus, Isaię quadragesimo. Extinctus cinis erit corpus nostrum: dixit sapiens. Sapient. 2. Quādo igitur verà cognitione nosmetipsos introrsus humiliter non agnoscimus, protinus superbia inflati nobis & proximis citò nociui esse incipimus. Vnde si nos cinere humilitatis aspergere negligimus, diuina exigente misericordia & iustitia, errores vel aperta vitia sępe incurrimus, quatenus humiliores post lapsum resurgamus, quàm erecti stare videbamur.

PIG. De Petro Christi apostolo exēplū in hoc, & de Origene, quorum vterque grauiter lapsus est, vt

dudum habuimus, sed noua à te aliqua si habes, audiamus. *THEOL.* Fuit paulo ante hoc Basiliense concilium in ciuitate Friburgensi Constantiensis diœcesis in monasterio sanctæ Claræ virgo quædam iuuenis professa, & hodie viuit, soror, Magdalena nomine, hæc in raptibus & extaticis visionibus, ac à sensu alienationibus apud totam adiacentem patriam famam acquisiuit pergrandē. Rapta enim aliquando fuit (vt dicebatur) in corpore & anima, vel eisdem se ab hominum conspectu latenter subtraxit circiter tribus diebus, intra quos quæsita per omnes monasterij angulos, nullibi reperta esse dicitur. Sed tertia die qua inuenta est, venit quædam scedula in medium chori, quasi de cęlo submissa, in qua continebatur, quatenus sorores omnia temporalia ad ritum sanctorum patrum seruare in communitate inciperent & continuarent, alioquin diuina vltio sequeretur. Quo territæ plures, * personalibus resignabant, & deuotius Deo seruire moliebantur. Cum igitur fama Magdalenæ diuulgaretur in longius, & sibi sorores velut Dei prophetissæ in cunctis crederent, nescio quo ducta spiritu, longè ante festum natiuitatis Christi prædicere cœpit assertiuè, se certa die (quam expressit) singulariter circa festum Epiphaniæ morituram corporaliter, & à seculo hoc migraturam. Quod femineus sibi sexus statim velut nouæ prophetissæ credidit, & in funeralibus præparamentis ad nutum obediuit. Iussit enim ipsa Magdalena sibi præparari nouum & depictum, in quo sepeliretur de asseribus sarcophagum, candelarum post eius decessum accendendarum sufficientia, & similia funeralia, quæ noua statim ad omnes adiacentes volabant regiones per diœceses tres Constantiensem, Argentinensem, & Basilien-

Magdalena virgo diē mortis suæ prædicens illusa fuit atque confusa, & alijs illusit.

**i. propria abijciebāt*

Basiliensem. Crediderūt antedicto vaticinio statim plurimi de vtroque sexu, plus tamen de femineo, qui leuis est cordis. Alij verò quid futurum esset dubitabant. Appropinquante autem die statuta, in magna multitudine venerunt de prædictis regionibus in curribus, & equis, & pedibus nobiles, rustici, & clerici, & monachi, seculares & ecclesiastici non pauci euentum rei intueri cupientes. Quę vt audiui, satis miratus sū, & vt certionarer de gerendis, de Basiliensi conuentu, vbi etiam ad vnam dietam solùm distabam, virum fide dignum & deuotum procuratorem nostri conuentus fratrē Ioānem (de quo suprà libro primo capit. nono mētionem feci) ad Friburgum direxi, sibique commisi, vt spectaculo pro posse adesset, & quid gereretur, mihi postmodum denunciaret: quod & fecit. Adueniente itaque die qua prophetissa hæc de seculo migraturam se prædixerat, prudentes viri seculares de ciuitatis consulatu, vt certitudo facti non fucaretur, & si qua fictio adesset, notaretur; deputauerantꝫ testes idoneos, & magistrum Paulum in medicina suum physicum, qui in pulsu prædictæ notaret sororis morituræ vitam adesse vel abesse. Astantibus igitur sororibus omnibus mane in choro, & dictis viris, & multis alijs maturis ecclesiasticis & regularibus, plebeis verò extra in ecclesia tantum prodigium expectantibus, venit soror Magdalena, caput suum in gremium cuiusdam sororis inclinauit, extemplo satis se raptam in extasi verè vel fictè ostendit, & ita satis immobilis aliquandiu iacuit. Cumque quædam ambigerent an mortua foret, vel viua, medicus publicè pulsum eius tangens vitam adesse dixit. Tandem vocem quandam nullatenus, vt anteà virgineam, sed grossam satis, emisit dicens. Ad sarcophagum. Sed cùm

populus in ecclesia, & viri in choro nulla certa mortis indicia in Magdalena ista cōspicerent, & cū impatientia diu satis expectassent, surrexit tandem publicè ipsa, & cibū corporis postulauit, nec mors affuisse approbata est. Deridere cœperunt se multi tunc mutuo in spectaculo populi, & subsannare in seipsis suorum cordium leuitatē. Alij raptum mortem fuisse interpretabantur. Reliqui verò quibus confusio maior asscribi poterat, tergiuersationes facti plurimas aduexerunt. Tantæ tamen humiliationis opus cōfusio ista egit, vt interim, nō sicut anteà, hęc Magdalena se prophetissam ostendat.

PIG. Quid ergo sentis de præfato vaticinio istius mulierculæ? Num à Deo fuit, à dæmone, vel à natura, vel ab arte fingente talia? *THEOL.* Sētentiam non præcipito: virgo tamen, vt credo, à iuuentute per matrem (cuius notitiam bonam habui) ad timendum Deum nutrita est. Audiui quòd in monasterio se castè & deuotè similiter gesserit. Satis insuper conijcio quòd à natura, sicut & mater, imaginationem abstractissimā faciliter à corporalibus habuit. Anima enim vnius dominiū habet in corpus suum, quod alteri esset impossibile, vt beatus Augustinus lib. 14. de ciuitate Dei probat cap. 24. vbi sic dicit: Hominum quorundam naturas nouimus multū cæteris dispares, & in ipsa raritate mirabiles. Nonnulli, vt volunt, de corpore fingunt quæ alij nullo modo possunt, & audita vix credūt. Sunt enim qui & aures mouent vel singulas, vel ambas simul. Sunt qui totam cæsariem capite immoto, * in aperto quantum capilli occupant, deponunt ad frontem, reuocantque cùm volunt. Sunt qui eorum quę deuorauerunt incredibiliter plurima & varia, paululum præcordijs contrectatis, tāquam de sacculo quod placuerit integerrimū proferunt. Et quidam voces auium, pecorumque, &

a. b. in apto orig. neutrum habet.

aliorũ quorumlibet hominum ſic imitantur, vt niſi videantur, diſcerni omnino non poſsint. Nonnulli ab imo ſine pudore ita numeroſos pro arbitrio ſonitus edunt, vt ex illa etiam parte cantare videãtur. Ipſe ſum expertus, ſudare hominem cùm vellet. Notum eſt quoſdam flere cùm volunt, atque vbertim lacrymas fundere. Iam illud eſt multis incredibiliùs, quod plerique fratres memoria recentiſſima experti ſunt. Presbiter fuit quidam reſtitutus nomine, in parochia Calamenſis eccleſiæ, quando ei placebat (rogabatur autem vt hæc faceret ab eis qui rẽ mirabilem coram ſcire cupiebant) ad imitatas quaſi lamentãtis cuiuſlibet hominis voces, ita ſe auferebat à ſenſibus, & iacebat ſimillimus mortuo, vt non ſolùm vellicantes, atque pungentes minimè ſentiret, ſed aliquando etiã igne vreretur admoto, ſine vllo doloris ſenſu, niſi poſtmodũ ex vulnere. Non autẽ obnitendo, ſed nõ ſentiendo mouere corpus eo cõprobabatur, quòd tãquã in defũcto nullus inueniebatur anhelitus, hominũ tamẽ voces, ſi clariùs loquerẽtur, tãquã de lõginquo ſe audiſſe poſtea referebat. Hęc Auguſtinus. Tales igitur qui ſe à corporeis ſẽſibus faciliter à natura poſsũt alienare, mira in cõſpectu aliorũ, aut propria induſtria, aut dæmonũ verſutia, aut bonorũ ãgelorũ miniſterio poſſunt efficere. An autẽ in his quę de dicta ⋆ Clara retuli diuinũ aliquod in præcedẽtibus dictis extaſib⁹ fuerit. Deo cõmitto. Vnũ ſcio, quòd inſtinctus bonorũ ſpirituũ veri sũt, falſi verò à malis immittũtur ſpiritibus, vel à phãtaſijs aſcendũt corporeis, quibus multi decipiuntur in varijs viſionibus: Mori & non mori contrariantur. Scimus etiam, vbi verba factis non concordant, ibi deceptionem adeſſe. Vnde multum videtur veriſimile, prædictam puellam eſſe deceptam cum ſibi credentibus, vt etiam indiffe-

legendum videtur Magdalena.

indifferenter graues viri autumant, qui spectaculo interfuerunt. Nec Ionam quis quærat adducere, & Nathan pro prædicta virgine testem in contrarium. Quia etsi ex magno vsu prophetandi, Dei prophetæ nonnunquam suo spiritu aliter prędixerint, quàm rei veritas se haberet, tamen tales (vt beatus Gregorius super Ezechielis principium per historiam de Dauid & Nathan probat) statim errorem suum corrigunt antequam prædicta à se humano spiritu, veniant ad effectum. Ista autem de qua mentionem fecimus, prædixit se * certa die mori corporaliter, mortua non est, quia octo anni iam præterierunt, & adhuc est in humanis, nec à quoquam audiui, quòd se deceptam esse fateretur. Bonum ergo esset mulierculis in suis assertis visionibus aurem credulam non citò præbere, quod, quia multi religiosi & clerici aduertere omittunt, idcirco ad ruborem extremum coram prudētibus viris ponuntur aliquotiens. Mater enim istius virginis (prout mihi constat) valde alia via Deo seruiendi tam in medio seculi cōstituta, quàm in monasterio nostri ordinis professa humiliter incessit. Fuit enim viduata viro satis iuuenis, & apta secundis, quas spreuerat, nuptijs, operibus misericordiæ in hospitalibus, licet satis diues esset, velut ancilla longo tempore se mancipauit, & inter hęc omnia vitam contemplatiuam super omnes quas ferè vidi viduas deuotiùs duxit. Instinctibus varijs, quos multipliciter habuit, nisi ad litteratorum ponerentur examen, non faciliter credidit, sed an ex Deo essent probauit. Post copiam verò diuitiarum spiritualium, quas in vita vsque ad ętatis suæ circiter annum quadragesimum coaceruauerat, monasterium iam in prouecta ætate (quia reformatū erat) in Subtilia videlicet, in ciuitate Columbarum intrauit.

Iona 3. *2. reg. 7.* *Homil. 1. sub finem.* *rest. pro tertia.* *.i. pudefiunt.* *Exempl. matris prædictæ Magdalenæ se permittētis humiliter regi consilio prudētū.* *1. Ioan. 4.*

trauit; Inde ibidem professa, ex obedientia mera ad reformandum in Basilea ad Lapides, cum alijs nostras sorores reformare iuuit, vbi sicuti anteà frequẽter in suis deuotionibus alienata sensibus corporeis, sincero corde Christo sine sui ostentatione vacare studuit. Et quia quodam tempore plus & frequentius inspiratam se esse putabat ad communicandum, quàm reliquæ sorores in consuetudine habuerunt, renuente & improbante hoc suo confessore discreto, statim humilitatis spiritu se errasse confitebatur. In his si filia (quæ satis iuuenilis erat quando prophetam se esse dixit) imitata fuisset matris humilitatem & taciturnitatem, tutius puto, & cum minori confusione sui suorumque ambulasset. Vnde eodem tempore quo filia supradictas suas reuelationes produxit in publicum, mater hæc in suo monasterio ad Lapides percipiens, multum perterrita est (prout audiui) infaustum rei exitum prætimuit, & quamquam tantæ laudis vidua femina hæc fuerit, phantasiam tamen quandam ferè vsque ad vltima suæ vitæ tempora patiebatur creberrimè, qua se coniecturabat aliquando monasterium debere exire, & hospitale quoddam nouum construere. Qua in re perpendi valet, quã faciliter, & multipliciter femineus sexus oberret, nisi prudens masculinus eum regat. Audiui præterea in loco Basiliensis concilij à venerabili magistro Petro nostri ordinis sacræ Theologiæ professore, inquisitore prouinciæ Poloniæ, quod in sua prouincia quædam Begutta ferè per omnia, sicut supradicta Magdalena, mortem suam ad certam diem prædixit, qua nullatenus eueniente, non minorem quàm præfata Magdalena confusionẽ pro laude à cunctis reportauit.

Beghina prædicens diem suæ mortis confunditur ea nõ eueniente illo die quẽ significauerat.

Canibus

Canibus hæretici assimilantur. Hæretici in quanta differentia fuerint & malitia in regno Bohemiæ, & cur aliquotiens triumphos contra fideles obtinuerint in bellis.

CAPIT. IX.

F*Ormicæ dicuntur esse in Æthiopia cornutæ & grãdes, adeò vt canibus similentur in forma*, vt Isidorus refert lib. 12. etymol. cap. 3. cum sequentibus tribus proprietatibus. Albertus denique libro suo de animalibus 26. seu vltimo sic dicit: Si credendum est his quæ in epistola Alexandri de mirabilibus Indiæ scribuntur, tunc in India sunt formicæ magnæ sicut canes vel vulpes, quatuor crura habentes & vngues aduncos. Hæc ille. Quibus si correspondet in quantitate corporali interior magnitudo industriæ & ingenij, certè astutissimæ sunt. Per canum autem similitudinem monstruosam præsertim & insolitam, non ineptè hæretici atroces possunt intelligi, à quibus Apostolus ad Philippẽses 3. suos præmuniuit, vbi dicit: Videte canes, videte malos operarios, videte concisionem. vbi glossa. Videte, id est, cognoscite illos esse canes, non ratione, sed consuetudine contra insolitam veritatem latrantes. Hæc est enim canum natura, vt cum quibus habent consuetudinem, siue boni siue mali sint non ad eos latrant, insolitorum autem personis visis, etiam innocentibus irritentur. Bene ergo canibus comparantur, quia sicut canes consuetudinem magis sequuntur, quàm rationem, ita pseudoapostoli consuetudinis legem tenent, & contra veritatem irrationabiliter latrant & mordent. Hinc Matth. septimo veritas

Glossa partim interlin. partim ord.

ritas dicit in Euangelio: Nolite sanctum dare canibus, neque mittatis margaritas ante porcos, ne fortè conculcent eas pedibus suis, & conuersi dirumpant vos: super quo beatus Augustinus in sermone domini in monte dicit. Quærendum est quid sanctum sit, quid margaritæ, quid canes, quid porci. Sanctum est, quod corrumpere nefas est, cuius sceleris voluntas rea tenetur, quamuis illud incorruptibile maneat. Margaritæ autem sunt quæcunque spiritualia, quæ magis æstimanda sunt. Licet itaque vna eademque res & sanctum, & margarita dici possit, sed sanctum dicitur ex eo quod non debet corrumpi, margarita ex eo quod non debet contemni. Canes autem pro impugnatoribus veritatis, porcos pro contẽptoribus positos non incongruè accipimus. *PIG.* Hæretici quos videmus communiter in nostris partibus pauci & occulti sunt, inermes modò per Christi gratiam, vnde modicùm puto nunc timendum esse ecclesiæ: secus est quando, vt olim, armata manu se defenderunt, in quo iniustitia est sæuissima, veluti fuit de Albigẽsibus circa initiũ nostri ordinis. *THEOL.* Miror inaudita mala quæ fecerunt in regno Bohemię hæretici infra paucos annos obliuioni tradidisti. *PIG.* Recolo quidẽ, quòd in Constantiensi generali concilio damnati fuerunt multi articuli, quorum defensores postmodum in Bohemia reperti sunt plurimi, sed per Dei adiutorium armorũ suorum ferocitas, prudentia Basiliensis concilij ad nihilum redacta est. *THEOL.* Multi sunt in regno præfato non ambigo catholici, sed mihi credas ibi ignis dudum accensus nondum ad plenũ extinctus est, sed in Thaboritis ardet, vtinã non in multis alijs. *PIG.* Quia te scio sæpe tempore quo expeditio contra eos fieri debuit, & crux prædicari

August. lib. 2. de ser. dom. in monte cap. 31.

Damnati in eo fuerunt 45. arti. Ioãnis VVicleff.

per

per Theutoniam, eandem contra eos crucem prædicasti: deinde quando Basiliense concilium generale eis vt illuc venirent intimauit, ex nuncijs eiusdem concilij multo tempore, & postmodum nuncius fuisti ad eosdem hæreticos, & cum eis crebrò conuersatus es; peto sectas eorum sub compendio perstringas, vt intelligam. *THEOL.* Quod petis voluminis latitudinem exigeret ingentem, si voto tuo annuere possem aut vellem. Veruntamē ita se eorum clades & ortus habuit. Viuebat in Anglia infra sexaginta annos quidam secularis sacerdos artium professor, acer ingenio, & eloquentia lepidus, sed errore, scriptis, & vita nedum hæreticus, sed hæresiarcha, Ioannes VVikleff dictus, qui in suis libellulis in Anglico & Latino doctrina noua rempublicam tam secularium quàm ecclesiasticorum subuertere molitus est. Huius articulis quot protunc, & posteà, & modò occulti sint, & facti sint hæretici in Anglia, norunt qui ibi steterūt. Horum venenum meo tempore quidam Bohemus in Constantiensi concilio generali incineratus, magister artium Hieronymus videlicet, in Anglia studens, auidè hausit, & libris, & voce propria in capitali ciuitate Bohemiæ in vniuersitate Pragensi postmodū copiosè effudit. Diuidebatur propterea vniuersitas prædicta, & abinde multi ex valentioribus recesserunt Theologis. Deinde Bohemia ferè tota rebellizare cœpit Romanæ ecclesię, & errorum doctrinis replebatur ferè vbique, totque ibi sectæ hęreticorum extiterunt, quod vix numerari possunt. Tres tamen principales perseuerabāt diu, veterum videlicet Pragensium, qui tolerabiliores erant, Orphanorum, & Thaboritarum qui pessimi erant. Incendebant ecclesias & monasteria, nullam sanctimonialem, nec religiosum, non Carthusienses,

Ioannes VViclef hæresiarcha circa annum 1375.

Hieronymus à Praga discipulus VViclefi hæresim ex anglia tulit in Bohemiā.

Tres principales sectæ hæreticorū Bohemorum

ſienſes, non reformatos, nec deformatos in regno ſuo viuere ſinebant. Nihil de imaginibus ſanctorũ, nec de ornamentis eccleſiarum tenebant, ſed omnia iſta deſtruxerunt, & illicita eſſe dixerunt. Et quod his deterius eſt, ſacerdotes & religioſos plurimos gladio occidebant, alios pollicibus amputatis eiecerunt, reſiduos cruciatibus affecerunt, necnon cum Chriſmate ſacro & ſancto oleo (quod nefas eſt facere, & audire horrendum) calceos ſuorũ pedum inunxerunt. Extra regnum & intra multo tempore nulli ſexui, nulliuè ætati, non gradui, nec ſtatui catholico pepercerunt. Et quamquam omnes eſſent hæretici, & ſchiſmatici, tamen tam incredibili errore, diuina permiſsione, ſunt obcęcati pariter & mulctati, vt aliquotiens vna ſecta aliam inuaderet, & vt victrix victam occideret, hæreticus hæreticum, & ſchiſmaticus ſchiſmaticum. Vnum tantummodo fuit ſignum in quo omnes concordabant, communicare, videlicet ſub vtraque ſpecie ſacramento diuiniſsimo Euchariſtię, quod multi indigniſsimè ſumebant poſt grauia facinora, ſine præuia ſacramentali confeſsione, & ſemota debita reuerentia. Alij verò, ſacerdotes videlicet, multi miſſam celebrabant, execrabant verius, ſine altari & veſtimentis ſacratis per manus epiſcopi. Et quãuis tam diuiſi inter ſe eſſent, vt præmittitur, tamen quando fideles eos inuadere diſponebant, ſicut Herodes & Pilatus, ſtatim amici facti ſunt. Accidit eadem in clade perſecutionis hæreticæ, quod multos turbauit non modicùm, vt quando armatura fidelium ſe ad bellandum contra perfidos diſponeret, ferè ſemper fideles territi terga verterẽt fugiẽdo, licet perfidi primùm propè Pruxis ſub Meyſnenſium principum dominio bellum grande perdiderint. Et circa finem malorum prædictorum ſub

& eorum opera, quæ bene imitãtur noſtri temporis hæretici.

neſandæ eorum ſcelera.

Luc. 23.

Clades hæreticorum.

ſub ducis Ioannis de Bauaria exercitu vice altera ſuccubuerint. Sub ducis verò Alberti de Auſtria gente aliquotiens graues cædes, & victorias paſsi ſunt. Nec mirum ſi aliquotiens peccatores bella obtinent vincendo iuſtiores ſe, qui in hoc humiliātur ad melius. Vt de cœtu Iſrael patet contra Beniamitas, qui primùm bis victores bonorum, & ab iſtis ſemel tantùm victi extiterunt, vt dicitur Iudicum vigeſimo. Et 2. Machab. 6. Multi electi fideles ſub Antiochi perſecutione ſęuiſsima, velut Dei adiutorio inermes, in hominum, ſed non in Dei oculis, trucidati ſunt. *PIG.* Certè ſatis mirandum, cur diuina iuſtitia tam grande malum in tale regnum ſæuire permiſerit, cùm tamē ibi prius ſimplices & nobiles abſtinentias & ieiunia in ſextis ferijs valde durè tenuerint, plus ponderantes eſum lacticiniorum vel ouorum in prædictis diebus, quā aliqui curent quibuſdam in terris tranſgreſsionem ieiuniorum eccleſiæ. *THEOL.* Occulta Dei sūt illa iudicia, & quis nouit ſenſum domini? Scimus tamen, quòd abſtinentia à cibis de quibus pręmittis, commendabilis eſt, ſed potiùs laudanda eſt iugis in victu parſimonia, in vſu rerum temporalium humilitas, in conuerſatione tranquillitas, & in labore licito contra iners otium ſagacitas. Scimus autem, & idipſum ipſi Bohemi fatētur publicè, quòd in terra ſua, præ alijs regnis, maxima fuit in cibis & potibus ſuperfluitas, crebra percuſsionis vſque ad effuſionem ſanguinis atrocitas, acidioſa in multis ſine vtilitate otioſitas, & ficta perpetrandi venalis ibi eſt frontoſitas: Nec tamen putandum eſt regnicolas iſtos ſolummodo diuina vltione percuſſos. Sunt enim regna alia quæ hodie adhuc ſatis grauibus premuntur calamitatibus. Quot enim Chriſtianorum milia, quæſo, noſtro tempore capta per

Cur mali aliquando bonis prævaleāt

In Bohemia feria 6. lacticinia & oua non ſolent comedi.

Rom. 11.

Cauſæ hæreſum in Bohemia.

per Turcos ad terram ethnicorum abducta sunt de regni Hungariæ obedientia? Quot etiam centena milia eodem tempore infra triginta annorum curricula, per Anglicos occisa sunt in Francia, & fortè paulo minus Anglicorum à Francigenis? Num ducatus Austriæ, Bauariæ, & Saxoniæ, & dominia varia finitima Bohemis, infinita mala sunt perpessa à suprafatis hæreticis, licet luce clarius sit, nullam gentem nostris temporibus plus esse læsam in anima, in fama, in rebus simul, in diuitijs, & ædificijs, quàm eos qui extiterunt in præfata calamitate in Bohemia. Cuius rei causa vna esse videtur, quia perfidiam suam armis materialibus defenderunt, sicuti Albigenses hæretici pari modo fecerunt suo tempore circa omnes regiones Tholosanæ adiacentes prouinciæ.

Variorum regnorum clades ætate auctoris.

Quòd per aurum sacra scriptura sapientia designatur. Quòd eandem hæretici malè accipiũt, & de quodam hæretico peruersissimo & cauto, ad fidem conuerso tandem.

CAPIT. X.

*AVrum formica * India pedibus ex arena leguntur fodere.* Ita suprà in Isidoro habetur & Alberto. In fosione labor intelligitur. Vnde villicus iniquitatis Lucæ 16. laborem fugiens, ait: Fodere nõ valeo, mendicare erubesco. In auro verò sacrum eloquium, vel pasio pro Christo tolerata patienter designatur. Quia sicut aurum omnia metalla in valore superat, ita scriptura diuina omnes alias sua dignitate supergreditur scientias, teste eo qui ait Sapientiæ septimo. Nec comparaui illi lapidem

rist. pro in die. cap. 9.

pretiosum: quoniam omne aurum in comparatione illius arena est exigua, & tanquam lutum æstimabitur argentum in conspectu illius. Aurum autem sacræ scripturæ reperitur indifferenter quoad superficiem literæ;& cum scoria verborum difficilium tam à catholicis, quàm ab hæreticis: sed aurum tale tantummodo probatũ inuenitur in Christi ecclesia. Vnde beatus Iob 28. dixit. Habet argẽtum venarum suarum principia, & auro locus est in quo conflatur. Vbi glossa, & est beati Gregorij 18. libro in moralibus. Habet argentum venarum suarum principia, ac si dicat. Qui ad veræ prædicationis verbum se præparat, necesse est vt à sacris paginis sumat, quæ ad loquendum nobis quasi quædam venæ argenti sunt, quia de ipsis locutionis nostræ originem trahimus. Hæretici autem sic de eloquij sui nitore superbiunt, vt nulla sacrorum librorum auctoritate solidentur. Et auro locus est, ac si apertè dicat: Vera fidelium sapientia, cui vniuersalis ecclesia locus est, tribulationem * vobis persequentibus patitur, sed à cunctis peccatorum sordibus persecutionis * vestræ igne purgatur. Vnde scriptum est. In igne probatur aurum & argentum, homines verò receptibiles in camino humiliationis. Et auro locus est. In hoc enim loco hæretici de sua passione stulta increpantur. Nam pro Christo sæpe multa patiuntur, seque eisdem passionibus fieri martyres sperant, de quibus Paulus: Si tradidero corpus meum ita vt ardeam, nihil mihi prodest, quia non nisi in ecclesia catholica veri martyres fiunt. Dicatur ergo rectè, auro etiam locus est in quo conflatur, in ecclesia scilicet: quia solent hæretici de iustitia gloriari, & catholicos aut fuisse, aut esse iniquos criminantur, & ita de eorũ doctrina faciunt: quô contrà Apocalypsis tertio

Gloss. ord. ex Gregor. lib. 18. moral. cap. 14.

rest. vobis & vestræ ex orig. pro nobis & nostræ.

Eccl. 2.

1. Cor. 13

pe

per angelum Laodicię ecclesiæ dicitur vice agni immaculati: Suadeo tibi à me emere aurum ignitū probatum, vt locuples fias. Quod consilium super Crœsi diuitias est amplexus qui ait: Dilexi mandata tua super aurum & topasion. Et is qui dixit Sapient. septimo. Diuitias nihil duxi esse in comparatione sapientiæ, quam præposui regnis & sedibus: cuius causam subiungit: Quia venerunt mihi omnia bona pariter cum illa, & innumerabilis honestas per manus illius. *PIG.* Peto annè sectæ quas in præcedenti capitulo descripsisti, aurum illud sacræ scripturæ admiserint, auctoritates eius videlicet, & doctorum ecclesiæ? *THEOL.* Magna inter eos in hoc differentia est, & extitit, dum quidam ex eis non modò textum noui testamenti & veteris, sed etiam glossas ordinarias, & antiquorū doctorum ab ecclesia approbatorum dicta admiserunt, aut talia saltem ad suum erroneum sensum retorserunt: peiores autem sectę solum nudum textum noui & veteris testamenti concesserunt: auctoritates verò beatissimi Dionysij, & similes cum glossis, & iurium canonicorum seriem (quæ dixerunt esse coopertoria papæ) penitus abiecerunt. Sed omnes sectæ ferè antefatę reuelationibus quibusdam erroneis, & specialibus velut infallibilibus regulis * se vel regno suo diuinitus sibi factis, de suis peruersis articulis decepti erant, & ita diuinitus se inspiratos affirmabant, talia prætensè probantes per renitentem sacram paginam, & per eius commentatores: Immò die noctuque multi eorum laborabant crudelissimis suis affectuum vnguibus de dictæ sacræ auctoritatibus pro se vetera & noua producere specietenus vel monstruosè, sicut formicæ solent ex arena aurum vngulis fodere. In quo labore plurimi ex eis oportunitatē & copiam

Psal. 118

se pro sibi quam vocula m. c. d. omittit.

ſibi ſubminiſtrãtium neceſſaria ſine defectu habuerunt, quando librarias & Bibliothecas totius Bohemiæ regni à fidelibus clericis & monaſterijs armata manu deprædati ſunt & retinuerunt, dum ſacerdotes eorũ nunquam horas canonicas nec cecinerunt, nec orauerunt, vel dixerunt, dumque victualia in grandi copia rapta à Chriſticolis vſque ad nauſeam ſæpe hauſerunt. *PIG.* Eſtne aliqua hæreticorum ſecta quæ de auro ſacri eloquij nihil curet? videlicet, quę nec vetus nec nouum teſtamentum, neque eorundem doctores admittat. *THEOL.* In prõptu de nulla mihi conſtat: tamen tempore, quo in vniuerſitate VViennenſi legi Bibliam vel Sententias, non longè in Hungaria repertus eſt quidam artium liberalium Baccalaureus & presbyter, talis hæreticus de quo tu rimaris. Hic enim tam mirabiliter ſingularis, & adeo ſingulariter mirabilis hæreticus extitit, vt ſecundum me ſciente, nõ habuerit. Nam in vniuerſitate præfata poſt ſtudium triuij aliquandiu lectiones à ſacræ theologiæ doctoribus, nondum infectus vt poſtmodum, audiuit: poſtea factus ſacerdos in Hungariam deſcendit, & ibidem prędicationis officium, & collationis ſacramentorum exercitium habuit. Interim ſciolus modicum de artibus, diſplicentiam in ritu fidei Chriſtianæ acquiſiuit, & ſyllogizando, vel paralogizando potius, ſecum tacitè de articulis fidei, & de totius eccleſiæ cæremonijs conferens, maiora ſibi hæc videbantur, quàm antea eſſe deliramenta. Et vt perſtringam breuiiis, ad hoc miſer iſte deuenit, vt nihil penitus crederet de his quæ ſunt catholicæ fidei, niſi pro quanto à naturali philoſopho hæc propriè dicta demonſtratione philoſophica euidenter & efficaciter probare valeret: veluti demonſtratur vnum eſſe principem totius vniuerſi, & primam cauſam.

Mira conuerſio ſacerdotis hæretici reijcientis vetus & nouum teſtamẽtum & omnia quæ ſunt catholicæ fidei, niſi ratione naturali probari valerent.

Deriſit

Derisit ergo cæremonias omnes fidelium, paruipendit doctrinas Christicolarum, spreuit sacramenta ecclesiæ omnia, vetus testamentum non admisit, nouum nihil magnipendit, vtriusque glossas, & doctores pro delirametis habuit, & omnium eorum imitatores, sed in his omnibus multis sacramenta ecclesiastica latens hæreticus ministrauit, baptismi videlicet, & similium, & sacræ missæ officium sæpius celebrauit. Accidit autem quadam die qua quidam ad celebrandum missę sanctæ officium indutus sacris, versus altare se, iturus, prædisponeret. Cui ille ait. Visne iterum consecrare fatuę filium? vel aliud detestabile verbum simile infelix euomuit. Quam blasphemiam alter ægré ferens, finitis diuinis perfidum priuatim adijt, dicens: Dixistiné, inquit, mihi celebranti, an fatuæ filium iteratò consecrare vellem? Respondit reus, quod sic. nec negauit, immo plusquam antea de infidelitatis toxico euomere cœpit. Quo audito, est episcopo proditus, captus, & incarceratus, atque examinatus, repertus est vt præmisi. Superuenit interea legatus totius Germaniæ dominus Placentinus Cardinalis cum tribus tam Theologiæ, quàm iuris canonici deuotis, prudentibus, & litteratissimis professoribus, qui dictum reum ad carceres, vt saluaretur anima visitarunt, pijs suasionibus errantem vt resipisceret reducere curauerunt, sed nihil penitus in tumido profecerunt. Ná de sectis varijs VViklinistarum & Bohemorú, quę pro tunc currebant, VValdensium, Arrianorum, Iudæorum, Saracenorum, & quorumcunque perfidorum quæsitus, cóstanter omnes istas derisit, & in suo tantummodo errore perstitit. Verùm, vt vbique clauum clauo retunderent, artibus videlicet & philosophia, quibus præfati viri tritissimi erant,

 operam

operam dederunt, vt exinde iacula reciperent, præsertim frater Iacobus de Clauoro nostri ordinis, & magister Martinus de Hispania, ambo sacræ paginæ professores, qui errantem argutiis aggressi sũt, licet (vt mihi idem magister Iacobus retulit) hæreticus astutissimè & cautissimè sibi caueret, ne contradictoria concederet: tamen sæpe in eisdem deductus est ad metas, vbi cùm aliter respondere nequiret, ait: homines estis, non mirum si hominem concluditis. Cùmque hæc lucta multis continuaretur diebus, & perfidus in sua pertinacia perseueraret, quinimmo diceret se in scientia sua mori velle, excogitauerunt viri prudentes animæ ipsius miseri plus fauentes quàm corpori aliud consilium. Vinculetur, dicebant ad episcopi officialem secretiùs, versipellis iste arctiùs, ponatur ad cippum, & loris stringatur, in his fortè pernoctans vexatio dabit intellectum. Quo per ordinem facto, venerũt in crastino sæpe-dicti fideles animæ cyrulogi, videre volentes suum ægrotum, ad quos impatienter clamauit. Me, quæso, incinerate, paratus enim sum, quousque animam meam frustra vexatis? Illi verò fomenta acriora animæ de Ægyptiorum thesauro philosophico applicantes, ostenderunt erranti, quã imbecille foret humanũ ingeniũ, quàm ars multa, vita breuis, iudicium fallax, tempus acutum & similia: & meditatiuum in his iteratò reliquerunt non minus quàm antea vinctum. In crastino verò redeuntes, per diuinum lumen inspiratum bonum hominem inuenerũt. Vidi (inquit reus) quòd animæ meæ salutem indefessè quæritis, literis eminentes estis, & in orbe terrarum famati, paratus sum ingenium meum vobis submittere, iubete quod placuerit, quia paratus sum sine fictione parere. Itaque reuocare suam perfidiam iussus est, & fecit publicè.

publicè. Et ne mundo vlterius seruiens deciperetur à vanis, petiuit in ordine Paulitarum recipi in monasterio, vbi Deo simpliciter, & valde deuotè seruitur in Hungaria, vbi ordo iste in magno est vigore. Ibi receptus militauit Christi tirocinio, de cætero, vt spero, constans & firmus remansurus. *Ordo Paulitarum.*

PIG. Quid ergo factum est de baptizatis ab eo? qui enim fide sacramentorum caruit, nunquid iteratô baptizandi erant? *THEOL.* De hoc quæsitus diligenter postmodum, quam videlicet fidem vel intentionem habuerit. Respondit: Quòd licet in Baptismi efficaciam nullam fidem longo tẽpore habuerit, tamen facere intendebat hoc quod credebat ecclesiam facere, hocque sufficere ad baptisma conferendum, etiam secundum fidẽ nostram se dixit dudum in scholis Theologorum in VViẽna audiuisse. Et exinde venit, & bene, quòd sacramentum iterari nõ debuit, semel, licet à perfido, collatũ. *Dubium ex prædictis ortũ.*

Quæ vtilitas ex hæresi sequitur. De deceptis per stigmata Christi fictitia. Quomodo mirabiliter vterque sexus decipitur, & de puero in Rauenspurg pro martyre tento.

CAPIT. XI.

M*Onstruosæ, vt canes, formicæ Indicæ à se effossum aurum, quod eis nihil prodest aut modicùm, dicuntur custodire diligentiùs.* Typum iterum huius gerunt à vera fide apostatæ, quia licet in sacro eloquio multum laborent, & libros eius summa cum diligentia custodiant, tamen ista eis parum aut nihil proficiunt, immo nonnunquam occasione accepta officiunt. Filij autem ecclesiæ fideles sunt tan-

tummodo, quibus nedum libri sacri, tanquam aurum apud hæreticos reperti, prodesse possunt, sed etiam hæreses, & talium articuli plurimum cómoditatis & fructus afferre solent. Nam hęreticorum tempore fideles qui sint probantur, doctores ecclesię illuminantur, & de se præsumentes humiliãtur. De primo ait Apostolus 1. Corint. 11. Oportet hæreses esse, vt qui probati sunt manifesti fiant: Vbi dicit glossa: Non vult Apostolus, nec optat, vt hæreses sint, sed quia sic futurum est vt dicit, & quia hoc vtile est. Ad quid autem est vtile subdit: Vt non tantum reprobi, qui dicunt: Ego sum Pauli, sed etiam qui probati sunt in vobis, id est, inter vos, sicut illi qui dicunt: Ego sum Christi, manifesti fiant hominibus. De secundo dicit ibidem glossa, & est Augustini. Multa quidem ad fidem catholicam pertinentia, dum hæreticorum callida inquietudine exagitantur, vt aduersus eos defendi possint, & considerantur diligentiùs, & intelliguntur clariùs, & prædicantur instantiùs. Ideoque diuina prouidentia hæreticos multos esse permittit, vt cùm insultant nobis, * interrogant nos quæ nescimus, vt vel sic excutiamus pigritiam, & diuinas scripturas nosse cupiamus. De tertio patet ad Romanos primo in philosophis, & eadem ratio de Christianis est, nam dicit Apostolus. Cum cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt, sed euanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum. Dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt. Et dicuntur ibidem miserabilia vitia carnis etiam in quæ ceciderunt, quibus inspectis, quia hominum patent oculis, nonnulli humiliores resurgunt, quàm ante lapsum apud se latentes, sibi & alijs innotuerunt. *PIG.* De ore meo

Tres vtilitates quæ ex hæresi sequũtur.

Gloss. ord.

Glossa ibi non habet

August. l. 1. de gene. cõtra manich. ca. 1 orig addit (&) paulo post omit. (vt.)

quęstio-

quæſtionem rapuiſti, cuius ſolutionem à te propoſueram ſciſcitari: Cur videlicet dominus pijſsimus ſuper eccleſiam ſuam ſponſam electiſsimam, tot hæreſes ingraſſari ſinat, ſed quia hęc ſoluendo pręueniſti, nunc vtilitatibus antedictis addere exempla velis. *THEOL.* In multis antea dictis, & in ſequentibus intueri poteris hæc. Fuit paulò ante tempus Conſtantienſis concilij prope Conſtantiam in Cellis oppido recluſa quædam magnæ famæ, contemplatrix alta, quæ multa dicebatur ſanctitate pollere, ſed ab his qui nullatenus probare norunt ſpiritus an ex Deo ſint. Ad hanc velut ad matrem de Conſtantienſi clero ſeculari plures & deuotiores ſacerdotes, & in vicinia ſimiles refugium diuinę conſolationis habere famabantur, quorum quoſdam ſatis noui: erant enim quidam ex eis non minimi ſtatus viri. Oſtẽderat autem ſe prędicta femina ſæpenumero iacere velut in extaſi, & in raptu extatico, à quo reuerſa, & expergiſcens ſuis poſtmodum ſecreta, quæ non nouerat, dicere ſolebat. His dictis ſacerdotes quidam nimium mulierculis credentes, fidem de ſanctitate recluſę habere cœperunt. Venitque tempus quo ab eiſdem pro vero in Conſtantienſi ciuitate vulgabatur, & pro conſtanti, quòd in recluſa prædicta certa die, quę nominabatur, quinque Chriſti ſtigmatorum inſignia in manibus, pedibus, & in corde feminæ certitudinaliter apparere prędicabantur. Super quę die quę futura erat, non paucę, ſed notabiles perſonæ ſeculares & eccleſiaſticæ de dicta ciuitate exeuntes, in Cellas venerunt. Interfuerunt etiam huic ſpectaculo ſacerdotes pſeudoprophetiſſæ magnificantes fimbrias, & aduenas duxerunt pro videndis (vt aiebãt) Dei mirabilibus.

Recluſa ficté ſancta, quæ ſtigmata Chriſti ſuſceptura certo die prædicabatur, detegitur & cõfunditur.

1. Ioan. 4.

In locum

In locum igitur venientes vbi iacebat velut in raptu immobilis fatua, nullum ſignum Chriſti ſtigmatum in ea viderunt, nec de prophetatis quicquã apparuit, licet diu eſſet expectatum. Cumque attediatum videret populum quidam nouæ contemplatricis ſacerdos voce magna clamauit: Patientiam habete, expectate, quæſo, reſpicite. Quo verbo murmur eſt coercitum pauliſper. Poſtremo diei ſpacio plurimo populo diſcedente, nihil niſi confuſio maxima illata eſt omnibus, qui deliramentis feminę, & ſuis reuelationibus crediderũt. Nam omnes qui aderant manifeſtũ deprehendentes mẽdacium, ſe veniſſe erubuerunt. Fuit præſens his in parte pię memoriæ frater Heinricus de Reinfeldia noſtri ordins ſacræ Theologiæ profeſſor, qui coram multitudine ſtatim ſermonem inchoauit, quàm multiplex eſſet ſpiritus erroris edocuit, &
Pſ. 130. quàm fatuum eſſet faciliter proprijs ingenijs credere, in mirabilibus ambulare ſuper ſe, & talibus inſiſtere. Nec multo poſt elapſo tempore iſta fictrix, & vnus de fictoribus tanquam ſuſpecti de fide per officialem Conſtantienſem in pœnitentiam, ad reuocationemque quorundam malè aſſertorum ab eis confuſibiliter & ſatis publicé poſiti ſunt, vt ſic quàm debile ſit noſtrum ingenium agnoſcerent, & in humilitatis ſpiritu de cetero Deo melius ſeruirẽt. *PIG.* Miror vnde proueniant talium deceptionũ modi, præſumptionum potiùs, vt debilis ſexus femineus tantum de ſe audeat præſumere, quantum Chriſti tiro deuotiſsimus beatus Franciſcus ſibi nunquam arrogaſſet, in quo tamen ſigna multa præceſſerant, antequam Dei virtus Seraphica ſibi ſtigmata dilecti filij ſenſibiliter afferret, quibus adeptis omni qua potuit diligẽtia hunc theſaurum, ne perderet, abſcondit. *THEOL.* Eſt feminarum

S. Franciſcus non niſi biennio ante mortem ſtigmata accepit, vt

rum

rum satis proprium vanè gloriosarum, vt postquã sibi viros credulos faciunt, statim ex hinc maiora de se præsumere incipiunt, fauore humanæ laudis deceptæ, quo quantò quis amplius nutritur, tantò per virus inanis gloriæ plus erigitur, vsquequo diuina prouidentia deponit potentes de sede, & exaltat humiles, vt quàm verum sit intelligatur: Omnis qui se exaltat humiliabitur, & qui se humiliat exaltabitur. Exinde normam viuendi in consilijs dandis feminis patres, pastores, & informatores talium deberent accipere, primùm, vt feminis nullatenus, etiam deuotis, sine magna necessitate familiares sint, dempto vbi necessitas alterius hominis hoc debito charitatis requirit, quia conuersatio multa cum talibus in affectu, & in moribus ferè tantùm mutat virilem animum, quantùm eunuchatio, seu castratio diuaricare solet sexum. Deinde pro regula tenendum est, quod prudens consiliarius animę, difficillimè feminis credat, quòd diuinum habeant & prodigiosum instinctum, præsertim cùm regere rempublicam in prohibito habeãt, & curam animarum omnia iura eis interdicant. Talibus enim, quæso, quid opus est diuina reuelare, vbi præsertim de necessarijs viuendi moraliter sufficientem habent litteratorum doctrinam? Postremò alia doctrina est, vt quicunque religiosus, aut cælibem vitam eligens feminis, vbi non oportet, etiam sub prætextu lucri animarum multum voluerit esse familiaris, talis suam conuersationem suspectam valde habeat, ne caro, non spiritus, vel digitus inanis gloriæ duos luscos animæ foueat oculos; quæ inanis gloria quàm altam sibi radicem apud mentem figat, nescit inexpertus.

habet S. Bonauẽt. cap. 13. vita ipsius. *Luc. 1.* *Ibidem 14 & 18* *Tria obseruanda ijs qui cõsilio iuuãt mulieres.* 1. 2. 3.

PIG. Valde in sexum debilem impingis: scire cupio exemplum vbi masculinus etiam desipiat

grauj-

grauiter. *THEOL.* Suprà dixi, me nunquam in sexum femineum quicquam velle inuehere, sed in abusum sexus, bene ab illo, & bonum creatum, de quo dicitur: Bene omnia fecit. Et vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona. Veruntamen masculinus si errat, tantò ab esse veri errat deteriùs, quantò fretus potentia fuerit efficaciùs. Rem gestā audi infra decennium. Fuit in ciuitate Rauenspurg Constantiensis diœcesis puer scholaris annorum tredecim circiter. Hic aliquibus diebus à loco sui hospitij perditus, quærebatur vbique diebus multis in præfata ciuitate. Tandem repertus est extra ciuitatem iacens super quandam arborem, quæ pinus vocatur, distans à ciuitate per mediam leucam, vel integram. Nullum vulnus habuit, nec laqueus an se iugulasset, vel eum alius, comparuit, nec interfectoris cuiusquam vestigium euidens. Cœperunt hunc multi de plebe statim tanquam martyrem à Iudæis clam occisum colere, miracula ab eo facta mendacissima fingere, capellam ligneam erigere & lapideam, coaceruare custodes peregrinorum, pecuniam nouo dedicatam martyri, & velut summa de martyrio haberetur probatio, duliam ignoto sancto exhibere. Certabant verbis inter se seculares & ecclesiastici, quisnam puer esset, quibusdam dicentibus, quia opinio de puero bona est, alijs id contradicentibus, nequaquam inquiunt, sed qui talibus citò credunt seducunt turbas. Humatus est in hoc dissidio puer per terræ Baliuum in castro propè, nec quenquam locum sepulchri adire sinebat quò dum veritas rei aperiretur. Sed plebs credula putatiuum martyrem abnegare noluit. Nam quia plebs adire nequiuit sepulchrum, frequentauit saltem (vt credidit) martyrij locum, pinum videlicet campestrem, siluestrem potiùs.

huius lib. cap 4.
Marci 7.
Gen. 1.

Fictus martyr cœptus coli à credulis nimium, ab Imp. ne colere tur interdicitur.

Habuit

Habuit autem puer virum quendam cognatum, qui se diuinitus inspiratum credidit, vt sub pœna peccati non desisteret, quo dum pinus martyri sanctificaretur; & hic negotijs plurimam attulit difficultatem. Venit tandem ad locum Imperator Sigismundus Romanorum Rex, vir circunspectione plenus, qui diligenter examinatis partibus & testibus negotij, reperit multimodas ibi intercessisse fallacias, fraudes, & decipulas. Vnde motus pinum secuit, capellam, quia non consecrata erat destruxit, & reipublicæ, ne ignotum colerent, penitus interdixit, & ita sancti huius mira cessauerunt. Similis deceptio facta est satis nouiter circa adorationem cuiusdam hostiæ in Colonia miraculosè (vt putabatur) repertæ, & diu à multitudine populi adoratæ, quousque dolus ad lucem prodijt. Auaritiæ enim gratia id excogitatum est, vt in concilio generali Basiliensi, de hoc officialis Coloniensis, scilicet, Varentrap longam historiam me audiente texuit. Similiter accidit eodem tempore circa Magdeburgensem ecclesiam de deceptione simili, quam à quodam magistro Heinrico canonico ibidem, & sacræ paginę professore audiui, de quibus longum nimis esset recitare.

Sigismundus Imp. factus anno 1411. mortuus 1438.

Fallaciter miraculosa hostia adorari cœpta detegitur.

De miraculis tempore quo in Bohemia heretici fuerunt ostensis, ponuntur quadam exempla.

CAPIT. XII.

H*Omines qui formicis monstruosis aurum recipere moliuntur, tales per formicas illas vsque ad mortẽ persecutionem patiuntur.* Talismodi nostri temporis hæretici

hæretici fuerunt, qui contra sanæ doctrinæ defensores in mortem eorum machinati sunt, quotiescũque per verba sacræ scripturæ à perfidis malè intellecta, eandem paginam auferre si qui catholici conabantur. Inter perfidos enim, iuxta lamentum prophetæ, quod ad hoc in regno Bohemiæ sæpe dicto, ad literã obscuratũ est aurum, mutatus est color optimus, quia lapides sanctuarij, doctores catholici, dispersi sunt in capite omnium platearum. Nec vllus tandem ibi repertus mansisse sacræ doctrinæ professor dignoscitur, quinimmo hi qui nati Bohemi incautè errorem inchoauerant, videntes finem ducere ad mortem, fugiendo de terra, à se malè docta publicè verbis & scriptis reuocabant.

Thren. 4.

PIG. Cupio scire, annè eodem tempore aliqua miracula inter fideles pro fidei roboratione facta sint alicubi? *THEOL.* Nõ destitit Deus fontẽ suæ misericordię protũc emanare super multos fideles, quibus gratiosè superuenisse constat. Nam in victorijs nostrorum quibusdã prodigiosè satis fideles aliquãdo triũphum belli obtinuerunt, vt habes suprà de milite nobili libro secũdo cap. octauo. Cũm etiã de Metis Bohemię à ciuitate egressi venissemus, vbi ex parte Basiliensis concilij hæreticis audientiam sibi dari, si venirent, promisimus, venimus in comitatu domini Frederici marchionis Brandenburgensis, in oppidum suum quod Culmach dicitur, super quo castrum inexpugnabile in alto iacet in monticulo dictum Plaissemberg, ibi mirum tale narrante nobis Marchione pauló antè euenerat, Intrauerant enim hęretici territorium idem cum tanta potentia cui nullus resistere valuit, & oppidum prædictum statim obtinuerunt. Fugerant igitur de omnibus locis adiacentibus, & de ipso oppido ad castrum gratia præsidij, monachi & clerici, moniales

Hæreticus caput imaginis Christi amputans mox globo bõbardæ à

moniales & Iudęi, & vulgus magnum. Interea armigeri qui erant in castro, dietim certo tempore castrum exeuntes cum balistis & bōbardis manualibus, per decliuum montis descendebant supra oppidum, in perfidos iacula pro posse iacientes, & vice reciproca idem ab hæreticis expectantes. Quadam autem die cùm nostri more solito à castro descenderent, * inter se Iudæum quendam habuerunt in manualibus bombardis tritum satis. Vidētes hæretici nostros, statim ad ecclesiam opidi cucurrerunt, imaginem Christi de monte Oliueti qui ibi effigiatus erat in * lapideis vel coctis lateribus, de ecclesia ad plateam, vt nostri conspicerent iniuriam, traxerunt. Videntibusque nostris quid maligni nouum prætenderunt, viderunt quod imaginem saluatoris manibus protensis orantem, quidā perfidus accessit propius, & educto gladio clamauit alta voce ad nostros derisoriè. Ecce, inquit, Deus vester, si placet liberet se. Et ita illico caput imagini * abtruncauit. Quo viso Iudæus bombardam suā ad iactum disposuit, & ad Christianos ait: Quamquam alterius sim fidei à vobis, tamen pro posse fidem vestram defendam. Ignem igitur machinæ immisit, & primo iactu reum hæreticum omnibus mirantibus Iudæus tetigit & occidit. Altera die mirabile aliud contigit. Fuit in castro fatuus quidam à natiuitate, animosus & loquax satis, qui quotidie cupiebat cum prædictis armigeris è castro exire, & singulare certamen perfidis minabatur hæreticis intentare, quamobrem custodiebatur multum ne exiret castrum. Capta autē quadam die opportunitate quando portarius prope portam non esset, inuenit modum per claues, aut aliter, ita vt omnibus ignorantibus castrum exiret. Descendit igitur per deuexum montis, immo cucurrit

Iudæo in vindictā illius facinoris occiditur.

inter se .i. secum.

a. b. lapides.

a. b. atrūcauit.

Fatuus à natiuitate hæreticos fuste inuadens & ab eis lætaliter vulneratus, diuinitus curatur.

cucurrit fuste arrepta, prope oppidum stantes hæreticos importunis verbis & ictibus inuasit. Qui eductis gladijs se defenderunt, fatuum immanissimis vulneribus (quorum cicatrices vidi postmodum) vsque ad mortem, vt putabant, percusserunt. Cecidit igitur pauperculus Christi, & recedentibus hæreticis diu iacuit volutatus in sanguine proprio, tandem autem resumptis viribus surrexit, castro appropinquare ascendendo cœpit, & in menijs custodes stupebant, vnde & quando fatuus castrũ exiuisset. Sibi igitur aperientes, eum lethalibus vulneribus sauciatum reperierunt. Nam inter cetera loca, circa mammillas totaliter perfossus gladijs extitit, qui locus, vulnus cum profundum fuerit, lethalem semper solet læsionem recipere. Habuit autem fatuus semper in summo odio Iudęos, plus tamen hæreticos: Cumque fuisset quidã valde expertus in chirurgia Iudæus pro medico adductus, hunc fatuus, velut mortem, sibi nullatenus appropinquare voluit. Absit (inquit) vt ab hæretico saner, sed ad cocum in coquina cucurrit, offam esuriẽs secum comedit, & infra paucos dies sine ligatura, & arte medicinæ sanatus fuit, omnium iudicio solum diuinitus, quia nullo ferè humano adiutus pręsidio.

secum .i. cum illo.

Fuerunt aliquando in Praga ex parte Basiliensis Concilij transmissi domini episcopi, Constantiensis prouinciæ Rothomagensis, episcopus Augustẽsis, Archidiaconus Barcinonensis, Decanus Turonensis, & multi doctores diuini & humani iuris cum familia multa, sed humili apparatu omnes & clericali, vt conarẽtur reducere perfidos sub treugis quas habebant, ad gremium sanctę ecclesiæ. Protelabatur autem dieta multis hebdomadibus & mensibus propter duriciem perfidorum, ingrassabatur in populo actu pestilentia validissima, quæ

Hospitiũ catholicorum peste grassante circũquaque in domibus hæreticorum manet intactum.


dictim


dietim centena circiter hominum necabat. Spectaculum tunc Deus mirantibus omnibus perfidis fecit in hospitio nostrorum, vt licet in omnibus adiacentibus propinquis & distantibus domibus pestilentia regnaret validè, nunquam tamen domum præfatam fidelium intrauit, nec per totum decursum præsentiæ eorum quisquam mortuus, nec peste in minimo tactus fuit. Sileo (nè notam incurram fauoris excessiui) de suppriore conuentus Franrenstemensis reformato in nostro ordine, qui omnibus diebus vitæ suæ integer obseruator suæ regulæ, & deuotus vsque ad finem permansit, quomodo in conuentu eodem ab hæreticis captus, constantissimè fidem catholicam tenuit, & in sua patientia tam æquo animo rogum sustinuit, vt perfidi faterentur, ei in mortis periculo similem inter nostros non reperisse.

Supprior Franrenstemensis sustinet patientissimè rogum ab hæreticis instructū.

Finis libri tertij.

R Liber






Liber Quartus.

DE VIRTVOSIS PERFECTORVM OPERATIONIBVS.

Anima quomodo crescit virtutibus? An feminæ sint viris peiores & incontinentiores?

CAPITVLVM I.



AGGREDIENDO quartum in ordine libellum de virtuosis perfectorum operationibus principaliter, & de negligenter agentibus circa talia, primo loco de formicis occurrit hæc earũ proprietas, *quòd in processu ætatis suæ multũ inter se differunt, quia quædam sunt in ouis, aliæ vermiculi nati nouiter, aliæ verò modò generare possunt, & opera exercere valida.* Profectus in spiritualibus hoc modo nobis insinuatur, vt quemadmodum formicæ crescunt in corpore, ita nos augmentum capiamus in anima: de quali Dei præcursor nobis exemplar edidit, vbi de eo Lucæ primo dicitur: Puer crescebat & confortabatur spiritu. Et ibidem secundo de eodem quem prædixerat dicitur: Puer autem crescebat & confortabatur plenus sapientia, & gratia Dei erat in illo. De duodenne denique iterum ibi sequitur: Iesus proficiebat sapientia & ætate, & gratia apud Deum & homines. Non quòd ipsa Christi

Christi humanitas augmentum gratiæ sumpserit, sed vt Gregorius Nazanzenus dicit, quod gratia, quam in summa plenitudine in conceptione acceperat, paulatim manifestabatur per eum hominibus. Et vt Theophilus super eodem ait, quia naturalis lex respuit hominem sensu maiore vti, quàm ætas corporis patiatur. Erat itaque verbum factum homo perfectus, cùm sit virtus, & sapientia patris. Verùm quia dandum erat aliquid nostrę naturæ moribus, ne aliquid extraneum à videntibus reputetur, tanquam homo, paulatim crescente corpore manifestabat seipsum, & quotidie sapientior ab audientibus & videntibus censebatur. De hoc augmento morali virtutum ita dicit Apostolus ad Ephesios quarto: Veritatem facientes in charitate, crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus. Principium autẽ huius augmenti virtus * sementina est verbum Dei, in quo augmento commendat Colossenses primo, vbi ait: Verbum veritatis euangelij peruenit ad vos, sicut & in vniuerso mundo est, & fructificat, & crescit in vobis ex ea die qua audistis & cognouistis gratiam Dei in veritate. Hoc enim semen parit, vel fructificat iuxta conditiones mentium, quæ malè vel bene excoluntur pluuia Dei gratiæ, & aratro libertatis arbitrij, quod facere potest, id quod in se est vtendo bene datis naturalibus, vel negligenter, vel ceruicosè se in istis gerendo. Voluit hoc denotare verbum Dei, à quo omnia verba veritatis primô emanant, cùm Matth. decimotertio de seminatore seminante, & de fructu neglecto, aut habito ita parabolam exponendo conclusit. Qui in terram bonam seminatus est, hic est, qui audit verbum & intelligit, & fructum affert, & facit aliud quidem centesimum, aliud autem sexagesimum, aliud verò tricesimum. Ex his

Vterque hic locus Gregor. & Theophil. habetur in cathena D Thomæ in cap. 2. Lucæ.

Ioan. 1.

1. Cor. 1.

c. d. seminentina.

Triplex gradus charitatis.

etiam auctoritatibus iam præallegatis ipse beatus Augustinus & imitatores sui pedem fixerunt, distinguendo charitatis gradum triplicem, incipientem, proficientem, & perfectum, sicut inuenitur etiam in omnibus animalibus, ortus eorum, prouectus, & perfectio status crementi. *PIG.* Vales nè de tibi notorum hominum numero quēquā in medium producere, qui à primæua ætate sua statum baptismalis innocentiæ in vitæ spiritualis perfectione vsque ad senectutē perduxerit? *THEOL.* Cùm nemo secundum legem communem nouerit an odio vel amore dignus sit, vt Salomon prudentissimus dicit Eccles. 9. minus ego de alieno seruo iudicare audeo. Veruntamen quia tantùm de coniectura humana quæstionem, vt puto, intelligis, tales multos vidi, præsertim de virginū dignitate, excellentia, ac statu, de quibus nonnullā suprà mentionē in locis pluribus feci, & infrà faciā, quæ baptismalem innocentiā seruauerunt vsque ad vltimū senium, & à mortalibus peccatis innoxię (vt in domino omnium spero) in abundantia meritorum sepulchrū defunctę intrauerunt. *PIG.* Sacrę scripturæ repugnare videris, qui feminas viris in bonitate præponis. Nam Ecclesiastici 42. dicit sapiēs. Melior est iniquitas viri, quàm bene faciēs mulier. Et Ecclesiastæ 7. dicit: Virum de mille vnū reperi, mulierem ex omnibus non inueni. Silentio pertranseo, breuitatis gratia, quę de feminis sapientes mala dicunt. *THEOL.* Non maiorem feminarum multitudinem, quàm virorum saluo, quia illud agnoscere solius Dei est, de quo oramus: Deus cui soli cognitus est numerus electorum in superna felicitate locandus, sed quia timor Dei, & verecundia de peccato, ac deoccupatio à temporalium cura, ac libertatis malæ priuatio plus sibi com-

Rom. 14.

Duo loca scripturæ contra feminas obijciuntur.

Oratio ecclesiæ.

Quæ feminas præ viris à

communiter in locis vbi fui, in feminis vendicantur quàm in viris, idcircò de talibus loquor quarum notitiam habui in confeſsione, & aliter. Stat autem alium quempiam maiorem multitudinem virorum agnoſcere, quod non abnego. Præterea te remitto ad ea quæ diſſerui vbi ſuprà libro tertio cap. quarto. * Tibi dixi, non videlicet eſſe reprehendendum ſexum, quem Deus creauit, ſed in ſexu vitium, ſi adeſſet. Eadem lege non vir eô bonus eſt, quia homo, ſed quia virtuoſus. Ad primam autem auctoritatem reſpondendo noueris, quod ſecundum literæ ſenſum hæc auctoritas & eius intellectus à priori verſu dependet, & ex eo quod ſtatim ſequitur, quorum ſenſus eſt; quòd tutius eſt quo ad caſtitatis cuſtodiam cohabitare iniquo viro quàm mulieri benefacienti. Vnde textus ſic ſe habet: Omni homini noli intendere in ſpecie, & in medio mulierum noli commorari. De veſtimentis enim procedit tinea, & à muliere iniquitas viri. Melior eſt iniquitas viri quàm mulier benefaciens, & mulier confundens in obprobrium. Hunc ſenſum gloſſa interlinealis innuit, cùm in capite huius literæ ſic præmittit. Docet nos hic puritatem cordis & corporis ſeruare. Tamen gloſſa marginalis alium ſenſum tradit moralem, nec tuo, nec meo contrarium propoſito, vt ſit intellectus literę. Melior, id eſt, vtilior, eſt, iniquitas, id eſt, lapſus viri, ſupple, per diſcretionem poſtmodum humiliter reſurgentis, quàm mulier benefaciens, id eſt, quàm minus prudens benefaciens, & de benefaciendo indiſcretè præſumens. Vnde gloſſa dicit: Vir in hoc loco fortis & diſcretus vocatur, mulier mens infirma & indiſcreta. Et ſępe contingit vt diſcretus labatur in culpam, infirmus exhibeat operationem bonã:

peccatis præſeruet.

f. Ibi.

Homo pro viro.

Explicatur prior locus.

Gloſſa interl.

Gloſſ. ord.

sed indiscretus de bonis suis superbiens grauius cadit, discretus pœnitens ad discretionis regulam redit, & de cetero fortiùs & cautiùs agit. Sæpe enim culpa fortium fit occasio virtutis, & virtus infirmorum occasio peccati. Porrò si secunda auctoritate omnes feminas damnare volueris, ipsi scripturæ sacræ aduersaberis, & sanctorum catalogo, qui virgines, coniugatas, & matronas canonizat in innumera multitudine. Nisi (vt quidam exponunt, & glossa innuere videtur) de carentia originalis peccati auctoritatem intellexeris, à quo solus Christus homo innoxius extitit, de quo scrupulo multorũ, me nunc nõ occupo. Sensus igitur literæ multiplex esse potest, & nullus pro tuo intellectu. Primus est iam prætactus de originali peccato. Secundus est, quòd in comparatione virorum paucæ mulieres constantes sunt. Vnde glossa interlinealis dicit. Mulier à mollicie molles & inconstantes signat. Et secundum hoc viri inconstãtes (quorum multi sunt, quia stultorum numerus est infinitus. Ecclesiast. primo.) per mulierem intelligerentur sicuti sexus femineus. Tertius sensus est litteralis, quem glossa sic de auctore auctoritatis ipsius exprimit: Cùm vix de paucis viris bonos inuenerim, ita vt in mille vnus potuerit inueniri, mulierem bonam omnino inuenire non potui, quia me omnes ad luxuriam, non ad virtutem deduxerunt. Quartus sensus est, quòd mulier ad incontinentiæ vitium pronior est viro, vnde glossa subdit: Cùm cor hominis ab adolescentia ad malitiam diligenter est appositum, & penè omnes offenderint Deum, in hac ruina generis humani facilior ad casum est mulier. Vnde poëta: Varium & mutabile semper femina. Quintus sensus est secundum Nicolaum de Lyra, quod paucæ mulieres sint virtuosæ respectu virorum, sicut

Explicatur locus posterior multipliciter.

Gloss. ord. 1.

2.

Mulier quasi mollier.

3. *Gloss. ord.*

4.

Virgil. 4. Æneid.

5. *Liran' ad hunc locũ*

sicut dicitur communiter, nullum esse in ecclesia, quando valde pauci sunt ibi respectu multitudinis quæ solet conuenire, & per talem modum dicitur secundo Physicorum. Quod modicum distat, quasi nihil computatur. Sextus sensus est secundum glossam interlinealem, quod per virum ratio, vel fortis (nam vir à virtute fortes denotat,) per mulierem sensualitas signatur, cui ratio præponitur. Est autem sensualitas perpetuæ corruptionis, licet ratione posit regulari. PIG. Est ergo ne peccatum fornicationis vel adulterij in viro maius, quàm in femina? THEOL. Respondet sanctus doctor in 4. distinct. 35. se habent vt excedentia & excessa, quia in muliere plus est de humore, & ideo sunt magis ductibiles à concupiscentijs, sed in viro plus est de calore, qui concupiscentiam excitat. Sed tamen simpliciter loquendo ceteris paribus vir in simplici fornicatione plus peccat, quàm mulier, quia habet plus de rationis bono, quę præualet quibuslibet motibus corporalium passionum. Sed quantum ad lęsionem matrimonij plus peccat mulier, quàm vir, tum quia hoc plus est contra legem naturæ, quia nunquam licuit mulieri habere plures viros, secus est de viris respectu mulierum, tum quia magis nocet proli, quam incertã facit. Et quia læsio matrimonij peccatum est grauius, quàm simplex fornicatio, ideo simpliciter loquendo plus peccat mulier adultera quàm vir adulter, ceteris paribus. Hæc sanctus Thomas, immo dominus Albertus (cui in hac materia pro quanto naturalis est præ multis est credendum) dicit libro nono de animalibus tractatu primo cap. primo. Quando, inquit, puellæ castæ sunt & auertunt animum, stant vsque ad antiquitatem vltimam quod nunquam polluuntur, neque experiũtur coitus delectationẽ,

Aristot. l. 2. phys. cap. 5. 6.

Questio. Thom in 4. dist. 35 q. vnica ar. 4.

Albertus magnus.

& hoc fit etiam in maribus, ſed raro. Quædam autem habent ex vitio complexionis, aliæ ex diſpoſitione complexionis. Et cap. ſecundo dicit. Sunt tamen quędam mulieres ſicci corporis, quibus vno accidit menſe menſtruum, & alio non. Et quaſdã ego vidi virgines caſtas, ieiunijs & vigilijs macerantes corpora, quibus nunquam accidit menſtruum in pluribus menſibus per multos annos, & ex hoc non infirmabantur. Hæc ille. Ex quibus patet, quantum valet in religioſis virtus temperantiæ, quæ tantam munditiam nedum in anima, verumetiam conſeruat in corpore. Cauſas autem in feminis maioris & minoris continentiæ videre potes ibidem libro decimo octauo, tractatu ſecundo cap. quarto, cur videlicet virgines aliquando latius tentantur, & coniugatæ poſt plurimam prolificationem minus, & ſimilia, ex quibus præfatæ virtutis temperantiæ decus elici poteſt. Sed nota quod addit, vbi prius, Albertus, & auertunt animum à cogitationibus Venereis, quia, vt ibidem pręmittit, rememoratio coitus excitat appetitum, quia actum animæ multum variat corpus. Nolo tamen vlterius ſordibus Venereis occupemur. Iſta ſufficiant.

Oua et fœtus ſpiritus quomodo ſint nutriendi: De ſeruientibus aliquando ſanctis ſine Euchariſtia non migrantibus, & quòd ſancti in ſimilibus priuilegiati ſint eis obſequentibus.

CAPIT. II.

OVa formica generat quæ colore ſunt alba, quantitate parua, rotunda, oblonga, & columnalia. Ouorum no-

rum nomine fructus possunt intelligi nouelli, & teneri, vnde super isto Iob tricesimo nono. Strutio derelinquit in terra oua sua, tu fortè in puluere calefacis ea? dicit beatus Gregorius tricesimo primo libro moralium. Quid per oua, nisi tenera adhuc proles exprimitur, quę diu fouenda est, vt ad viuum volatile perducatur? Oua quippe insensibilia insemetipsis sunt, sed tamen calefacta in viuis volatilibus conuertuntur. Ita nimirum paruuli auditores, ac filij certum est quod frigidi insensibilesque remanent, nisi doctoris sui sollicita exhortatione calefiant. Ne igitur derelicti in sua insensibilitate torpescant, assidua doctorum voce fouendi sunt, quousque valeant per intelligentiam viuere, & per contemplationem volare. Oua in terra dereliquisse, est nullum cœlestis vitæ filijs exemplum pręberc. Tu forsitan in puluere calefacis ea, ac si dicat, vt ego, qui illa in puluere calefacio, quia scilicet paruulorum animas & in medio peccantium positas amoris mei igne succēdo. Quia igitur iuxta istam beati Gregorij sententiam per oua bonorum operum fructus exprimuntur, ita per albedinem, paruitatem, & ouorum longitudinem tres conditiones bonis operibus necessariæ intelliguntur, vt sint per innocentiam nitida, per humilitatem parua, & in perseuerantia longa. Talia enim opera Deus, & sui sancti remunerare sæpe solent miraculosè supra legem communem.

Gregor l. 31. mora. cap 5. alias 7.

Ibid. ca. 6 al. 7.

Tres conditiones boni operis.

PIG. Exempla de hoc posco. *THEOL.* Tempore quo in vniuersitate Coloniensi nostræ facultatis primum studens fui, nobilem iuuenem quendā studentem artes, adultū, & in verbis (pædagogo suo teste, & me qui cōfessor su⁹ fui) fide dignū valde hui⁹ relatione didici quę sequūtur. Fuit, inquit, nouiter circa Ercklētz in partib⁹ inferiorib⁹ Alemanię quidam

Deuotus b. Barbaræ nō potest mori nisi prius susceptis † sub. noui confessionis & eucharistiæ sacramētis

hæretici fuerunt, qui contra sanæ doctrinæ defensores in mortem eorum machinati sunt, quotiescũque per verba sacræ scripturæ à perfidis malè intellecta, eandem paginam auferre si qui catholici conabantur. Inter perfidos enim, iuxta lamentum prophetæ, quod ad hoc in regno Bohemiæ sæpe dicto, ad literã obscuratũ est aurum, mutatus est color optimus, quia lapides sanctuarij, doctores catholici, dispersi sunt in capite omnium platearum. Nec vllus tandem ibi repertus mansisse sacræ doctrinæ professor dignoscitur, quinimmo hi qui nati Bohemi incautè errorem inchoauerant, videntes finem ducere ad mortem, fugiendo de terra, à se malè docta publicè verbis & scriptis reuocabant.

Thren. 4.

PIG. Cupio scire, annè eodem tempore aliqua miracula inter fideles pro fidei roboratione facta sint alicubi? *THEOL.* Nõ destitit Deus fontẽ suæ misericordię protũc emanare super multos fideles, quibus gratiosè superuenisse constat. Nam in victorijs nostrorum quibusdã prodigiosè satis fideles aliquãdo triũphum belli obtinuerunt, vt habes suprà de milite nobili libro secũdo cap. octauo. Cũm etiã de Metis Bohemię à ciuitate egressi venissemus, vbi ex parte Basiliensis concilij hæreticis audientiam sibi dari, si venirent, promisimus, venimus in comitatu domini Frederici marchionis Brandenburgensis, in oppidum suum quod Culmach dicitur, super quo castrum inexpugnabile in alto iacet in monticulo dictum Plassemberg, ibi mirum tale narrante nobis Marchione paulò antè euenerat. Intrauerant enim hęretici territorium idem cum tanta potentia cui nullus resistere valuit, & oppidum prædictum statim obtinuerunt. Fugerant igitur de omnibus locis adiacentibus, & de ipso oppido ad castrum gratia præsidij, monachi & clerici, moniales

Hæreticus caput imaginis Christi amputans mox globo bõbardæ à

moniales & Iudęi, & vulgus magnum. Interea armigeri qui erant in castro, dietim certo tempore castrum exeuntes cum balistis & bõbardis manualibus, per decliuum montis descendebant supra oppidum, in perfidos iacula pro posse iacientes, & vice reciproca idem ab hæreticis expectantes. Quadam autem die cùm nostri more solito à castro descenderent, * inter se Iudæum quendam habuerunt in manualibus bombardis tritum satis. Vidẽtes hæretici nostros, statim ad ecclesiam opidi cucurrerunt, imaginem Christi de monte Oliueti qui ibi effigiatus erat in * lapideis vel coctis lateribus, de ecclesia ad plateam, vt nostri conspicerent iniuriam, traxerunt. Videntibusque nostris quid maligni nouum prætenderunt, viderunt quòd imaginem saluatoris manibus protensis orantem, quidã perfidus accessit propius, & educto gladio clamauit alta voce ad nostros derisoriè. Ecce, inquit, Deus vester, si placet liberet se. Et ita illico caput imagini * abtruncauit. Quo viso Iudæus bombardam suã ad iactum disposuit, & ad Christianos ait: Quamquam alterius sim fidei à vobis, tamen pro posse fidem vestram defendam. Ignem igitur machinæ immisit, & primo iactu reum hæreticum omnibus mirantibus Iudæus tetigit & occidit. Altera die mirabile aliud contigit. Fuit in castro fatuus quidam à natiuitate, animosus & loquax satis, qui quotidie cupiebat cum prædictis armigeris è castro exire, & singulare certamen perfidis minabatur hæreticis intentare, quamobrem custodiebatur multum ne exiret castrum. Capta autẽ quadam die opportunitate quando portarius prope portam non esset, inuenit modum per claues, aut aliter, ita vt omnibus ignorantibus castrum exiret. Descendit igitur per deuexum montis, immo

Iudæo in vindictã illius facinoris occiditur.

inter se .i. secum.

a. b. lapides.

a. b. atrũcauit.

Fatuus à natiuitate hæreticos fuste inuadens & ab eis lætaliter vulneratus, diuinitus curatur.

cucurrit fuste arrepta, prope oppidum stantes hæreticos importunis verbis & ictibus inuasit. Qui eductis gladijs se defenderunt, fatuum immanissimis vulneribus (quorum cicatrices vidi postmodum) vsque ad mortem, vt putabant, percusserunt. Cecidit igitur pauperculus Christi, & recedentibus hæreticis diu iacuit volutatus in sanguine proprio, tandem autem resumptis viribus surrexit, castro appropinquare ascendendo cœpit, & in menijs custodes stupebant, vnde & quando fatuus castrũ exiuisset. Sibi igitur aperientes, eum lethalibus vulneribus sauciatum reperierunt. Nam inter cetera loca, circa mammillas totaliter perfossus gladijs extitit, qui locus, vulnus cum profundum fuerit, lethalem semper solet læsionem recipere. Habuit autem fatuus semper in summo odio Iudęos, plus tamen hæreticos: Cumque fuisset quidã valde expertus in chirurgia Iudæus pro medico adductus, hunc fatuus, velut mortem, sibi nullatenus appropinquare voluit. Absit (inquit) vt ab hæretico saner, sed ad cocum in coquina cucurrit, offam esuriẽs secum comedit, & infra paucos dies sine ligatura, & arte medicinæ sanatus fuit, omnium iudicio solum diuinitus, quia nullo ferè humano adiutus pręsidio.

secum .i. cum illo.

Fuerunt aliquando in Praga ex parte Basiliensis Concilij transmissi domini episcopi, Constantiensis prouinciæ Rothomagensis, episcopus Augustẽsis, Archidiaconus Barcinonensis, Decanus Turonensis, & multi doctores diuini & humani iuris cum familia multa, sed humili apparatu omnes & clericali, vt conarẽtur reducere perfidos sub treugis quas habebant, ad gremium sanctę ecclesiæ. Protelabatur autem dieta multis hebdomadibus & mensibus propter duriciem perfidorum, ingrassabatur in populo actu pestilentia validissima, quæ

Hospitiũ catholicorum peste grassante circũquaque in domibus hæreticorum manet intactum.


dietim


dietim centena circiter hominum necabat. Spectaculum tunc Deus mirantibus omnibus perfidis fecit in hospitio nostrorum, vt licet in omnibus adiacentibus propinquis & distantibus domibus pestilentia regnaret validè, nunquam tamen domum præfatam fidelium intrauit, nec per totum decursum præsentiæ eorum quisquam mortuus, nec peste in minimo tactus fuit. Sileo (nè notam incurram fauoris excessiui) de suppriore conuentus Franrenstemensis reformato in nostro ordine, qui omnibus diebus vitæ suæ integer obseruator suæ regulæ, & deuotus vsque ad finem permansit, quomodo in conuentu eodem ab hæreticis captus, constantissimè fidem catholicam tenuit, & in sua patientia tam æquo animo rogum sustinuit, vt perfidi faterentur, ei in mortis periculo similem inter nostros non reperisse.

Supprior Franrenstemensis sustinet patientissimè rogum ab hæreticis instructũ.

Finis libri tertij.

R Liber






Liber Quartus.

DE VIRTVOSIS PERFECTORVM OPERATIONIBVS.

Anima quomodo crescit virtutibus? An feminæ sint viris peiores & incontinentiores?

CAPITVLVM I.



GGREDIENDO quartum in ordine libellum de virtuosis perfectorum operationibus principaliter, & de negligenter agentibus circa talia, primo loco de formicis occurrit hæc earũ proprietas, *quòd in processu ætatis suæ multũ inter se differunt, quia quædam sunt in ouis, aliæ vermiculi nati nouiter, aliæ verò modò generare possunt, & opera exercere valida.* Profectus in spiritualibus hoc modo nobis insinuatur, vt quemadmodum formicæ crescunt in corpore, ita nos augmentum capiamus in anima: de quali Dei præcursor nobis exemplar edidit, vbi de eo Lucæ primo dicitur: Puer crescebat & confortabatur spiritu. Et ibidem secundo de eodem quem prædixerat dicitur: Puer autem crescebat & confortabatur plenus sapientia, & gratia Dei erat in illo. De duodenne denique iterum ibi sequitur: Iesus proficiebat sapientia & ætate, & gratia apud Deum & homines. Non quòd ipsa

Christi

Christi humanitas augmentum gratiæ sumpserit, sed vt Gregorius Nazanzenus dicit, quod gratia, quam in summa plenitudine in conceptione acceperat, paulatim manifestabatur per eum hominibus. Et vt Theophilus super eodem ait, quia naturalis lex respuit hominem sensu maiore vti, quàm ætas corporis patiatur. Erat itaque verbum factum homo perfectus, cùm sit virtus, & sapientia patris. Verùm quia dandum erat aliquid nostrę naturæ moribus, ne aliquid extraneum à videntibus reputetur, tanquam homo, paulatim crescente corpore manifestabat seipsum, & quotidie sapientior ab audientibus & videntibus censebatur. De hoc augmento morali virtutum ita dicit Apostolus ad Ephesios quarto: Veritatem facientes in charitate, crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus. Principium autē huius augmenti virtus * sementina est verbum Dei, in quo augmento commendat Colossenses primo, vbi ait: Verbum veritatis euangelij peruenit ad vos, sicut & in vniuerso mundo est, & fructificat, & crescit in vobis ex ea die qua audistis & cognouistis gratiam Dei in veritate. Hoc enim semen parit, vel fructificat iuxta conditiones mentium, quæ malè vel bene excoluntur pluuia Dei gratiæ, & aratro libertatis arbitrij, quod facere potest, id quod in se est vtendo bene datis naturalibus, vel negligenter, vel ceruicosè se in istis gerendo. Voluit hoc denotare verbum Dei, à quo omnia verba veritatis primò emanant, cùm Matth. decimotertio de seminatore seminante, & de fructu neglecto, aut habito ita parabolam exponendo conclusit. Qui in terram bonam seminatus est, hic est, qui audit verbum & intelligit, & fructum affert, & facit aliud quidem centesimum, aliud autem sexagesimum, aliud verò tricesimum. Ex his

Vterque hic locus Gregor. & Theophil. habetur in cathena D Thomæ in cap. 2. Lucæ.

Ioan. 1.

1. Cor. 1.

c. d. seminentina.

etiam auctoritatibus iam præallegatis ipse beatus Augustinus & imitatores sui pedem fixerunt, distinguendo charitatis gradum triplicem, incipientem, proficientem, & perfectum, sicut inuenitur etiam in omnibus animalibus, ortus eorum, prouectus, & perfectio status crementi. *PIG.* Valesne de tibi notorum hominum numero quẽquã in medium producere, qui à primæua ætate sua statum baptismalis innocentiæ in vitæ spiritualis perfectione vsque ad senectutẽ perduxerit? *THEOL.* Cùm nemo secundum legem communem nouerit an odio vel amore dignus sit, vt Salomon prudentissimus dicit Ecclesi. 9. minus ego de alieno seruo iudicare audeo. Veruntamen quia tantùm de coniectura humana quæstionem, vt puto, intelligis, tales multos vidi, præsertim de virginũ dignitate, excellentia, ac statu, de quibus nonnullã suprà mentionẽ in locis pluribus feci, & infrà faciã, quæ baptismalem innocentiã seruauerunt vsque ad vltimũ senium, & à mortalibus peccatis innoxię (vt in domino omnium spero) in abundantia meritorum sepulchrũ defunctę intrauerunt. *PIG.* Sacrę scripturæ repugnare videris, qui feminas viris in bonitate præponis. Nam Ecclesiastici 42. dicit sapiẽs. Melior est iniquitas viri, quàm bene faciẽs mulier. Et Ecclesiastæ 7. dicit: Virum de mille vnũ reperi, mulierem ex omnibus non inueni. Silentio pertranseo, breuitatis gratia, quę de feminis sapientes mala dicunt. *THEOL.* Non maiorem feminarum multitudinem, quàm virorum saluo, quia illud agnoscere solius Dei est, de quo oramus: Deus cui soli cognitus est numerus electorum in superna felicitate locandus, sed quia timor Dei, & verecundia de peccato, ac deoccupatio à temporalium cura, ac libertatis malæ priuatio plus sibi com-

Triplex gradus charitatis.

Rom. 14.

Duo loca scripturæ contra feminas obijciuntur.

Oratio ecclesiæ.

Quæ feminas præ viris à

communiter in locis vbi fui, in feminis vendicantur quàm in viris, idcircò de talibus loquor quarum notitiam habui in confessione, & aliter. Stat autem alium quempiam maiorem multitudinem virorum agnoscere, quod non abnego. Præterea te remitto ad ea quæ disserui vbi suprà libro tertio cap. quarto. * Tibi dixi, non videlicet esse reprehendendum sexum, quem Deus creauit, sed in sexu vitium, si adesset. Eadem lege non vir eô bonus est, quia homo, sed quia virtuosus. Ad primam autem auctoritatem respondendo noueris, quod secundum literæ sensum hæc auctoritas & eius intellectus à priori versu dependet, & ex eo quod statim sequitur, quorum sensus est; quòd tutius est quo ad castitatis custodiam cohabitare iniquo viro quàm mulieri benefacienti. Vnde textus sic se habet: Omni homini noli intendere in specie, & in medio mulierum noli commorari. De vestimentis enim procedit tinea, & à muliere iniquitas viri. Melior est iniquitas viri quàm mulier benefaciens, & mulier confundens in obprobrium. Hunc sensum glossa interlinealis innuit, cùm in capite huius literæ sic præmittit. Docet nos hic puritatem cordis & corporis seruare. Tamen glossa marginalis alium sensum tradit moralem, nec tuo, nec meo contrarium proposito, vt sit intellectus literę. Melior, id est, vtilior, est, iniquitas, id est, lapsus viri, supple, per discretionem postmodum humiliter resurgentis, quàm mulier benefaciens, id est, quàm minus prudens benefaciens, & de benefaciendo indiscretè præsumens. Vnde glossa dicit: Vir in hoc loco fortis & discretus vocatur, mulier mens infirma & indiscreta. Et sępe contingit vt discretus labatur in culpam, infirmus exhibeat operationem bonã:

peccatis præsernët.

f. Ibi.

Homo pro viro.

Explicatur prior locus.

Glossa interl.

Gloss. ord.

sed indiscretus de bonis suis superbiens grauius cadit, discretus pœnitens ad discretionis regulam redit, & de cetero fortius & cautius agit. Sæpe enim culpa fortium fit occasio virtutis, & virtus infirmorum occasio peccati. Porrò si secunda auctoritate omnes feminas damnare volueris, ipsi scripturæ sacræ aduersaberis, & sanctorum catalogo, qui virgines, coniugatas, & matronas canonizat in innumera multitudine. Nisi (vt quidam exponunt, & glossa innuere videtur) de carentia originalis peccati auctoritatem intellexeris, à quo solus Christus homo innoxius extitit, de quo scrupulo multorũ, me nunc nõ occupo. Sensus igitur literæ multiplex esse potest, & nullus pro tuo intellectu. Primus est iam prætactus de originali peccato. Secundus est, quod in comparatione virorum paucæ mulieres constantes sunt. Vnde glossa interlinealis dicit. Mulier à mollicie molles & inconstantes signat. Et secundum hoc viri inconstãtes (quorum multi sunt, quia stultorum numerus est infinitus. Ecclesiast. primo.) per mulierem intelligerentur sicuti sexus femineus. Tertius sensus est litteralis, quem glossa sic de auctore auctoritatis ipsius exprimit: Cùm vix de paucis viris bonos inuenerim, ita vt in mille vnus potuerit inueniri, mulierem bonam omnino inuenire non potui, quia me omnes ad luxuriam, non ad virtutem deduxerunt. Quartus sensus est, quod mulier ad incontinentiæ vitium pronior est viro, vnde glossa subdit: Cùm cor hominis ab adolescentia ad malitiam diligenter est appositum, & penè omnes offenderint Deum, in hac ruina generis humani facilior ad casum est mulier. Vnde poëta: Varium & mutabile semper femina. Quintus sensus est secundum Nicolaum de Lyra, quod paucæ mulieres sint virtuosæ respectu virorum, sicut

Explicatur locus posterior multipliciter.

Gloss. ord. 1.

2.

Mulier quasi mollier.

3. *Gloss. ord.*

4.

Virgil. 4. Æneid.

5. *Liran' ad hunc locũ*

sicut dicitur communiter, nullum esse in ecclesia, quando valde pauci sunt ibi respectu multitudinis quæ solet conuenire, & per talem modum dicitur secundo Physicorum. Quod modicum distat, quasi nihil computatur. Sextus sensus est secundum glossam interlinealem, quod per virum ratio, vel fortis (nam vir à virtute fortes denotat,) per mulierem sensualitas signatur, cui ratio præponitur. Est autem sensualitas perpetuæ corruptionis, licet ratione possit regulari. PIG. Est ergo ne peccatum fornicationis vel adulterij in viro maius, quàm in femina? THEOL. Respondet sanctus doctor in 4. distinct. 35. se habent vt excedentia & excessa, quia in muliere plus est de humore, & ideo sunt magis ductibiles à concupiscentijs, sed in viro plus est de calore, qui concupiscentiam excitat. Sed tamen simpliciter loquendo ceteris paribus vir in simplici fornicatione plus peccat, quàm mulier, quia habet plus de rationis bono, quę præualet quibuslibet motibus corporalium passionum. Sed quantum ad lęsionem matrimonij plus peccat mulier, quàm vir, tum quia hoc plus est contra legem naturæ, quia nunquam licuit mulieri habere plures viros, secus est de viris respectu mulierum, tum quia magis nocet proli, quam incertā facit. Et quia læsio matrimonij peccatum est grauius, quàm simplex fornicatio, ideo simpliciter loquendo plus peccat mulier adultera quàm vir adulter, ceteris paribus. Hæc sanctus Thomas, immo dominus Albertus (cui in hac materia pro quanto naturalis est præ multis est credendum) dicit libro nono de animalibus tractatu primo cap. primo. Quando, inquit, puellæ castæ sunt & auertunt animum, stant vsque ad antiquitatem vltimam quod nunquam polluuntur, neque experiũtur coitus delectationē,

Aristot. l. 2. phys. cap. 5. 6.

Questio.

Thom in 4. dist. 35 q. vnica ar. 4.

Albertus magnus.

rum nomine fructus possunt intelligi nouelli, & teneri, vnde super isto Iob tricesimo nono. Strutio derelinquit in terra oua sua, tu fortè in puluere calefacis ea? dicit beatus Gregorius tricesimo primo libro moralium. Quid per oua, nisi tenera adhuc proles exprimitur, quę diu fouenda est, vt ad viuum volatile perducatur? Oua quippe insensibilia insemetipsis sunt, sed tamen calefacta in viuis volatilibus conuertuntur. Ita nimirum paruuli auditores, ac filij certum est quod frigidi insensibilesque remanent, nisi doctoris sui sollicita exhortatione calefiant. Ne igitur derelicti in sua insensibilitate torpescant, asidua doctorum voce fouendi sunt, quousque valeant per intelligentiam viuere, & per contemplationem volare. Oua in terra dereliquisse, est nullum cœlestis vitæ filijs exemplum prębere. Tu forsitan in puluere calefacis ea, ac si dicat, vt ego, qui illa in puluere calefacio, quia scilicet paruulorum animas & in medio peccantium positas amoris mei igne succẽdo. Quia igitur iuxta istam beati Gregorij sententiam per oua bonorum operum fructus exprimuntur, ita per albedinem, paruitatem, & ouorum longitudinem tres conditiones bonis operibus necessariæ intelliguntur, vt sint per innocentiam nitida, per humilitatem parua, & in perseuerantia longa. Talia enim opera Deus, & sui sancti remunerare sæpe solent miraculosè supra legem communem.

Gregor l. 31 mora. cap 5. alias 7.

Ibid. ca. 6 al. 7.

Tres conditiones boni operis.

PIG. Exempla de hoc posco. *THEOL.* Tempore quo in vniuersitate Coloniensi nostræ facultatis primùm studens fui, nobilem iuuenem quendã studentem artes, adultũ, & in verbis (pædagogo suo teste, & me qui cõfessor sus fui) fide dignũ valde huius relatione didici quę sequũtur. Fuit, inquit, nouiter circa Ercklẽtz in partibus inferioribus Alemanię quidam

Deuotus b. Barbaræ nõ potest mori nisi prius susceptis sub. noui confessionis & eucharistiæ sacramẽtis

cesserunt, historiam narrauerunt, & difficulter, vt confessor admitteretur, obtinuerunt. Confessione sacramentali igitur peracta, mori non poterat, quem beata virgo sui sponsi viatico præmuniri volebat. Nam exesis famæ carnibus, moribundus iacebat, sanari aliâs nequibat, & mori nemo dabat. Tunc iterum ad custodes clamabat, Viaticum quæso per sacerdotem mihi porrigi curetis; & proculdubio vos fastidio, & ego mortis doloribus carebo. Admissus est igitur sacerdos cum diuinissimo Eucharistiæ sacramento, quo munitus infirmus, statim requieuit in pace.

PIG. In hoc loco comprobare videris fidem esse adhibendam quibusdam nouis sanctorum legendis, quæ sonant præmia quædam eos consecuturos, qui certum eis obsequium præstauerint annuatim, vel dietim, quæ tamen quidam theologiæ tuæ fautores superstitionem sapere dicunt, & se in istis fundare fatuum esse affirmant, tum quia talia non in antiquis passionalibus & libris, sed solùm in nouis reperiri autumant ab his qui in fauorem, vel causa auaritię talia de proprio posuisse videntur, tum quia si ita est, vt legendæ canunt, viuentes sanctè, licet morituri pro se venerantibus orassent, præsumptione tamen dignum acceptasse viderentur in hoc, cùm nemo sciat an odio vel amore dignus, tum etiam quia si in talibus spebus de adiutorio in extremis per sanctos habendo se quis tanquam indubitanter id consequeretur, fundaret, ex hoc multi peius peccarent, cogitantes si finis bonus erit, totum expeditum erit negotium viuendi. *Obiectiones contra prædicta.* *Eccle. 9.*

THEOL. Vellem quòd mẽte reuolueres id quod suprà libro secundo capit. tertio de fratre miserabiliter mortuo audisti, qui beatę Barbarę obsequia *Respõsio.*

neglexit

neglexit solita: vnde nequaquam eis assentio, quos tu allegas, quos errare puto. Et vt eorum soluam motiua, è contra noueris similia in antiquis & approbatis libris reperiri. Nam Eusebij Cæsariensis ecclesiastica historia (quam de Græco in Latinum beatus Hieronymus transtulit) libro sexto de sancta Potamiœna nobilissima virgine sic habet: Cùm Basilides vnus ex his quibus implere spiculatoris officium mos est, susceptam Potamiœnã condemnatam pro fide ad mortem, duceret ad supplicium, ac multitudo impudicorum pariter & impiorum Potamiœnę verbis & iniurijs conaretur illudere: Aquila enim iudex comminatus fuerat virginis castitati, quod eam vel crudelissimis gladiatoribus, vel impudicis lenonibus daret. Basilides eius carnifex abigere impudentius irruentes, ac deturbare cœpit, humanitatis & miserationis obtentu. At illa religiosum viri votum erga se & propositum humanitatis amplexata; Certus esto, inquit, quod cùm abiero ad dominum meum, sine mora boni huius tibi remunerationem parabo. Migrans autem per picis candidæ superfusionem, die tertia noctu Basilidi apparuit, & capiti suo coronam imposuit, dicens deprecatam se pro ipso dominum, & impetrasse, vt secundum quod scriptum est, qui recipit martyrem, mercedem ⁎ martyris consequatur. Et addidit Eusebius, postquam Basilidem conuersione, & pro fide decapitatione perorauit: Sed & alijs, inquit, pluribus per illud tempus, persecutionis scilicet, apud Alexandriam condiscipulis suis cum quibus verbo Dei in Origenis schola operam dederat Potamiœna simile munus traditur præstitisse, assistens eis per visum, & coronas martyrij impetratas à domino deferens. Legendam denique beati

Euseb. lib. 6. hist. ca. 5. al. 4.

Potamiœnæ promissio Basilidi facta ob humanitatẽ ei impensam.

ex Matt. 10.

orig. martyrij.

que beati Onuphrij anachoritæ sanctissimi scripsit, primùm, sicut in vitas-patrum legimus, tam Pasnutius sanctissimus vir Græco sermone, quàm venerabilis prudentissimusque vir Gregorius in gestis narrauit, & tandem ab alio in vitas patrum in Latinum translata est, vbi sicut in fine habetur. Hęc est, ait Onuphrius, postulatio mea quam impetraui à domino. Si quis oblationem ob amorem nominis mei ante conspectum domini nostri Iesu Christi immolat, ab omni tempestate diaboli, & à vinculo prauitatis humanæ liber existet, atque cum sanctis angelis in regno cælorum æternæ hæreditatis capax fiet. Si quis oblationem non valet offerre, vel prę inopia redimere, ille pro amore meo, * pro amore domini eleemosynam pauperi tribuat, & ego orabo pro eo in conspectu Dei, vt dignus in cœlestibus vita superna perfrui valeat. Si quis nec oblationem, nec eleemosynam potest offerre, pro charitate mea incensũ domino Deo nostro in odorem suauitatis offerat, & ego orabo pro eo, vt gaudiũ perenne possideat. Cui inquã Pasnutius. Pater mi ne * irascaris si loquar. Si incensũ nec quis habet, nec facultatis aliquid, vnde te placare potest, vt tamẽ tua benedictione non careat in quacũque tribulatione te inuocat? Tunc ille respondit. Si quis pauper in deserto, vel in alio aliquo loco oblationem, aut eleemosynã, seu incensum nõ habet ad immolandũ, surgat & manus suas ad Deũ extẽdat, ter dominicã orationẽ, id est, Pater noster, pro me cũ intẽta mẽte & nomine sanctæ trinitatis psallat, ego verò pro ipso ad dominũ * intercedo vt vitę cælestis mereatur particeps fieri cũ omnibus sãctis dei. Hæc ibi. Pręterea publicè canitur in ecclesia cõmuniter satis, & in nostro ordine de beata Catharina in laud. antiphonis cùm decollari iam debuit: Expecto

Vita patr. in prologo vita Onuphrij.

Vita patr. par. 1. ex vita Onuphrij per Pasnutiũ

Magnifica promissio Onuphrio facta qui eũ coluerint.

orig. in nomine domini.

rest. ex orig. pro irasceris

c d. intercedam.

Breuiar. Prædi. antiph. 3 & 4. in laud.

Expecto pro te gladium Iesu Christe rex bone, tu meum colloca in paradiso spiritum, & fac misericordiam meam agentibus memoriam. Vox de cælo insonuit. Veni electa mea, veni intra thalamum sponsi tui, quæ postulas impetrasti, qui te laudant salui fient. Et in hymno ibidem dicitur.

Imminente passione
Virgo hæc interserit:
Assequatur Iesu bone
Quod à te petierit,
Suo quisquis in agone,
Memor mei fuerit.
In hoc, caput amputatur.

Cõsolatio B. Dominic. ad fratres suos.

& similia. Legimus adhuc in legenda de sancto fundatore nostri ordinis Dominico, quòd fratres eum iam moriturum circunstantes, se videndo priuari pio patre amarè fleuerunt. Quos consolans ait. Nolite plorare filij charissimi, nec vos mea corporalis turbet discessio. In loco ad quem vado vtilior vobis ero, quàm hic fuerim, post mortem aduocatum me potiorem habebitis, quàm in hac vita habere possetis. Nec quisquam doctorum qui in eodem ordine excellentissimi fuerunt, præfatas legendas calumniatus est. Dicit insuper sanctus doctor in 4. distinct. 45. quarti. quæst. 3. art. 2. Quãuis superiores sancti in patria sint magis Deo accepti, quàm inferiores, vtile tamen est etiam minores sanctos interdum orare propter quinque causas, & statim pro tertia asignat; quia, inquit, quibusdam sanctis datum est in aliquibus specialibus causis præcipuè patrocinari, sicut sancto Antonio ad ignẽ infernalem. Hæc ille. Vides igitur quàm vetera

Thomas in 4. dist. 45. q. 3. ar. 2. ad 2

scripta,

scripta, quàm famosi viri * sanctis specialia de quibus meruerant, pro nobis à Deo obtinuisse. Et cùm in luce sit Deum per eos super naturam in vita eorum multa prodigia fecisse, cur non pari modo credatur, quod de sua prædestinatione certi, sine humilitatis præiudicio ab eo quem summè dilexerũt, talia fidenter, de quibus ambigis, precibus obtinuisse? Multi enim certum est ex speciali priuilegio se & in charitate esse, & donum perseuerantiæ se habituros finaliter non dubitarunt. Nec tamen in talium sanctorum impetratis priuilegijs præsumere debemus, vt sine fallo eis modica exhibendo tandem omnino saluemur, quantuncunque etiam malè interim egerimus, absit hic à fidelium cordibus intellectus, sed domino Deo & suis sanctis bona spe specialibus seruitijs obsequi debemus, medio tempore operibus bonis, secundum Beati Petri mandatum, certam faciendo vocationem nostram. *Subaudi testatur, vel quid simile & lc. videtur sanctos.* *2. Pet. 1.*

Vita à quo sole proueniat. Quomodo blasphemias quidam didicerunt. Quod tria sunt vitia difficillimè dimissibilia, videlicet, amor, auaritia, & odium, de quo exemplificatur.

CAPIT. III.

O*Va formicarum sunt odorifera, & quibusdam animalibus infirmis medicina.* Audisti parumper anteà ex Gregoriano intellectu, per oua opera bona, & per odorem, famę redolentiam iuxta Apostolum debere intelligi, & quòd diuina protectione muniti, non humana Dei nouelli filij, etiam in medio seculi de puerili vita ad robur virile cũ virtutum *cap præcedenti.* *2. Cor. 2.*

tutum copia crescunt. *PIG.* Esse perfectum in medio nationis prauæ, & peruersæ puto plus esse miraculum, quàm sit humanum. *THEOL.* Be-sentis, sed quidam etiam meo tempore tales reperti sunt. Fuit enim meo tempore quidam miles in armis vtriusque hominis valde tritus Boarus nomine, de quo suprà libro primo capitulo duodecimo tibi mentionem partim feci. Hic in iuuentute nutritus fuit in cuiusdã Comitis curia, vbi blasphemare adeo fuit consuetum, vt in omni dicto penè verbum blasphemiam notans emitteretur à ceteris nobilibus: quæ corruptela, puto gentem Teuthonicam intrauit, ex malo intellectu vnius articuli hæresis VValdensium, qui est, quòd in nullo casu iurare licet. In lingua autem Theutonica, quæ in proprijs vocabulis multum deficit, idem & vnum vocabulum habet iurare, & blasphemare. Et vt nullus notaretur esse VValdensis, ex leuitatéque mimorum & prauitate euenit, vt blasphemia in verbis, per Christi membra vera vel conficta, honesta vel verecunda nimis assueta sit in ore multorum. Habitum huius vitij pessimi postquam miles se didicit habere, sæpius conscientia ductus firmiter animo statuit talia dediscere, & abnegare. Et cum diu secum pugnasset, tamen præcipitio lubricæ linguæ, & vitio inolito victus frequenter subiacebat: Petiuit igitur à sacerdote suo confessore, vt sibi pœnitentiam aliquam contra tale vitium iniungeret, vt eandem faciens per Dei adiutorium vitium eradicare valeret. Cui confessor satis facilem, nescio quam satisfactionem iniunxit, quæ vitium prædictum in modico quidẽ amputauit, sed ad radicem nequaquam deuenit. Quod videns Christi tiro sibi ipsi pœnitentiã iniunxit talem, vt quotiescunque blasphemia aliqua os suum exiret, tot diebus dein-

Miles iniuncta sibi graui pœnitẽtia dedidicit blasphemare.

Vnde Germanis cõsuetudo iurandi.

ceps

ceps à carnibus abstinere vellet. Et ne ex inaduertẽtia aliqua inulta maneret blasphemia, famulis suis iniunxit districtè, vt vices & quotas notarent blasphemiarum, & easdem domino non celarent. Quas notans dominus, licet in curia protunc moram traheret cuiusdam principis qui est electorum vnus sacri imperij; tamen ferè dimidio anno aliquando ex imposita sibi pœnitentia carnes non gustauit, qua vexatus, ex abstinentia ita per diuinam gratiam vitium blasphemiæ eruit radicitus, vt tempore quo postmodum viri notitiam habui, nec minimum verbum ab ore eius audiuerim quod præteritum facimus notare valeret. Audiui à viro quodam constanti alio (si bene memoriæ occurrit) de ciuitate Augustensi, qui simili habituatus vitio, sibi pœnam talem indixit, vt quotiens blasphemia os suum exiret, statim, vel eadem die proprijs manibus guttam sanguinis graphio, siue stylo ferreo mediante extrahere vellet. Fecit igitur & sanatus est tandem. Hoc anno de quodam prudenti viro fide-digno consulatus oppidi in Memmingen Augustensis diœcesis audiui, quod idem se videns ad blasphemias assuetum, vouit quotienscumque blasphemiam diceret, vel Dei nomen irreuerenter nominaret, eadem die permanere se, sine dispensatione, à vini vsu promisit, quo seruato, à crimine liberatus est, & à consuetudine mala. Rem memoria dignam perpetua fecit meo tempore rex Romanorum Rupertus, qui antea comes fuerat Palatinus. Hic vir bonæ fuit conscientiæ, religiosis suam regulam seruantibus gratiosissimus, zelator iustitiæ, & persecutor eorum qui honori derogabant diuino. Electus autem in Romanorum regem ciuitates imperiales visitare cœpit

Alius, quoties blasphemaret stylo ferreo guttã sanguinis è corpore suo extrahens curatur à blasphemandi vitio.

Ali⁹ vini vsu priuãs se eo die quo blasphemaret à consuetudine hac praua liberatus est.

Rupertus siue Robertus Imp. electus an. 1400 pro omnibus exulibus rogat Magistratũ Spirensem dẽpto vno blasphemo pro quo noluit intercedere.

in negotijs reipublicæ. Cum igitur ciuitatem intraret Spirensem cum comitatu non modico, multitudoque proscriptorum & exulatorum à dicta ciuitate se caballo regis approximarent, cui insedit, phaleras & apparatus tetigerunt, & sic ciuitatem cum principe intrauerunt. Est enim consuetudo Germaniæ, vt proscripti à ciuitatibus sub spe obtinendæ gratiæ per preces intraturi principis se eidem iungant intranti ciuitatem aliquam, & postmodū actoribus collectis principalibus, princeps causis proscriptionum auditis, solet pro reis intercedere, si placet, vel silere, si libet. Consulatu igitur ciuitatum accersito, rex, omnium qui sub sua tutela ciuitatem intrauerant, causas demeritorum audire volebat primum. Varia igitur referebantur, & diuersorum crimina grauia satis, quæ tamen (vt vulgari modo loquamur) non erant infamia iuxta secularem iustitiam, vt de furto, vel de latrocinio ad mortem, quod ibi rota vindicatur, de hæresi, de abominatione vitij contra naturam, nec de similibus, sed de alijs criminibus homicidij, vulnerationis, discordiæ, & similibus. Tandem autem potiores ciuitatis & adiacentium partium amici intercesserunt pro quodam de Spira nato, qui vnà cum alijs ciuitatem intrauerat, vir non infimi generis, vt securus deinceps manere posset. Volente autem religioso principe omnino causā exulationis istius scire, dictum est, & verè, quodam in ludo quòd blasphemasset Deum non semel, sed sæpe. Tunc zelo diuini honoris motus rex subintulit, rogamina fundenda pro omnibus alijs isto dempto. Alij, inquit, charissimi ciues in homines peccauerunt, supplex peto, hominibus talibus parcere velitis, pro isto verò qui Deum blasphemauit, & in creatorem suum virus suæ iræ retorsit, nihil intercedo: & ita mi-

ita miser iste exul iteratò factus est à loco natiuo.
PIG. Video quod opera talium virorum fortium meritò comparantur ouis odoriferis, quæ intuentes alij ægroti moribus, fomenta, & medicamina salutis valent adipisci. Videtur insuper in his magna multorum virorum secularium negligentia, qui in similibus assuefacti vitijs, conatum eadem eradicandi vitia adhibere nolunt, vel negligunt.
THEOL. Animositas & cōstantia horum de quibus audisti, & conatus eorum ad expurgandum vitia plurimùm commendandus est, sed si gratia Dei non principaliter cooperata fuisset talibus, iugo malitiæ presi, tales omnès succubuissent. Sine me (ait, & bene veritas) nihil potestis facere. Sunt tamen quædam alia vitia, tria potissimè, in quibus nisi magna Dei adsit gratia, eradicari vix possunt ab hominum cordibus. Philo captio viri in mulieribus, & mulierum vice versa in viris. Detentio illicitè acquisitarum rerum temporalium. Et inueterata ira, quæ vocatur odium, vel inuidia. De postremo mihi occurrit nunc exemplum. Noui aliquando militem multùm in armis strennuum de episcopatu Constantiensi. Hic misericors in pauperes, pius in ecclesias, & sacramentis ecclesiasticis satis affectus extitit. Accidit autem vt quidam alius sibi iniuriam faceret, potentia fortè æquali vallatus. Iratus est igitur læsus & ira creuit in odium, factaque est trabs de festuca. Quod miles intuens sauciatam videlicet esse propriam animam liuore vindictæ, confessorem prudentem adijt, videlicet fratrem Conradum de Prussia nostri ordinis primum reformatorem in Theutonia, virum omni laude dignum. Qui postquam intellexit animam confitentis esse vulneratam ad mortem, ait: Domine nisi dimiseritis proximo delicta, rancorem scilicet, salua

Ioan. 15.
Tria vitia difficulter curabilia nisi adsit magna Dei gratia amor carnalis, detentio alieni, & odium.
Miles nolens offensam dimittere, iniunctas sibi quinque orationes dominicas quotidie recitaus, post paucos mēses cōpunctus & absolut⁹ est.

ſalua veſtra iuſtitia, quam coram legitimo iudice proſequi iuſtè poteritis, nec vobis dimittere poſſum veſtra peccata. Suaſit itaque pater animo quæ potuit, ſed nihil, vel modicum profecit, niſi quod reus ſe patienter ſuſtinuit. Nam confeſſor eum non abſoluit, ſed ſtigmatibus Chriſti quinque & inſigniis paſsionis eius pro gratia impetranda, quæ cor durum emollirent, quinque orationes dominicas quotidie dicere iniunxit. Receſsit igitur miles ſatis triſtis & impœnitens, licet iniuncta deuotè perficeret. Et vix ſex menſes elapſi ſunt (vt mihi ſponte faſſus eſt) quando rediјt compunctus, & contritus beneficium pœnitentiæ integre habere meruit à patre præfato.

Filij ſpirituales quantum diligendi eſſent: & quomodo virgines quædam pro tuenda virginitate mortem pro vita præſenti oratione apud Chriſtum obtinuerunt.

CAPIT. IIII.

INcrementum oua formicarum ſuſcipiunt in loco calido, & verſus ſolem, vbi poſita à parentibus, primò in vermes albos, & deinde in formicam perficiuntur.

Videtur enim diuina inſpiratione minutis his datum animalibus, vt ſentiant propriam virtutem non ſufficere ad perficiendum prolem, niſi cæleſtium radiorum ſolarium fuerint fota calore. Certum etenim eſt, omnem corporalem animantium vitam à ſole prouenire primùm. Homo enim generat hominem, & ſol, ſubaudi, diſponendo materiam, cui ſolus Deus animam infundendo creat, & creando infundit. De reliquorum verò animalium vita, nõ dubium quin à ſolis calore inducatur, & à ſu-

Ariſt. l. 2. phyſ. c. 2.

& à superioribus simul & inferioribus causis originetur, sicuti beatus Dionysius ostendit libro de diuinis nominibus cap. iiij. Hinc de struthionis ouis idem sentire videtur, sicut Iob xxxix. dicitur: Tu forsitan in puluere calefacis ea, scilicet oua struthionis. Vbi beatus Gregorius 31. moralium dicit. Quid enim puluis nisi peccator accipitur? vnde & ille hostis * peccatoris huius perditione satiatur, de quo per prophetam dicitur: Serpenti puluis panis eius. Quid per puluerem nisi ipsa iniquorũ instabilitas demonstratur? de qua Dauid ait: Non sic impij non sic, sed tanquam puluis quẽ proijcit ventus à facie terrę. Oua ergo dominus in puluere derelicta calefacit, quia paruulorum animas prędicatorum suorũ sollicitudine destitutas, etiam in medio peccantium positas, amoris sui igne succendit. Hinc est enim quod plerosque cernimus & in medio populorum viuere, & tamen vitam torpentis populi non tenere. Hinc quosdam conspicimus & malorum turmas non fugere, & tamen superno amore flagrare. Hinc est, quod plurimos cernimus (vt ita dixerim) in frigore calere. Vnde enim nonnulli inter terrenorum hominũ torpores positi supernæ spei desideriis inardescunt? Vnde inter frigida corda succensi sunt? nisi quia omnipotens Deus derelicta oua scit etiam in puluere calefacere, & frigoris pristini insensibilitate discussa per sensum spiritus vitalis animare, vt nequaquam iacentia in infimis torpeant, sed in viuis volatilibus versa, sese ad cælestia contemplando, id est, volando, suspendant?

Dionys. Areop. l. de diuin. nomin. c. 4 par. 1. Greg. l. 31 moral. c. 6. al. 7. rest. ex orig. pro peccatorũ. Isa. 65. Psal. 1.

PIG. Audire desidero quomodo in exemplis nostro factis tempore talia facta velis comprobare.

THEOL. In promptu responsum habeo. Anno proximè præterito mihi Decanus de Isni Constantiensis diœcesis presbyter verbo & exemplo

Sãcta virgo Bramidanula sollicitata ab amicis vt nuberet, Christo suã pudicitiam commendans, ab eo obtinuit vt ex hac vita migraret.

fidedignus narrauit; quod in oppido Marckdorff vnde oriundus fuit, in præfata diœcesi consanguineam habuit iuuenculam Bramidanulam nomine, virginem pulcherrimam, & nuptui idoneam, quæ tamen diuina inspiratione contra morem consodalium & omnium suorum amicorum castitatis propositum firmauerat animo, ignorantibus multis. Venerunt igitur ad eam consanguinei, qui virginis, & suam parentelam dilatare statuerant, & eam molestabant, vt nuptui alicuius viri per thorum legitimè contrahẽdum assentiret. Quod illa renuit, dicens se Christo loco viri desponsatam, nec velle nubere alij. Cumque dietim instarent noti eius, præcipuè patruus vt nuberet, vocauit ipsa præfatum Decanum velut Dei sacerdotẽ, & ad eum ait: Quæso venerabilis Domine & amice patruo meo in hac mea extrema necessitate persuadere velitis, vt me Christo seruire in virginitate permittat, quia ita illud animo firmiter seruare deliberaui, ipse enim est principalior, patruus videlicet in quo hæc petitionis meæ residet difficultas. Cum autem hoc attentaret Decanus à patruo virginis, iste velut homo seculi respondit. Nequaquam hoc expedit; femina est, melius est vt nubat, quàm in verecũdiam nostri die proximo fornicaria pariat. Hoc respõsum cum virgo percepisset, nec amplius in homine huius vitæ se tueri speraret, ad sponsum suum Christum orationibus statim intensissimis confugit, & eidem domino suam pudicitiam, vt illæsa seruaretur commendauit, non dubitans eum multos modos habere in sua potentia, quibus eam custodiret, siue per vitam, siue per mortem, ad quę indifferens erat. Et ecce nutu Dei, licet prius fortis esset robore, statim infirmari virgo cœpit, & lecto decumbere, diuinaq; inspiratione se sẽsit in breui ab hac luce recipiẽdam.

Cumque

Cumque dictus Decanus gratia visitādi infirmam accederet, mirans de inopinata infirmitate, illa lęto ac hilari vultu ei dixit. Domine vos & cognatos interpellaui, vt me in virginitatis proposito Christo seruire sineretis, id mihi denegastis; sed idem cui fidem seruaui me exaudiuit, clemētior existens quā vos, qui homines estis, noueritis enim quod die proxima lætè moriar à Christo exaudita. Quo viso & audito proruperunt consanguinei in lacrymas, & sequenti die virgo Christi sanctè in eo obdormiuit qui est sponsus virginum. Sunt vix duo anni elapsi, quod ad leucam vnam extra oppidum Columbariense, Basiliēsis diœcesis, in loco qui VVyle dicitur, in castro nobilis quidam cum legitima vxore sua ingenua residebat, secundum seculum quidem honestè conuersantes, sed in filia vnica quam habuerunt, potius humanam gloriam, quàm diuinum quęsisse videntur honorem. Abundabant enim diuitiis & amicorum copia, sed vnam prolem tantummodo habuerunt virginem, Annam nomine, iam nubilem, quia ætas, venustas corporis, & generis nobilitas ibi cōcordabant. Fuit autem puella à iuuentute deuota Deo, & gratiosa apud homines, pauperibus misericordissima, quindecim annorum circiter in ætate, quæ nunquam virum concupierat, sed virginitatis propositū semper dilexerat. Solebat enim confiteri purè, & quādo fratres nostri de Columbaria castrum intrauerunt, summæ deliciæ erant puellæ audire de diuinis exemplis loqui, & de verbis euangelicis. Verùm quia parentes totam sui generis parentelam in hac virgine vnica, si nuberet, sperabant succrescere, & protelari in longius in prole, victi successionis desiderio, quam sperabant nuptui traditam imprægnari, virginem pręfatam cuidam nobili in coniugem promiserunt, &

Alia virgo Anna de VVyler idē à Deo obtinuit, & salua virginitate migrat ad sponsum suum cælestem, eo die quo nuptijs erat copulanda.

contractum quantum poterant firmarunt, hoc dempto, quod virginis nemo audebat quęrere propositum, quod plus violentia quadam, quàm matura persuasione putabant emolliri posse. Præparabantur igitur in vestimentis, & in apparatu omnia futuris necessaria nuptijs, & ordinauerāt quod virgo die qua præsentari debuit marito, in domum cuiusdam nobilis viduæ poneretur, quæ consensum procuraret imminentibus nuptijs. Sed is qui in cælis est irrisit hæc fraudis commenta, cùm puellam, quam elegerat sibi, mundam habere voluit. Nam præcedentibus octo diebus ante diem nuptiarum condictarum virgo ignara fraudis febre corripitur, & lecto cœpit decumbere, dietimque intendente se morbo, vocatus est confessor nostræ portæ in Columbaria frater Petrus, vt confessionē virginis audiret, sumptisq; ecclesiasticis sacramentis alijs per suum pastorem, vitæ interitus virgini propinquare videbatur. Volens autem mater puellæ amorem virginitatis in filia verius comprobare, ait: Quęso te filia charissima in veritate dicas iam proxima diuino examini, elegisne potius mori, quàm viuere, & maritum aliquem habere legitimum? Cui virgo respondit cum gaudio. Potius moriar. Quo facto deuotissimè virgo vita functa est, & in crastino, ea scilicet die, qua homini desponsata terreno præsentari ad carnis copulā debuit, Christus eam in sponsam sibi dilectam elegit, & cunctis flentibus vicinis & cognatis sepulta fuit. Cumque indumentis propriis exuta, funeralibus indui debuit, inuenta est tenera virgo in genibus callos, velut camelus, contraxisse duros ex genuflexionibus habitis in orationibus crebris. Verū quia nihil est omniquaque, vel vix in hac vita perfectum, paulò post vitæ exitum dictæ virginis, apparuit ipsa virgo in nocte cuidam valde

Apparet dicta virgo sanctimoniali missam vnā flagitans, & tunicam suam meliorē dari pauperibus.

valde deuotę sanctimoniali, quę Gertrudis vocabatur in monasterio de Subtilia sito intra Columbariēse oppidum, vidit ista post se currentē quandam virginem mortuam, quam prius nūquam nouerat, à qua cùm quæreret, quæ esset. Respōdit defuncta. Ego sum pridie defuncta Anna virgo de VVyler (ita castrum patris vocabatur) & vnius eucharistiæ oblatione egeo, quam peto mihi celebrari obtineas à Priore fratrum prædicatorum. Tunicam autem meliorem, quam habui, matri dicas quæ me genuit, vt ob reuerentiam virginis benedictæ pauperibus eroget, & ita visio disparuit, & sanctimonialis euigilauit. Cumq; nunquam de virgine prius audisset mentionem fieri, nec eiusdem notitiam aut parentum haberet, erubuit visionem alicui dicere, quæ dum altera nocte iteratô vidit vt antea, & tūc compuncta, confessori suo fratri Ioanni VVolffhardi quæ percepit dixit; & ita animæ subuentum est, proüt virgo in visione petiuit.

De zelo educandi fructum animarum, & virtutes, propria exempla castarum virginum ponuntur.

CAPIT. V.

TVrbata domo formica oua studiosè solent tollere, & ad nidum reportare. In hoc loco fidelitas magna, quā ad fructum habet propriū formicæ ostēditur, dum persecutionē passa in exterioribus, ne oua sua lędantur, locis ea cōmendat tutioribus. In quo plurimum se elongat à struthionis negligentia, quę oua sua obliuiscitur, nec quid de eis fiat curare videtur. Vnde de ea Iob trigesimo nono dicitur. Struthio derelinquit in terra oua sua, obliuiscitur quod pes conculcet ea, aut bestia agri conterat.

Vbi Gregorius libro trigesimo primo moralium. Quid in pede, nisi transitus operationis accipitur? Quid in agro, nisi mundus iste signatur? de quo in euangelio Dominus dicit. Ager autem est mundus. Quid in bestia, nisi antiquus hostis exprimitur, qui huius mundi rapinis insidians, humana quotidie morte satiatur? Struthio itaque oua sua deserens, obliuiscitur quod pes conculcet ea, quia videlicet hypocritæ eos quos in conuersione filios generant, derelinquunt, & omnino non curant, ne aut exhortationis sollicitudine, aut disciplinę custodia destitutos prauorum operum exempla peruertant. Si enim oua quæ gignunt diligerent, nimirum metuerent, ne quis ea * peruersa opera demõstrando calcaret. Vnde adhuc sub struthionis specie subditur. Duratur ad filios quasi non sint sui. Quē enim charitatis gratia nõ infundit, proximum suum, etiamsi ipse hunc Deo genuit, extraneum respicit. Ita profectò sunt omnes hypocritæ, quorum videlicet mẽtes dum semper exteriora appetunt, intus insensibiles fiunt, & in cunctis quæ agunt dum sua semper expetunt, erga affectum proximi, nulla charitatis compassione mollescunt. Hinc beatus Iob, vt apud mentis suæ quietem faciliùs consisteret, Iob xxix. ait: Dicebamq;, in nidulo meo moriar, & sicut palma multiplicabo dies. Vbi beatus Gregorius libro decimo nono moralium dicit: Quid hoc loco per nidi nomen exprimitur, nisi tranquilla sedes fidei, qua vnusquisque infirmus nutritur? Multitudo quippe illa bonorum, quæ persecutionum temporibus fuerit deprehensa, nutrimentorum suorum dies quasi in nido, sicut in loco quietis, explere se credidit. Nam nisi sancta ecclesia infirmos quosq; filios nunc in nido pacis enutriret, Psalmista non diceret. Etenim passer inuenit sibi domum, & tur-

tur

Gregor l. 31. mora. cap 7. alias 8.

Matt. 13

omisi voculam per ex orig.

Greg. l. 19 moral. c. 16. al. 24

Psal. 83.

tur nidum vbi reponat pullos ſuos. Iam quippe domum inuenit paſſer, quia æternum cæli habitaculum noſter redemptor intrauit: & turtur nidum inuenit, quia ſancta eccleſia amore conditoris affecta, crebris gemitibus vtitur, & velut nidum ſibi pacatiſsimam fidei quietem conſtruit, in qua creſcentes filios, quaſi * plumantes pullos, quouſque ad ſuperiora euolent, charitatis gremio calefactos fouet. *orig. plumeſcentes.* Igitur quia tunc erunt qui pacis tempore ſe ad ſuperna migrare, id eſt, à nido euolare crediderunt, vox eorum beati Iob voce præuenitur, cùm ait: Dicebamque; In nidulo meo moriar. Inde Salomon Prouerb. xxvij dixit: Sicut auis tranſmigrans de nido ſuo, ſic vir qui relinquit locũ ſuum. Vbi gloſſa. *Gloſſ. ord.* Sicut auis oua, vel pullos quos fouerat raptui exponit, ſic virtutes in quibus proficiebat, qui deſerit, immundis ſpiritibus prodit. Vnde dicit alibi: Si *Eccle. 10.* ſpiritus habentis poteſtatem aſcenderit ſuper te, locum tuum ne dimiſeris, quod eſt: Si tentatio diaboli inſteterit tibi, ne à bono quod faciebas, deſiſtas.

PIG. Si ita res ſe habet, vt per Gregorianas indicaſti ſententias, quòd hypocrita oua pedibus ferarum committit, qui bona ſua opera, vel ſpirituales filios quos genuit mundanorum hominum vitijs ſubijcit, ô quot hypocritas habemus noſtro tempore, qui non imitantes noſtrarum formicarum ſollicitudinem, bonorum operum oua ad nidum diuinæ tuitionis, ſed more ſtruthionum crudelium ſua oua derelinquunt debitorum operum.

THEOL. Benè & piègemis, quia prælatos multarum diœceſum, & paſtores monaſteriorum multorum, ita, heu, videmus facere, vt hi qui in medio ſeculi habitant, nullius religionis voto aſtricti maiorem ſæpe ad animarum ſalutem zelum habere videantur, quàm hi, qui Euchariſtię ſacramento diuiniſsimo

nissimo per altaris officium dietim appropinquant. Fuerunt enim duæ virgines vterinæ sorores, virgines speciosæ meo tẽpore simul, vna in domo prope metas Cõstãtiensis diœcesis versus Athesim, quarũ iunior Anna, senior verò Margareta vocabatur, de rusticano quidem genere genitæ si caro inspicitur, sed nobiles virtute, si morum bonitas pensatur. Iunior tantæ simplicitatis fuit in his quæ ad mundum pertinent, vt vix recolam sibi parem vidisse. Nam in numerandi arte qua infantes (vt ita dicam) propè triti sunt, vltra denarium nesciebat bene numerare, & tamen in his quæ ad deum attinẽt, multarum homiliarum sententias, & quicquid de necessitate ad veri Christiani rudimenta pertinet, vt de oratione dominica, de symbolo apostolorum, & de decalogo, & similibus nihil eam latebat, quia velut mundum animal, pectus virgineum talia die, & nocte ruminabat. Senior verò naturali ingenio, & quantum datum est intueri extrinsecus, in gratuitis iuniorem sororem moribus longè anteibat. Hæc primum existens nubilis, persecutiones plurimas sustinebat à quodam Christiano nobili solo nomine, sed reipsa tyranno, qui ipsam intuens esse pulchram facie, & prolificationi accommodam, velut seruam, quæ tamen libera re & ipsius cognomine erat, matrimonio copulare gestiebat, vt exinde seruos plures sibi coaceruaret. Renitebatur virgo deuota quantum valuit, quia virginitatem Deo in tenella ætate diuinitus inspirata dedicauerat. Insidiabatur è diuerso tyrannus domum virginis crebris iuuenculorum immissionibns perturbando, adeò, vt quadam vice, nisi diuinitus adiuta fuisset per fugam loci, ab apparitoribus præfati nobilis capi & vinculari debuit, quò dum in mariti cuiusdam copulam consentiret.

Duæ virgines simplices & castæ zelatrices animarum.

Hæc

Hæc tamen ità constanter dum in castitatis perseuerat proposito, tandem innuptiè residere permissa est sui tugurij, quod situabatur in villagio quodam tam desertis locis, & siluis propinquo, vt solum illud dicatur à vulgo, finis panis, scilicet, quia ibi nec hordeum pro iumentorum pabulo valet conualescere, ex algore niuialium montium æternorum propè iacentium. Accidit autem æstate quadam, vt festiua die vna valde inopinatè tempestas tam valida propè villagium insurgeret in aëre, vt vix similem se vidisse testetur virgo, aduexitque per torrentem, qui per villagium aliâs modestè solebat currere, tam ingentes lapides, vt in puncto nedum per inundantiam aquarum rapidarum iam tuguria pauperum euerti de proximo, sed etiam per lapides homines necari subitaneè & submergi deberent humana coniectura. In qua calamitate virgo res & corpora paruipēdens, solū compatiebatur perituris animabus rusticanorum hominum; quos paulò rationabilius aliquando quàm bestias viderat viuere. Nam principaliter verebatur ex subitanea morte sine contritione morientes pœnas perpetuas ipso diuino iudicio esse luituros. Visis igitur his periculis dum sub suæ domus virgo stetit ianua, cucurrit motu velocissimo ad cellulam, vbi creatori meditabunda, orationum suffragia solebat, ante crucifixum quoddam sculptū, porrigere; quod valde diligebat. Illud enim summa cum festinātia arripuit, redeundoque contra aurā horridissimam crucifixum prefatū erexit, & magnis cum gemitibus ita orauit. Obsecro te clementissime Domine qui nos pretioso sanguine redemisti per crucem, tempestatem hanc in aere & in terra, ita * temperare velis, vt imminuta nullius hominis

Virgo sancta tempestatem lapidosam multos necaturā auertit oratione & imaginis Christi crucifixi oppositione.

a. b. temperari.

hominis ad mortem nocumentum existat, de rebus alijs fortunæ, tua voluntas fiat. Et ecce in eodem puncto aura diuisa est in aëre, & serenari cœpit, torrens verò illicò imminutus est. Et ita tanquam oua quædam tenera omnium hominum animas in loco pręfato existentium hæc virgo, velut formica fidelissima, ad nidum quietis, orationis suę studio, reportauit. *PIG.* Scire cupio annè talium sanctarum virginum vitæ bono initio finalia postmodum cōcordassent. *THEOL.* Ambæ postmodum in oppidum imperiale quod Campidona dicitur, vt facilius ibi pabulo diuini verbi in prędicationibus saginarentur, cum suis vtensilibus intrauerunt, & ibi primùm senior iam omnium ferè tentationum genere probata, nutrix, mater spiritualis, & genitrix facta est multarum virginum, sicq; febre prius correpta, tandem sanctè sumptis omnibus ecclesiasticis sacramentis fęliciter migrauit ad dominum. Deinde iunior, sed iam facta grandæua pari modo finem vitæ conclusit. Cùm autem ipsis viuentibus in eisdem partibus primò prædicarem, senior ad me gratia consilij ne deciperetur, venit: mihi historiam de crucifixi adoratione, de qua pręmisi, texuit, & ánne aliquid superstitionis in opere cōmisisset, simplici, vt puto, animo quæsiuit. Cùm enim eædem partes sint montuosæ, & communiter in montanis & Alpium habitationibus superstitiones sint multiplicatæ, audiens virgo prædicare contra superstitionum genera, timebat, sicut pia mens solebat facere, ne culpa ibi esset, vbi meritū grande extitit, & ideo ne deciperetur in simili, à me, an licita essent talia humiliter quæsiuit. Viuit in eadem patria hodie virgo alia Elisabeth nomine, iam puto, quinquagenaria, quę in laboribus manuum suarum iunior existens victum acquisiuit tenuissimum, & in villagio vbi

Alia virgo cogitās locū adire vbi pestis non grassabatur.

vbi domicilium habet iam plurimis annis ægrota, necessariò de aliena stipe in sancta vita nutritur, sed rebus, vltrà quàm credi potest, paupercula est. Hæc cum iunior esset & valde simplex, & recta, sicuti & est hodie, videns quòd pestilentia epidimię multos in vicinio necaret, cogitauit in villagiũ certum mutare locum habitationis, vbi aëris infectio protunc non sentiebatur, timuit tamen illô, id est, illuc ire, dubitans an castitatis ibi custodes fortè haberet, cui multi insidiabantur. Vidit autem quadam die in oratione constituta, & fulmen quoddam magnum eidem loco immittebatur, & subitò innocenti incidit virgini, quòd epidimiæ morbus ibidem vastare deberet multos & adurere. Ita enim postmodum factum est, vt rei probauit euentus, & vt piè credo, ex multis alijs huius virginis sanctis operibus & instinctibus à spiritu bono mota fuit, vt sic in nidulo suo opera bona fouendo, creatori suo quietè seruiret.

Signum videt quo intelligit etiam ibi q; assuturam.

Herbæ & earum fructus, & succus quid significent? De discenda sapientia a mirabilibus Dei in lignis & lapidibus per imagines naturaliter productas.

CAPIT. VI.

C*Ibi formicarum sunt fructus & herbarũ succi, quarum etiam partes separant. & cum eis ad nidum reuertuntur.* Per fructus in sacro eloquio aliquando opera, nonnunquam verò delectatio, quæ veram sapientiam sequitur, designatur. Vnde saluator ait: A fructibus eorum cognoscetis eos. Et Ecclesiastici vicesimoquarto dicit sapientia æterna. Ego quasi *Matt. 7.*

vitis

vitis fructificaui suauitatem odoris, & flores mei fructus honoris & honestatis. De huius fructus sapore anima gloriatur Canticorum secundo, vbi dicit: Sicut malus inter ligna siluarum, sic dilectus meus inter filios. Sub vmbra illius, quem desiderabam sedi, & fructus eius dulcis gutturi meo. Et Prouerbiorum tertio. Beatus homo qui inuênit sapientiam, & cui affluit prudentia. Melior est acquisitio eius negotiatione auri & argenti, primi & purissimi fructus eius. Fructus enim iusti lignum vitæ, & qui suscipit animas Sapiens est, Prouerb. xj. Per herbas etiam scientia designatur, vnde sicut dicitur Iob xxxviij. Producet herbas virentes, scilicet Deus: Dicit beatus Gregorius lib. 29. moralium. Herbam aliquando, id est, scientiam atque doctrinam æternæ viriditatis accipimus, sicut per Hieremiam dicitur. Onagri steterunt in rupibus, traxerunt ventos quasi dracones, defecerunt oculi eorum, quia nō erat herba. Hoc igitur loco quid aliud per virentes herbas, nisi sanctę doctrinæ scientiam, vel congruas operationes accipimus? Deserta igitur terra compluitur, vt ab ea virentes herbæ producantur, quia dum sanctæ prædicationis imbrem gentilitas percepit, & vitæ opera, & doctrinæ verba germinauit. Formicæ igitur tunc de fructibus vel succo herbarum edunt, quando prudentes quique fideles de rebus à Deo mirabiliter creatis, scientiam aliquam deuotè creatori seruiendi accipiunt. Effudit enim sapientia illa, per quam cuncta creata sunt, suam sapientiam super omnia opera sua, & super omnē carnem. vt dicitur Ecclesiastici primo.

Greg. l. 29. mora. c. 14. al. 18.

Iere. 14.

PIG. Doce ergo quomodo in rebus mirabilibus vel creaturis quibuslibet sapientiam alicuius deuotionis aut bonæ operationis acquiramus.

THEOL. Credere debes, omnia à summo rerum cardine

cardine Deo creata prudentibus esse, qui debitè ea intuentur quasi quædam vestigia deum & diuina venandi: lucernas namque ad fęlicitatem acquirendam accensas, specula diuinæ sapientiæ, vasa scibilibus diuinis referta, digitos nobis summum bonum præmonstrantes, libros Dei sapientiam continentes, & velut famulos, vel nuncios supremi domini. Vnde cõtra eos qui talia in creaturis Dei non considerant dicitur Sapientiæ decimo tertio. Vani sunt omnes homines in quibus non subest scientia Dei, & de his quæ videntur non potuerunt eum agnoscere qui est, neque operibus attẽdentes, agnouerunt quis esset artifex. Testis est horum qui dicit ad Rom. 1. Inuisibilia Dei à creatura mundi per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque eius virtus, & diuinitas; ita vt sint inexcusabiles, videlicet, philosophi. Sed insipientibus ista omnia per eorum abusum vertuntur in toxicum, & venenum: iuxta illud Sapientiæ xiiij. Creaturæ Dei in odium factæ sunt, & in tentationẽ animæ omnium hominum, & in muscipulam pedibus insipientium. *PIG.* Da exempla aliqua specialia. *THEOL.* Sunt vix duodecim anni elápsi, quòd non multum à ciuitatę Nurenbergensi in diœcesi Bambergensi, pomus creuit in loco campestri & communi, quæ multis annis, vt sequitur, in vigore permansit. Hæc autem arbor super omnia quę nostris audiuimus temporibus mirabilis conditionis extitit. Nam in æstatis principio, in vere videlicet, floruit, fronduit, & versus autumnũ more aliarum arborum poma fructificauit. Porrò annuatim in austerrima, & inclementissima hyeme semper, & solùm in nocte natiuitatis Christi, quando virgo virginum saluo integritatis flore Dei genuit filium, pomella virentia in quantitate artus vnius virilis

Arbor pomus singulis annis in nocte natiuitatis domini poma virẽtia protulit apud Nurenbergam.

digiti produxit. Est autem protunc patria ad duos menses antea, & post ad totidem, & esse solet niuibus profundis tecta, congelationibus clausa, & ventis rigidissimis perflata, & incommoda eadem omnia fruteta vna cum arboribus patiuntur eodem tempore. Stuporem autem augebat prodigij, quod nec antea, nec postea, sed duntaxat præfata nocte sacratissima pomella germinata sunt. Non enim sicut arbores hortenses ceteræ fimo nutriebatur, non circumfodiebatur sarculo, nec sepi circundabatur aliqua. Solebant propterea tempore annuo de ciuitate Nurenbergensi, & adiacentibus locis diœcesis Bambergensis plures * præfectorum fide dignissimi testes accurrere, & tota vigilare nocte, vt rei veritatem comprobarent. Est enim per omnia similis arbor in alio loco dictæ diœcesis. Vidi ego præsentari ad videndum in oppido Forchem dictæ diœcesis eiusdem pomi pomellum magistro ordinis nostri generali Bartholomæo Texerij. Fuerunt præterea tempore Constantiensis concilij in eodem plures viri fide digni, præsertim dominus Episcopus Rigensis doctor diuini & humani iuris reputatissimus, qui testes huiusmodi prodigij existentes, multos hæc credere fecerunt qui antea fidem de eo negabant penitus. Idem me præsente propositum est pari modo in loco Basiliensis concilij coram multis doctoribus sacræ paginæ, & iuris canonici, ac artistis, & philosophis. Nec ab aliquo audiui qui merè naturali hoc posset operi rationabiliter attribuere. Legi propterea in libro de vegetabilibus & plantis dominum Albertum naturæ totius secretarium, in quo nihil huiusmodi causæ potui inuenire. Et proüt in priori concilio, scilicet Constantiēsi, à quodam professore Theologię & artium valde deuoto percepi viuæ vocis oraculo, Dei sapientia verissi-

f. præfatorum.

verisimiliter ista fecit in loco rudis, & simplicis populi, vt in arbore oculis hominũ prępofita facilius manuducerẽtur ad facilius & deuotius credendum articulos Christi natiuitatis, & humanitatis. Vidi prodigiũ aliud hoc anno in antefata ciuitate Nurenbergẽsi in materia quadam naturali & * lignea. Repertum est siquidem in quadam sylua lignum quoddam, quod vocant vulgariter, Masaros. In tabulas itaque eiusdem ligni arbor postquam per serram diuisa fuit, & polita, ac dolata æqualiter, mensa exinde formabatur quadrata, in qua claro aspectu distinctè apparuerunt valde variæ imagines, quarum quędam tam perfectę fuerunt, vt putasses à peritissimo pictore eas fuisse cõfectas: quædam vero solùm facies vel partes alias animalium diuersorum mõnstrabãt distinctissimè, vt puta, hominis, caniculi, virginum, & multarum rerum aliarum. Præostensa fuerat autem paulò antè hęc mensa imperatori Sigismundo viro oculatissimo, qui ligna suspicabatur arte colorum aliquorum linita esse per pictoris industriam. Verùm cùm eiusdem ligni tabula nondum in mensam formata, sed imposita ei fuisset allata, extracto cultello, eam sculpere ad profundum cœpit, & ibi primum didicit, à mirabili natura opus sine humana arte productum esse. A domino Bertholdo presbytero plurimùm literato, & deuoto, ac fide digno, qui in diœcesi Eistetensi aliquando inquisitor hæreticę prauitatis extiterat, hoc, quod sequitur audiui. Solebat hic multum superstitiosa odire & persequi, vtpote zelator fidei præcipuus. Audierat autem, quod quicunque ipsa die natiuitatis Christi, vel in vigilia, micas panis, quæ fideliũ mensę superessent quomodocunq; in incertum proijceret in aliquem hortum, non obstante quod ibi anteà flores, qui vocantur in Teuthoni-

vel. pro lignearũ.

Prodigiũ ligni dolati imagines expressissimas referentis.

Mica panis proiecta in hortum die vel vigilia natiuitatis domini producũt certum florem.

thonico Ryngelbloem, nunquam creuissent, radicem fixissent, nec seminati essent, tamen sequenti proxima æstate flores præfati ibi germinarēt & florerent apertè. Probauit igitur hoc proprijs manibus prædictus dominus Bertholdus, & veritatem rei compertus est, ita flores creuisse, vt prædictum est. Sunt autem flores coloris crocei, quorum semen est quasi circularis figuræ. *PIG.* Quid, quæso, sentis de isto, & præcedenti prodigio?

THEOL. De vltimo si verum est, sicuti de primo nullam video fidei iacturam imminere, immo eam fidem promouere, qua credimus Christum florem stirpis Iesse ex tempore natum esse de intacta virgine sine humano semine; cui primum & vltimum de præfatis mirabilibus alludit. Medium autem mirum quod recitaui non tātopere apprecior, quia licet in materia ligni simile factū vix vel nunquam legerim; tamen certum est, quod natura ad hoc sæpe laborat, & perficit imagines varias in materia minerali, vt in conchis, vel lapidibus pręsertim preciosis. Vide de hoc, si placet, dominum Albertum suo libro de mineralibus, vbi serpentes effigiatos in concha, faciem regis in marmore, tres facies in vno lapide qui est in capsa trium regum Coloniæ, & alia naturæ mirabilia refert, & causas horum assignat naturales, quę non multum faciunt ad nostrum propositum. Occurrit tamen inde nunc de antefata materia triplex pręfatis exemplū simile. Primum quod in Basiliensi concilio à viro valde fide digno archidiacono Barcinonēsi domino Ioanne de Polomar decretorum doctore egregio audiui pridie. Multorum, inquit, mercatorum relatione didici fide digna, qui in regno Granati fuerunt inter Saracenos, ibidem se vidisse arborem pomiferam, cuius fructus, qualitercunque incidatur, semper

Arbor apud Saracenos cuius poma incisa imagini crucifixi referunt.

per

per in parte incisa imago crucifixi claro elucet aspe-ctu. Præterea cùm sentẽtias in vniuersitate VViennensi legi, venit illuc filius regis Portugalliæ dominus Petrus cum exercitu nõ minimo, iter arrepturus (vt dicebatur) in terram sanctam. Ab huius igitur militis prudentis & deuoti ore audiui, suo tempore in terra Saracenorum circa Septam ciuitatem (quã pater suus cœperat paulò antea in Saracenia) in fonte quodam repertos esse lapides varios, quibus vt videbatur, naturaliter insita erant nomina nostra fidei, & incarnationis Christi, licet sparsim. Nam in quibusdam literis Aue Maria, in alijs, gratia plena, in quibusdam, Dominus tecum: & ita de Christi, & Dei incarnatione similia plura claro legebantur intuitu. Habet hodie Marchio Badensis in nostra Teuthonia lapidem preciosum, & visu pulchrum, qui in quacunque parte inspicitur, cuique Christi crucifixi imaginem distinctè in se ostẽdit. Qui immunditiam menstruatæ adeo fugit, vt à tali visus, statim caligine tetra in parte obducitur, quæ tamen successiuè & succedentibus annis paulatim de se abscedit. Repertus autem fuit in quodam agro à rurali viro ante non multos annos primitus, & ab eodem pro modico redemptus precio, sed pro nũc inter suprema clenodia dicti Marchionis reputatur. *PIG.* Cùm perfidi talia viderint, quæ nulla naturali ratione vidẽtur posse saluari, sed soli miraculo ascribi, cur non crediderunt Christo, colla sua eius iugo subdentes? *THEOL.* Cur multi Iudæorum resuscitationem Lazari intuentes, visum datum cœco, & solem videntes innaturaliter eclipsari, non & crediderunt Christo, quę maiora fuerunt? Haud dubium, per præfata mira Dei misericordia gentes vocare videtur: sed multi (ait Saluator) sunt vocati, pauci verò electi. Non (inquit

Varij lapides in fonte reperti apud eosdem quibus inscripta erant mysteria fidei nostræ, & Aue Maria.

Lapis qui quacunque parte inspectus ostendit in se Christi crucifixi imaginẽ, immunditiam mẽstruatæ non ferẽs.

Matt 20.

Rom. 10. quit Apostolus) omnes obediunt euangelio, nec
2 Thes. 3. omnium est fides: Laus autem altissimo qui nos
1 Pet. 2. vocauit in admirabile lumen suæ fidei.

Senectus laudabilis quæ sit. De septem quæ sunt necessaria, vt senes discant si prius non didicerunt, & de magistro Francisco sene & deuoto Theologo.

CAPIT. VII.

H*Oc formicis præ alijs animalibus est proprium, quòd in maiori sua ætate virtute crescunt.* Hoc etiam esse propriũ deberet viris religiosis; vt quantò seniores existunt in annis, tanto potiores esse deberent in virtutum donis. Quæ autem vires senis sint, has ita facundissimus describit Cassianus collatione secunda abbatis Moysi ex ore eiusdem. Sicut, inquit, non sunt iuuenes omnes pari modo vel feruentes spiritu, vel disciplina, ac moribus optimis instituti; ita nec senes quidem cuncti vno modo vel perfecti possunt, vel probatissimi reperiri. Diuitiæ enim senum non sunt canitie capitis, sed industria iuuentutis, ac præteritorum laborum stipẽdijs metiendæ. Quæ enim non congregasti, inquit, in iuuentute, quomodo inuenies in senectute tua? Cani enim sunt sensus hominis, & senectus honorabilis vita immaculata. Et idcirco non omniũ seniorum, quorum capita canities * tegit, quosque vitæ longæuitas sola commendat, nobis sunt imitanda vestigia, vel sectandę traditiones, ac monita suscipienda, sed eorum quos laudabiliter vitam suam ac probatissimè comperimus in iuuentute signasse, nec præsumptionibus propriis, sed maiorũ traditionibus

Cassianus collat. 2. abbatis Moysi c. 13.

Eccl. 25.

Sap. 4.

rest. ex orig. pro tetigit.

bus

bus institutos. *PIG.* Quid ergo seruare suades nobis qui iuuenes sumus, vt senes effecti, velut formicæ laudabiles virtutibus augeamur?

THEOL. Noueris septem vt discant necessaria senibus. Debent enim esse senilium vitiorum victores, mortem dispositi expectantes, corpore & animo bene gaudentes, sermone & moribus graues, auaritiæ & cupiditati resistentes, merito magni & locupletes, & Deo referre gratiarum actiones. Primò vitiorum senilium sint victores. Tentant enim senes quædam ægritudines, & vitia, quæ plerisque iuuenibus communia sunt. De quibus Innocentius de vilitate conditionis humanæ dicit. Frustra ad senectam ventum est, cùm repetas adolescentiam. Senectuti familiaris est loquacitas. Thesaurum in sepulchro ponit, qui senem hæredem facit. Senex facilè prouocatur, & difficilè reuocatur, citò credit, & tardè discredit. Tenax & cupidus, tristis & querulus, velox ad loquendum, tardus ad audiendum, laudat antiquos, & spernit modernos, vituperat præsentia, & commendat præterita, suspirat, & anxiatur, torpet & infirmatur. Audi poetam:

Septē necessaria senib⁹ quæ per ordinē explicantur.

1.

Innocent. III. l. 1. de contemptu mundi c. 9.

Multa senem circumueniunt incommoda.

Horat. in arte poet.

Secundò mors ab eis est disposité expectanda. Ad quod beatus Cyprianus libro suo de duodecim abusionibus sic dicit. Quid superest vbi huius vitæ defectus appropiat? nihil aliud cogitare quàm quomodo futuræ aditus prosperitatis comprehendatur quisq; senex appetat. Iuuenibus enim incertus huius vitæ terminus instat, senibus verò cunctis maturior ex hac luce recessus. Cauendæ ergo sunt homini duæ particulæ, quę in illius carne non veterascunt, & totum hominem ad peccādum trahunt, cor, videlicet, & lingua. Hinc Hugo de

2.

Apud Cyprianum de 12 abusionibus seculi c. 2.

Hugo l. 2. de claustro animæ c. 15. claustro animæ libro secundo. Inter abusiones huius seculi solà maior est senis obstinatio, qui morti proximus, mortis non abhorret aduentum, qui quasi ad ostium mundi huius positus, foris spectat, nec tamen vitæ præsentis attendit egressum, nec * ingressum futuræ considerat: Audit nuncios mortis, & credere non vult eis. Tres sunt enim nuncij mortis, casus, infirmitas, & senectus. Casus dubia, infirmitas grauia, senectus certa nũciat. Casus nunciat mortem latẽtem, infirmitas apparentem, senectus præsentem: Ex incertitudine mortis timor, ex infirmitatis grauitate dolor, ex certitudine senectutis non obstinatio, sed afflictio & humilitas sequi debet.

adieci: ingressum ex orig.

3. Tertiò senes esse debent cõuersatione & animo gaudentes, quia, vt ait Cassiodorus in quadam epistola: Nihil est quod senectuti magis noceat, ac dies hominis abbreuiat, quã tristitia, lãguor animi, atque ira. Nihil enim est hilari senectute iocundius. Voluit hoc qui ait Prouerb. xvij. Animus gaudens ætatem floridam facit, spiritus tristis exsiccat ossa. Et ne hoc de seculi risu intelligatur, idcirco glossa ibidem dicit. Qui interna sancti spiritus consolatione lætatur, etiam bonæ actionis flore decoratur & fructum cœlestis præmij expectat. Qui verò tristitia seculi, quæ mortem operatur, angitur, pinguedinem charitatis in robore virtutum, quas exercere videtur habere nullatenus valet, sed quasi ossibus exsiccatis marcescit, quia in bonis, quæ facit, gloriã dilectionis amisit.

Cassiodorus. *Gloss. ord.*

4. Quartò senes oportet esse in sermone & moribus graues. Dicit beatus Augustinus in quodam sermone. Oportet vt senilis sermo non solùm sit grauis, sed etiã breuis. Et Chrysostomus super epistolam ad Hebręos dicit. Canicies tunc est venerabilis, quando ea gerit quæ caniciem decent: Cùm verò iuueniliter senex cõuersatur, plus iuuenibus

Chrysost. homil. 7. in ep. ad Hebr.

nibus ridiculo erit. Ideo Cyprianus vbi suprà dicit. *Apud Cypr. de 12. abus. c. 2.*
Plus omnibus religioni operam dare senibus conuenit, quos præs[...]tis seculi florida ætas transacta deserit. Quid stolidius fieri potest, si mens ad perfectionem festinare non contendit, quando totius corporis habitu senectute ⋆ confectus homo ad interitum properat, dum oculi caligant, aures grauiter audiunt, capilli fluunt, facies in pallorem mutatur, dentes lapsi numero minuuntur, cutis arescit, flatus non suauiter olet, pectus suffocatur, tussis cachinnat, genua trepidant, talos & pedes tumor inflat, homo interior, qui ⋆ senescit, his omnibus aggrauatur, hæc omnia ruituram iamque domum corporis citò prænunciant. Quintò esse debent senes auaritiæ & cupiditatis inexpertes; quia teste beato Augustino in quodã sermone. Cũ cuncta vitia in sene senescant, sola auaritia iuuenescit. Et Seneca in libro de moribus. Monstro similis est auaritia senilis. Quid enim stultius est, vt dici solet, quàm via deficiente augere viaticũ? Sextò sint merito magni, & sapientia locupletes, secundum illud beati Augustini in quodam sermone. Infantia nostra innocentia sit, pueritia reuerentia, adolescentia patientia, iuuentus virtus, senium meritum, senectus nihil aliud, quàm canus sapiensq; intellectus. Et beatus Ambrosius in sermone de Pascha. Pascha Hebraicè dicitur trãsitus, vel profectus, scilicet quia per hoc mysterium de peioribus ad meliora transitur. Bonus transitus est de peccato transire ad iustitiam, de vitijs ad virtutes, de senectute ad infantiam: ad infantiam autem dixerim non ætatis sed simplicitatis. Ergo ætates quędam sunt meritorum. Nam & senectus morũ inuenitur in pueris, & innocentia infantium inuenitur in senibus. Septimò senes Deo referant gratiarum actiones debitas, quia

rest. ex orig. pro conuectus.

orig. qui nõ senescit

5. *Apud Aug. ser. 48. ad frat. in erem.*

Apud Senec. in libel. de morib.

6.

Ambr. ser. 53.

7.

Hugo l. 2. de clau stro animæ c. 15. clauſtro animæ libro ſecundo. Inter abuſiones huius ſeculi ſolà maior eſt ſenis obſtinatio, qui morti proximus, mortis nōn abhorret aduentum, qui quaſi ad oſtium mundi huius poſitus, foris ſpectat, nec tamen vitæ præſentis attendit egreſſum, nec *ingreſſum futuræ conſiderat: Audit nuncios mortis, & credere non vult eis. Tres ſunt enim nuncij mortis, caſus, infirmitas, & ſenectus. Caſus dubia, infirmitas grauia, ſenectus certa nūciat. Caſus nunciat mortem latētem, infirmitas apparentem, ſenectus præſentem: Ex incertitudine mortis timor, ex infirmitatis grauitate dolor, ex certitudine ſenectutis non obſtinatio, ſed afflictio & humilitas ſequi debet. Tertiò ſenes eſſe debent cōuerſatione & animo gaudentes, quia, vt ait Caſsiodorus in quadam epiſtola: Nihil eſt quod ſenectuti magis noceat, ac dies hominis abbreuiat, quā triſtitia, lāguor animi, atque ira. Nihil enim eſt hilari ſenectute iocundius. Voluit hoc qui ait Prouerb. xvij. Animus gaudens ætatem floridam facit, ſpiritus triſtis exſiccat oſſa. Et ne hoc de ſeculi riſu intelligatur, idcirco gloſſa ibidem dicit. Qui interna ſancti ſpiritus conſolatione lætatur, etiam bonæ actionis flore decoratur & fructum cœleſtis præmij expectat. Qui verò triſtitia ſeculi, quæ mortem operatur, angitur, pinguedinem charitatis in robore virtutum, quas exercere videtur habere nullatenus valet, ſed quaſi oſsibus exſiccatis marceſcit, quia in bonis, quæ facit, gloriā dilectionis amiſit. Quartò ſenes oportet eſſe in ſermone & moribus graues. Dicit beatus Auguſtinus in quodam ſermone. Oportet vt ſenilis ſermo non ſolūm ſit grauis, ſed etiā breuis. Et Chryſoſtomus ſuper epiſtolam ad Hebręos dicit. Canicies tunc eſt venerabilis, quando ea gerit quæ caniciem decent: Cūm verò iuueniliter ſenex cōuerſatur, plus iuuenibus

adieci: ingreſſum ex orig.

3. Caſſiodorus.

Gloſſ ord.

4.

Chryſoſt. homil. 7. in ep. ad Hebr.

nibus ridiculo erit. Ideo Cyprianus vbi suprà dicit. Plus omnibus religioni operam dare senibus conuenit, quos præs[...]tis seculi florida ætas transacta deserit. Quid stolidius fieri potest, si mens ad perfectionem festinare non contendit, quando totius corporis habitu senectute * confectus homo ad interitum properat, dum oculi caligant, aures grauiter audiunt, capilli fluunt, facies in pallorem mutatur, dentes lapsi numero minuuntur, cutis arescit, flatus non suauiter olet, pectus suffocatur, tussis cachinnat, genua trepidant, talos & pedes tumor inflat, homo interior, qui * senescit, his omnibus aggrauatur, hæc omnia ruituram iamque domum corporis citò prænunciant.

5.

Quintò esse debent senes auaritiæ & cupiditatis inexpertes; quia teste beato Augustino in quodā sermone. Cū cuncta vitia in sene senescant, sola auaritia iuuenescit. Et Seneca in libro de moribus. Monstro similis est auaritia senilis. Quid enim stultius est, vt dici solet, quàm via deficiente augere viaticū?

6.

Sextò sint merito magni, & sapientia locupletes, secundum illud beati Augustini in quodam sermone. Infantia nostra innocentia sit, pueritia reuerentia, adolescentia patientia, iuuentus virtus, senium meritum, senectus nihil aliud, quàm canus sapiensq; intellectus. Et beatus Ambrosius in sermone de Pascha. Pascha Hebraicè dicitur trāsitus, vel profectus, scilicet quia per hoc mysterium de peioribus ad meliora transitur. Bonus transitus est de peccato transire ad iustitiam, de vitijs ad virtutes, de senectute ad infantiam: ad infantiam autem dixerim non ætatis sed simplicitatis. Ergo ætates quędam sunt meritorum. Nam & senectus morū inuenitur in pueris, & innocentia infantium inuenitur in senibus.

7.

Septimò senes Deo referant gratiarum actiones debitas, quia

Apud Cypr. de 12. abus. c. 2.

rest. ex orig. pro conuectus.

orig. qui nō senescit

Apud Aug. ser. 48. ad frat. in erem.

Apud Senec. in libel. de morib.

Ambr. ser. 53.

quia iuuentutem quæ fortis est ad vitia euaserunt: nam vt dicit Gregorius in Pastorali. Quibusdam sæpe magnitudo virtutis occasio fuit perditionis, vt cùm de confidentia virium inordinatè securi sunt, inopinatè per negligentiam morerentur. Hinc Ambrosius in Hexameron lib. primo. Quid naturā accusas ô homo? Habet illa impedimenta quædam, senectutem, & infirmitatem: sed senectus quidem in bonis moribus dulcior, in consilijs subtilior, ad constantiam subeundæ mortis potior, ad reprimendas libidines fortior. Infirmitas corporis sobrietas mentis est. Inde Seneca in quadam epistola dixit: Gratias ago, non sentio in animo ætatis iniuriam, cùm sentiam in corpore tantùm: vitia & vitiorum ministeria senuerunt. Viget animus, & gaudet non * iustum sibi esse cum corpore: portus est aliquando, nunquam recusandus. Senem talem, vt spero, virum habere meruimus per magistrum ordinis nostri quendam iam longo tempore in recolendæ memoriç magistro Francisco de Retza sacrę paginæ professore, qui in præclara vniuersitate VViennensi rexit nuper per triginta sex annos circiter. Hic enim suæ iuuentutis tempora non leuitatibus, sed dedit sapientiæ, quam tandem meruit possidere gradu & magisterio. Quo in tempore cœpit tam feruidè beatissimę virgini obsequi, vt secundum in nostra habuisse non videatur ætate. Quippe quandocunque nomen Dei genitricis in oratione aliena, vel in locutione cuiuspiam audiuit, statim salutationem angelicam in eius reuerentiam occultè dicere cœpit. Si eius vidit imaginem, idem fecit in quocunque loco: quamobrem etiam in omnibus locis dormitorij, cellę suæ, & chori, vbi conuersari solebat, iconiam tantę virginis poni procurauit. Horas de eadem virgine, quando non obligabatur,

Greg. in past. par. 4.

Ambr. l. 1 Hexaëm. c. 8.

Seneca ep. 26.

orig multum.

Frãcis. cus de Retza mirum in modum addictus virgini Mariæ, et salutationis Angelicæ continuus recitator placidè obdormiuit in Domino.

gabatur, omittere nefas reputasset. Stipendiũ quod de lectura à duce Austriȩ habuit pingue, totum in ædificatione, reformatione, & deuota decoratione conuentuum pauperculorum ob reuerentiam virginis Dei expendit. Quandocunque Sabbatinis diebus inter doctores ordo legẽdi hunc tetigit, fuit thema textus quodcunque, pro medietate lectionis ad laudem Mariæ, tam aptè deflexit, vt stuperent frequenter qui hæc audierunt. Et eodem tempore frequenter ex deuotione in tantas prorupit lacrymas, vt vix verba præ fletu intelligibilia scholæ formare posset. In orationibus præfatis, quas in magna multitudine quotidie perfecit, & in missarum deuotissimè à se celebratarum collectis de sæpefata virgine totum, quantum licuit, animum posletenus dedit, ita vt nullus ferè etiam amore hereos captus in mundana puella, tam sedulò tali obsequi visus sit, quantùm ille beatissimæ virgini: neque in his filij virginis eiusdem propria officia, & proprij corporis, aut ordinis neglexit debita: nam vsque ad vltimum suæ vitæ terminum, qui fuit circa octogesimum quartum annum abstinentiis, & ieiuniis operam dedit, nunquam in lecto, sed in maceracio in conuentu dormiuit, lanea ad carnem portauit, & silentio tam deditus fuit, vt nunquam vel rarissimè visus sit cum aliquo conuersari loquendo, nisi occupatus esset in vicariatus sui ordinis officio, aut tempore mensæ extra refertorium, sed protunc virtute eutrapeliæ vltrà quàm credi potest gratiosus omnibus fuit. Si de vno pùlpito in libraria ad alia, vel si ad eandem intrando vel exeundo, si versus scholas ad cathedram aut de eadem retransitum fecit, statim interiecto tempore tantillo, nè talem perderet morulam, salutationem angelicam vocetenus multiplicauit. Collegit & scripsit tractatus

& libros

& libros de vitijs & virtutibus multum notabiles & magnos. Tandem autem super illo passu Prouerbiorum: Per me principes imperant, digressum faciens ob reuerentiam virginis, hanc antiphonam, quam ordo solenniter solet canere, scilicet, Salue regina exponere cœpit, ad stuporē omnium hæc audientium, & in voluminibus tribus, quorum quodlibet quasi semibibliam continet, totum perfecit. Quod opus dum in crastino assumptionis Dei genitricis corrigeret, febre modica tactus, ad horam à labore stupidus cessauit quousque paroxysmus transiit. Quæ infirmitas dum ingrauesceret dietim, quadam die ad socium ait. Satis miror quid sibi hoc velit virgo beatissima, quòd infrà suā octauam celeberrimam, & in suo occupatum opere ita me alterari permittit. Appropinquante igitur die natiuitatis beatæ virginis, in cella mihi deuotè confessus est sacramentaliter, & statim ad Eucharistiæ sacramentū ipse peditando ad capellam sancti Martini se disposuit, missam ibi audiuit, & communicauit. Finitaque missa sacrum oleum petijt, & deuotè suscepit. Deinde ad cellam iterum ambulans in anteà ambulare nequit, sed proxima die in ipso videlicet natiuitatis festo virginis, integro aspectu atque auditu, ratione vtēs clara, & spe optima agonysare cœpit; agoniam autem præsentiens in salutationes angelicas more solito prorupit, & easdem cōtinuauit quo dum labia ex integro claudere nequiuit, semiclausis enim labijs angeli verba formauit balbutiendo, & ita finem vitæ fecit tam gratiosè, vt nullum signum horroris in viro iam mortuo videremus, qui præsentes fuimus, sed potius vultus hilaritas & gestus, aliis deuotionis gaudium in omnibus qui astabant, generabat.

Pro. 8.

Quid

Quid significent grana hordei vel frumenti, & quomodo Deus peccata grauia hodie grauiter aliquando punit fulmine, vel morte temporali, seu spoliatione.

CAPIT. VIII.

G*Rana frumenti eligunt, sed hordeum modicum curant, paleas nihil.* Per frumentum electi Dei, vel bona opera, & alta: sed per hordeum inferiora opera, & per paleas mala designantur. Vnde super illud Iob 37. frumentum desiderat nubes, dicit beatus Gregorius libro vicesimo septimo moralium. *cap. 19. al. 22.* Quid electi quique sunt, nisi frumenta Dei cœlestibus horreis recondenda? quę nunc in tritura areæ paleas tolerant, quia in hac purgatione sanctæ ecclesiæ mores contrarios reproborum portant, quousque internus * hæc agricola ventilabro *a. b. hic. orig. hāc.* iudicij dirimat, & in superna habitacula electos suos quasi munda iam grana suscipiens, æternis paleas ignibus tradat. Vnde bene per Ioannem dicitur. *Matt. 3.* Cuius ventilabrum in manu sua, & permundabit aream suam, & congregabit triticum in horreum suum, paleas autem comburet igne inextinguibili. Sed hoc frumentum quousque ad perfectionem fructuum veniat, nubium pluuias expectat vt crescat, quia bonorum mens prædicantium verbis infunditur, ne ab humore charitatis desideriorum carnalium sole siccetur. Hoc frumentū supernus agricola in mundo surgere, ac nubes desiderare conspexerat cùm dicebat. Messis quidem multa, operarij autem pauci; rogate autem dominum messis vt mittat operarios in messem suam.

Qui

Qui igitur hîc frumentum, illic messis, qui verò hîc nubes, illic operarij vocantur, quia prædicatores sancti & nubes sunt & operarij: nubes videlicet per doctrinam, operarij, per vitam; nubes quia verbis influunt, operarij, quia non desinũt agere quod loquuntur. Et iterum super isto Iob xxxj. Pro frumento oriatur mihi tribulus, & pro hordeo spina, dicit beatus Gregorius libro vigesimo secundo. In frumento spirituale opus quod mentem reficit, in hordeo autem terrenarum rerum dispensatio figuratur: In qua sæpe dum seruire infirmis atque carnalibus cogimur, quasi sua iumentis alimenta præparamus, atque ipse nostrorum vsus operum quasi more hordei habet aliquid de admixtione palearum. *PIG.* Da exemplum aliquod.

Greg. l. 22. moral. c. vlt.

THEOL. Est hodie & viuit dominus Ioannes decanus oppidi Isninẽsis de quo suprà cap. iiij. Huius tibi mẽtionem feci, qui mihi quod sequitur hoc anno recitauit. Cùm, inquit, de scholis redij iam iuuenis factus sacerdos, & prædicationis exercens officium, consideraui quod religiosi de ordinibus mendicantium fraternitates quasdam haberẽt, quibus se seculares deuotè animo commendabant. Mihi autem hoc tanquam iuuenili & inexperto fatuo displicuit, & velut nouitas nociua hæc foret, in cancellis contra talia impegi publicè in ecclesia. Fui enim de numero, ait, eorum, de quibus beatus Hieronymus in epistola ad Paulinum dicit; qui quicquid dixerint, totum hoc esse legem Dei putant. Habuit protunc cõsanguineam veteranam, sed virginem multùm Deo deuotam, cui hæc displicuerunt. Vnde quadam die sacerdotem istum, qui pro frumento verbi Dei tribulos habere meruit, ita aggrediendo locuta est charitatiuè. Domine mi desidero vt fraternitates non calumnia inuadatis, præsertim

Decanus incõsultè publiceq; reprehen. confraternitates secularium in ordinibus mendicantiũ diuinitus punitur & emendatur.

Hier. in ep ad Paulin presbyt de studio diuinæ scripturæ.

sertim in loco patenti: nam multa bona simplices ibi faciunt, & si bona ista vobis intrare non placet, placeat saltem tacere. Difficulter enim nos seculares bona aggredimur: quid igitur erit si pronis ad malum, licita prohibetis? Audiuit sacerdos, sed velut sermones delirantis feminæ. Cumque cœptam displicentiam, quam nouus & inexpertus animarum medicus hauserat, animo non relinqueret, vt debuit, rediјt alia die sancta virgo, & cognato ait: Nisi destiteritis, periculum grande mihi videtur omnino vos inuadet, quod de propinquo vobis imminet: in genere mihi constat, sed in specie me latet: igitur vos emendetis; & ita recessit à viro. Et ecce altera die dum sacerdos sederet in domo lætè cum quodam suo consocio iuuene, venit tempestas inopinatè & insolita, fulmen emisit, & domum incendit, & à latere sacerdotis socium prædictum ad mortem percussit, secumque adustis vestimentis ad terram cecidit, vbi iacens se tandem viuum esse sensit, & socium expirasse. Ab eodem tempore virgines castas dilexit, cautiùs deinceps prędicauit, & tutor ac susceptor religiosorum omnium deuotus effectus est. *PIG.* Si ita Deus sæpè pœnis moneret errantes, fortaſsis multi resipiscerent à malè cœptis. *THEOL.* De hoc responsum Abrahæ accipe. Habent, inquit, Moysen & Prophetas, bos scilicet sequantur, & eis credant, quia si illos non audierint, neque si aliquis ex mortuis resurrexerit credent. Et tamen aliquotiens his non obstantibus mira Dei clementia ac pietas quosdam satis miraculosè ab errore reuocat. Nam in oppido Columbarum in Basiliẽsi diœcesi hoc ipsum, quod in præsenti refero, accidit. Fuit & est consulatus ibidem nonnunquam satis grauis, & immisericors conuentibus & monasteriis, ac clero intra muros ciuita-

Luc. 16.

Murus cecidit funditus pro quo Religiosi mendicantes coacti fuerant pecuniam contribuere.

ciuitatis eiusdem residentiam habentibus. Venit igitur in mentem ciuibus & consulatui, & concluserunt vt murus ciuitatem ambiens per nouum antemurale muniretur per circuitum totius ciuitatis velut chlamyde quadam, quod opus diuisim debebat persolui à singulis artificum societatibus, quas * Zunstas vocant. Sed cum magnæ expensæ ad hoc exigerentur opus, coarctauit oppidum ipsum, monasteria & conuentus omnes tam mendicantium ordinum, quàm possessionatorum, vt pro sua rata partem murorum, sicut Zunstę persoluere deberent. Et exinde vt quisque sciret per quantum tractum spatij murus per eum erigi deberet, depingebantur in muro maiori ex opposito antemuralis erigendi certa signa pro singulis Zunstis, & monasterijs, vt sic palam videretur in quo loco cuiuslibet solutoris terminus & finis esset. Ciuitas autem ipsa seu oppidum de republica artifices & materiã muri, ac ministros illius operis conducebat, & expensas primò horum omnium soluebat, sed postmodum paratam pecuniam à singulis recepit. Videntes hoc fratres nostri, & ordinũ Minorum, ac Eremitarum sancti Augustini, quia hi conuentus ibi habentur, allegabant se pauperes esse, & ineptos ad soluendum tale opus, etiam pro sua rata, immò canonicas sanctiones in contrarium suæ coactionis allegauerunt, sed apud rusticam gentem nihil profecerunt. Erectum est itaque antemurale, & signa primò posita, ac termini ciuibus sunt præfixi, & pro reddituatis monasterijs seu possessionatis, vt prędictum est; deinde pro trium mendicantium rata: postremò verò pro Zunstis secularium, seu artificum. Et postquàm opus ferè in circuitu perfectè erectum est (vt creditur) diuino & iusto Dei iudicio antemurale vsque ad fundum cecidit vna hora,

* od. vbiq; Zunftas s. kunstas.

solum

ſolùm pro illa pręcisè parte quę nomine mendicantium religioſorum erecta fuit, omnia verò quæ in antemurali prædicto per ciues poſſeſsionatos anteà, & per Zunſtas ſoluta fuerunt, ſteterũt illibatè & illæsè, prout ipſe vidi, & multorum intuitus oculorum de hoc obſtupefacti ſunt. Oportuitque vt nollent, vellent, ciues lapſa de ſuo ærario reërigerent confuſione ducti. Et ita duris hominibus pro frumento tribuli, & pro hordeo ſpinę ante corporis oculos palam creuerunt. Atque in eo in quo peccauerunt rei puniti ſunt non minori, ſed longè deteriori pœna. In eadem ciuitate, eodem tempore plures diuinitus puniti ſunt morte temporali. Nam vinitores omnes, ſeu cultores vinearum dictæ ciuitatis tabernam habuerunt in latere muri cõuentus fratrum noſtrorum, in cuius tabernæ area puteum fodere vinitores pro ſuo ſolatio affectabant, ſed locum pro puteo habere nequiuerunt congruum, niſi angulum quendam dicti muri ſibi vſurparent, quem angulum conuentus noſter tanto tempore poſſederat, quòd de eius contrario non erat memoria. Renuentibus igitur fratribus dare locum anguli, prædicti conſules dictæ ciuitatis ſe iudices conſtituerunt, in propria cauſa ſuſpecti contra conuentum pro vinitoribus dictum angulum ſententiauerunt. Quo gauiſi vinitores puteum fodiebant in eodem loco cum lætitia magna, & marginibus lapideis ab imo in ſummum perfecerunt. Cumque læti in taberna vinitores iam die altera biberent, mancipium quoddam aquam haurire volens, negligentia ſua de manu hydriam perdidit, quę deorſum in puteum ceciderat. Inuocatis igitur vinitoribus per funem vnus eorum in puteum ſubmittebatur, vt hydriam reportaret, ſed diuina permiſſione ibidem ſtatim ſubitaneè ſuffocatus expirauit.

Submerguntur vinitores vſurpãtes ſibi pariẽ muri Religioſorũ ad cõſtruẽdũ puteũ.

Quo extracto, secundus vice prioris pro vrna capienda promittitur, & sicut primus suffocatus est statim. Cùm verò tertius per funem moderatè vsq; ad medium putei submissus esset, tanto horrore concussus est, vt clamans in fune retrahi se desideraret, & vitam is vix retinuit. Ex his autem ciues territi cladibus, quid mali egissent tardè satis in suis funeribus didicerunt. Punitus fuit insuper nostro tempore pro sua malitia non minus iustè, Dei permittente iudicio, quidã caupo in australi Franckonia. Viuit enim hodie prædo insignis VVolfenmayser nomine, qui licet iniustus sit, & infestus multis fuerit: tamen conditiones quasdam misericordiæ & iustitiæ habere solet ad eos quos captiuat: nam nullum captiuum cippo vel loris mancipat, nullum quæstionibus torquet, nec pœna corporali mulctat, sed paratam pecuniam, si apud aliquem reperit, eandem vi recipit, & expensas vsque ad proximum hospitium spoliato relinquit, siqúe à se detentus equum, chlamydem, vestimenta vel arma meliora, quàm prædo, vel aliquis de suis defert, hæc cambiendo recipit, & sua, vel suorum viliora vice talium restituit, peiora videlicet pro melioribus; sic tamen quod nullum à se nudum recedere sinit. Fideles catholicæ fidei ipse Christianus, licet peccator, multum verbis diligit, fidei aduersarios odit, missarum solemnia quotidie, vbi potest, genibus flexis deuotè audiuit, sed aliquotiens non minus spolijs intendit. Hunc longo tempore ciuitas Rotenburgẽsis in Franckonia velut publicum hostem, præsertim suæ reipublicæ, armis vbi potuit persequebatur, quæ omnia vsque hodie euasit. Accidit autem die quadam, vt quidam Rotenburgensium cursor pedestris pecuniam eidem ciuitati afferret non modicam. Cumque harum pecuniarum baiulum

Insignis prædo quadã fœmina iustitiæ & misericordiæ retinẽs cauponẽ proditorẽ ab eo quẽ prodiderat suspendi curat.

baiulum in hoſpitio publico caupo tabernarius recepiſſet timidum & pallidum, quæſiuit à curſore quid negotij haberet. Cui curſor ſecretò ait: Scio inimicũ noſtrum VVolfenmayſer de propinquo inſidijs frequenter vti viarum, pecuniam dominis meis ciuibus affero; quæſo iura, & fidem ſeruare velis mihi, me non tradendo, ſed potius mihi viam, ne manus hoſtis incidam, dirigendo, Cui tabernarius. Securus eſto, nam nocte hac ſecuram tibi euadendi viam monſtrabo. Credit innocens proditori, & mane verſus diem cum proditore ſuo caupone iter arripuit, nam eadem nocte clam caupo prędoni antefato per nuncium intimauit, vt ad iter ſibi pręfixum mane indilatè veniret prædam ſufficientem inuẽturus. Igitur mane prædo cauponem cum curſore reperit, quem vt pecuniam quam portabat pro dominis ſuis proijceret coëgit, eumq; ita deſcripſit nudè, vt ſe proditum curſor palam videret, vnde obediuit inuitus, & ingemuit. Tunc prædo ad proditorem acceſsit, in collum eius ruit, & ad ſpoliatũ dixit. Ecce hic te mihi contra iura hoſpitis naturalia prodidit, dignus reuera eſt ſuſpendio; è duobus vnum elige, aut ipſe te laqueo ſuſpendet, aut tu ipſum furcabis, & deinceps ſecurus eris. Territus eſt de hoc primò curſor, ſed vt vitã retineret propriam, proditorem potius laqueo ſuſpendit. Poſtremò verò prædo ait deprædato. Pecũniam perdidiſti me ſpoliante inimicos meos, ne timeas, tu in culpa non es, ſed proditor qui pœnam iam luit ſuæ malitiæ. Tibi ergo ſcribam literam, & ſigillabo, in qua te erga tuos conciues excuſabo, & tecum quomodo actum ſit clarè ſcribam. Dedit igitur iuxta ſolitum curſori, neſcio quas expenſas, literam eidem excuſatoriam ſcripſit, vt promiſit, & abire eum illæſum dimiſit.

Humor carnalis concupiſcentiæ quantum ſit cauendus. De ſancta virgine Coleta Clariſſa. Quod fides hodie dilatatur in mundo. Et de ſancta vita Catharinæ de Senis. De pœnitentia ſancti Dominici.

CAPIT. IX.

GRana ſi ſint humida, aut luto maculata, deſiccant formicæ, vt fiant ſicca & arida. Per grana enim opera, ſed per humorem & lutum infectio & læſio noſtrorum operum deſignatur, quæ non Deus, ſed diabolus diligere & inquirere ſolet, vnde ſuper iſto Iob xl. Sub vmbra dormit, * Behemoth ſcilicet, in ſecreto * calami, in locis humentibus. Dicit beatus Gregorius libro trigeſimo tertio moralium. Quid aliud locis humentibus, niſi luxuria deſignatur? vt & per calamum gloria ſuperbiæ, & per loca humentia luxuria corporis exprimantur? Duo quippe ſunt vitia, quæ humano generi immaniter dominantur, vnum videlicet ſpiritus, atque aliud carnis. Elatio namque ſpiritum erigit, luxuria carnẽ corrumpit. Antiquus itaque hoſtis humanum genus vel per elationem præcipitans, vel per luxuriam premens in ſecreto thalami, atque in locis humentibus dormit; quia damnatum hominem ſub ditione dominationis ſuæ, aut per elationem ſpiritus, aut per carnis corruptionem tenet. Quoſdam verò in vtroque poſsidet: quia cùm eos ſuperbiæ ſpiritus eleuat, à * tumore ſuæ altitudinis nec verecundia corruptionis inclinat.] Fugit itaque Behemoth, dæmon ſcilicet, loca munda, arida, & ab humoribus vitiorum deſiccata, quia iſta ſpiritus bonus

al. Vehemoth. reſt. pro thalami. & infra. Gregor. l. 33. Mor. c. 3. al. 5.

reſt. pro timore ex orig.

bonus diligit, malus odit. Vnde in euangelio veritas dicit, quod spiritus exiens qui in locis aridis & inaquosis requiem nō inuenit, quia domum quam reliquerat vacuam, scopisque mundatam reperit, hanc multiplicior intrauit. Quia enim fluxa sit terra quę infunditur, loca arentia & inaquosa sunt corda iustorum, quæ per disciplinæ fortitudinem ab omni carnalis concupiscentię humore siccātur. Vnde hîc quoque adhuc vbi Behemoth dormiat iste necessariò demonstratur, cum protinus subditur: In locis humentibus. Loca namque humentia sunt terrenorum hominum mentes, quas humor carnalis concupiscentiæ, quia replet, fluidas facit, in quibus Behemoth iste iniquitatis suę vestigia tantò altius imprimit, quantò in eisdem mentibus pes transitus illius quasi in fluxa terra descendit. Loca quoque humentia sunt opera voluptuosa; pes quippe in arida terra non labitur, fixus verò in lubrica vix retinetur.] *PIG.* Quia vt iam video, hi velut prudentes formicæ grana humectata ad calorem solis desiccant, & mundificant, qui labore & industria suæ informationis animas & spiritus hominum in humoribus vitiorum iacentes ad Christi charitatem inflammant, an tales modò reperiantur doce per exempla. *THEOL.* De hoc suprà libro secundo capit. primo tibi de magistro Vincentio manifestum exemplum tradidi. Cui hoc addo mirabile de sexu femineo & fragili. Viuit hodie in regno Franciæ, puto, soror Coleta nomine ordinis sanctæ Claræ virgo sancta & prudens: hæc quantas Deo animas suis sanctis exemplis acquisiuerit, & custodiuerit, norunt hi qui loca per eam reformata, & sua cooperatione fundata de nouo viderũt. Vnum igitur de multis refero, quod à solemni ambasiatore ducis Sabaudię ipse audiui

Mat. 12. *Greg. ibid.*

B. Coleta.

coram multis nobilibus in ciuitate Nurenbergensi, tempore congregationis principum Alemaniæ ad regem Romanorum Sigismundum, qui in causa fidei expectabatur in loco prædicto. Cum enim cancellarius summus eiusdem regis in concione multorum vitam sanctæ memoriæ Catharinæ de Senis, ordinis qui vocatur de pœnitentia sancti Dominici, laudaret, cuius legendam sub stilo magistri Raymundi dictatam se habere, & legere gloriabatur, & quanta Deus in conuertendo peccatores nostro tempore (sicut veritas est) per eandem virginem fecisset in Italia. Iam sermone priuato finito cœpit prædictus ambasiator ducis Sabaudiæ infrascripta recitare de sorore Coleta, quæ facta essent in Gallia. Viuit, inquit, nobiscum sub arctissima paupertatis regula tam magna cum deuotione, vt spectaculum facta sit Deo & hominibus. Nam circa comitatum Bibenensem ob reuerentiam sanctæ Claræ monasterium de nouo erectum nouiter extitit, cui dicta virgo in sororibus prouidere debuit. Igitur antequam ad plenum officinæ paratę essent, nescio cuius negligentia missum est pro sancta virgine. Quæ cum loco appropinquauit, nondum sufficienter habitatione virginum perfecta, cogebatur in domo quadam honesta manere ad tempus cum suis sororibus, quæ dũ perficeretur monasterium, & ex loco ad ecclesiam certis temporibus opus fuit vt exiret. Quod cum fieret, die quadam factus est concursus populi magnus, de quo singuli certatim gestiebant virginem videre tam sanctam. Erat pro tunc quidam vir dissolutus valde, mimus quodammodo & ioculator multorum, qui hæc intuens in medium pressuræ, vt fortassis iocum & solatium videntibus faceret, stando coram virgine sancta ita ait. O domina, si tantæ sanctitatis es, quantæ reputaris

S. Catharina de Senis.

1 Cor. 4.

S. Coleta virũ valde dissolutum oratione subito conuertit vt ordinẽ FF. Minorũ ingrederetur.

taris ab hoc populo, me ſicut ceteros velis virum deuotum facere Deo. Cumque virgo huius hominis diſſolutionem conſpiceret, miſericordia mota & compaſsione, eleuatis in cœlum luminibus pariter & manibus, ſic orare breuiter & apertè cœpit. Deus qui omnia poteſt dignetur te ſibi fidelem facere famulum. Quæ pura & ſyncera oratio tam fuit apud omnipotentem valida, vt ille mox diuina inſpiratus gratia, & immutatus de turba gemebũdus abſcederet, mũdum relinqueret & fęces eius. Nam ſtatim ad reformatum locum fratrum ordinis Minorum arctiſsimè reformatorum cucurrit, peccata, quibus animam velut humoribus malis fœdauerat, confeſſus eſt, pœnitẽtiam ſuſcepit, & ordinis frater effectus eſt. In quo proculdubio maius miraculum factum eſt, quàm ſi corporaliter defunctus reſuſcitari per virginem meruiſſet. *PIG.* Vtinam præ- *Vid. Aug. tract. 72. in Ioan.* dicatores verbi diuini multos modò haberemus circa terras infidelium, qui hoc modo animarum grana deſiccarent à ſuis humorum facinoribus, & in aceruum, & cuneum eccleſiæ tales deferrent, ſicuti hæc virgo circa dictum peccatorem feciſſe dignoſcitur. *THEOL.* Eccleſiam ſuam diuina clementia nunquam prędicatoribus ſui verbi ſeminatione in toto deſtituit, ſed per ſuos quos mittere ſolet ſeruos rigare ſemper conſueuit. Abſit vt Deus qui eam ſui filij proprio cruore redemit, minus diligat, quàm ſynagogam olim, cui in extremis grauatam idololatriis per prophetas ſuos ſemper ſubuenit. Si enim geſta in Hiſpania, & Gallia per antedictum fratrem Vincentium memineris: ſi deniq; infinitam multitudinem peccatorum conuerſam nuper in Italia per fratrem Bernardinum ordinis Minorum virum deuotiſsimum, & prædicatorem excellentiſsimum attendere volueris, & ſimilia, vi- *S. Bernardinus.*

debis Deum non reliquisse plebem suam.

PIG. Terret me valde vnum de præsenti materia, quando videlicet audio & considero Turcos & Saracenos in quibusdã partibus tam potẽter regnare, & restringere Christi fidelem populum, ita vt iam plurima loca perfidi occupent in quibus fideles antea sedebant. *THEOL.* In fide te res hæc non tepidũ efficiet, sed confortet potius, si credis Christũ hæc, & suum Apostolum prædixisse. Nam Matthęi vigesimo quarto veritas ait: Surgent pseudochristi & pseudoprophetę, & dabunt signa magna & prodigia, ita vt in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi. In nouissimis (inquit Apostolus) diebus instabunt tempora periculosa, & erunt homines seipsos amantes. 2. Timot. iij. Et Matth. xxiiij. Christus ait: Multi pseudoprophetæ surgent, & seducent multos, & quoniam abũdabit iniquitas, refrigescet charitas multorum: qui autem perseuerauerit vsq; in finẽ, hic saluus erit. Et iterũ Luc. xviij. Filius hominis veniẽs, putas, inueniet fidem in terra? Præterea si ęcclesia vna in parte per perfidos coangustatur, parte ex altera, scimus, dilatatur. Certum est etenim tẽpore Caroli Magni Hispaniarum regna ferè in toto Saracenis fuisse occupata, quæ modò (excepto solo regno Granatæ) Christi cultores sunt. Nouimus insuper vineam & ecclesiam Christi nostro tempore propagines expãdisse suos versus septẽtrionem, seu polum arcticum vltra regna Poloniæ, & intra latissimè. Nã ea quæ sequuntur à fide dignis sæpe audiui, & satis nouiter disertius à reuerendissimo & deuotione ac literatura pleno domino Cardinali Iuliano sanctæ Sabinæ percepi. Anni enim tres vix elapsi quod rex Poloniæ, VVadislaus nomine, mortuus est. Hic primum paganus extitit, & in infidelitatis cæcitate natus &

diu

diu nutritus, ſicuti & ſuorum vicinorum multi; preſſus autem tādem bellis Chriſtianorum, & impugnatus per militiam Cruciferorum ordinis Teuthonicorum de Pruſsia, & ſtimulatus variis diuini verbi vocationibus, conuerſus eſt tandem, baptiſmum ſuſcepit deuotiſsimè, & deuotiùs cōtinuauit. Nam qui antea ignem elementarem coluit, poſtmodum Chriſtum veneratus eſt, & vſq; ad finem vitę ſuę adorauit. Huius exequię cùm in præſenti Baſilienſi concilio celebrarentur, & qui ſermonem præſente concione Concilij faceret, neſcio cuius negligentia, abeſſet, cœpit antedictus dominus Iulianus, qui in minoribus inſtitutus in Poloniam fuerat tranſmiſſus aliquando, ita referre. Mihi, inquit, patres optimi tanquam experto credite. Rex iſte cuius exequias celebramus eccleſię ſanctæ vltra quàm credi poteſt profuit ſuo tempore. Nam à tempore, quo Chriſtianiſmum ſuſcepit, vltra triginta milia paganorum ad lumen fidei conuerſa ſunt, ſeptem cathedrales eccleſias de nouo funditus pro neophytis erexit, & in * luco vbi perpetuus nutriebatur ignis & adorabatur, eccleſiam collegiatam deſtructo igne conſtruxit, & clerum tam in copioſo numero ibi auxit, vt die & nocte nulla hora, nullumq́ue momentum exiſtat, in quo non per certos eccleſiæ miniſtros iugis laus altiſsimo perſoluatur. Tantò itaque Chriſti eccleſia verſus ſeptentrionem dilatata eſt, vt modò ordo Teuthonicorum pręfatus nullum locum habeat aduerſus quem neceſſariô bellum ducat, & tamen certum eſt quòd paulò antea, etiam meo tempore, neceſſe fuit annuò perfidis pugnam porrigere.

VVadiſla° Poloniæ rex conuerſus ad fidem eccleſiam in illis partibus ſeptētrionalibus valde ampliauit.

c. d. luto.

Quòd

Quòd in terrenis se nullus fundare debet. De præmunitis ad moriendum diuinis oraculis, & de non vindicando se in clero per laicos.

CAPIT. X.

G*Rana formicæ solerter colligunt, decorticant ne germinent, & secretè recondunt.* In quo mira huius animalis videtur sagacitas. Si enim granum non decorticaret, vi pullulatiua manente, deorsum & in terram radicem submitteret, & crescens versus sursum in altum se nimis extolleret germinando, & virescendo, sicque in se virtute omni destitutum, vitæ alimentum non pręberet, sed omnem ferè cassaret formicæ laborem præteritum. Hac industria carentia alia animalia, stulta in comparatione formicę videntur, quia illa grana coaceruatim integra, & non præcisa colligunt, & cùm cibo vesci se putant solido, diuites, dimittuntur inanes. Sed formica ista vitans prouidè, esuriens implebitur bonis. Cum ceteræ bestiolæ se putant diuites, dimittuntur velut inanes. Vnde per hanc huius minuti animalis prouidentiam aptè designantur viri simplices, & recti, qui grana virtutum de proximorum vita legentes, eadem sequendo in opere, secreto loco abscondunt, ne germinare incipiant coram alienis oculis, & exinde gloriam quærentes vanam, virtutem & mercedem hîc amittant; sicuti stulti facere dignoscuntur, de quibus Iob quinto dicitur: Vidi stultum firma radice, & maledixi pulchritudini eius statim. Super quo beatus Gregorius lib. vj. moralium dicit. Quasi firma radice stultus in terra figitur, qui totis desideriis in terreno amore soli-

Luc. 1.

Greg. l. 6. moral. c. 4.

solidatur. Vnde Cain primus ciuitatem in terra cõstruxisse describitur, vt apertè monstraretur, quia ipse in terra fundamentum posuit, qui à soliditate cælestis patriæ alienus fuerit. Quasi firma radice stultus attollitur, quando hic temporali prosperitate fulcitur, vt omne quod appetit, consequatur, aduersa nulla sustineat, contra infirmos sine repugnatione præualeat, bene agentibus ex autoritate contradicat ad maiora cõmoda ex * peiori semper actione perueniat; vt vnde viam vitæ deserit, inde ad tempus felicior viuat. Bene ergo dicitur, Ego vidi stultum firma radice, & maledixi pulchritudini eius statim. Pulchritudini quippe stulti maledicere, est eius gloriam ex considerata damnatione iudicare, quia eô atrociùs in tormentis obruitur, quô altiùs in peccatis * eleuatur, quia transit quod extollitur, permanet quod punitur. Qui honoratur in via, in peruentione damnabitur, & quasi per amœna prata ad carcerem peruenit, qui per præsentis vitæ prospera ad interitum tendit.]

rest. ex orig. pro priori.

rest. ex orig. pro elabitur.

PIC. Da, peto, exemplum de aliquo, qui grana virtutum de area huius seculi eligere nouerit, & eadem ab hominum oculis occultando, atque ne in gloriam inanem germinent, ea præscindere, & decorticare sciuerit. *THEOL.* Miles, de quo suprà lib. 1. cap. vltimo, & lib. 4. cap. 3. tibi retuli Boarus, talis, vt opinor, extitit, qui perfectionis, quæ fecit opera, ita occultare nouit, vt extrinsecùs puer huius mundi specietenus esse videretur, qui tamen vanam gloriam & eius pompas pro viribus fugit, vnde etiam diuina ei misericordia dedit, vt longè ante eius ab hac luce decessum, vt se prædisponeret, vocari diuinitus metuit. Nam proüt ab eius ore percepi, postquam se resignatis vitiorum turbis diuino obsequio per secreta deuotionis exercitia attritus

Boarus miles in omni virtutũ genere clarus, mortis suæ tempus reuelatione didicit.

attritus dedicasset, venit nox, in cuius medio, vt more solito Christo gratias de sua passione meditando perageret, surrexit, & deuotioni solitæ in castri sui quadã turri sequestrata à locis aliis, prout licuit, vacabat, qua finita se in lectum reponere cœpit. Tunc statim eo clarè vigilante vox venit, quæ trinis circiter vicibus ita insonuit. Post quinque annos omnino morieris. Obstupuit autem ex hoc miles, & an somnium esset, territus cœpit ambigere, sed quia verè se vigilasse didicit. nec quisquam secum fuit in commodo vbi iacuit, nec in propinquo habitatio erat vnde vox audiri posset aliena, rem cum admiratione mente diu reuoluit, litteratos desuper secretò quæsiuit, & ad me tandem venit. Cum autem me scirem nec prophetam, nec prophetæ filium, ad securiorem partem conuertere cœpi diuinum, vt credo, oraculum. Rimari eum iussi propriam conscientiam super vitam iuuentutis tempore ductam, ánne exercitus ducendo monasteria læserit, & pauperes indebitè; & si sic, vtrum restitutiones fecisset, & in similibus informaui virum, qui tamen, vt protunc sensi, alios suæ animæ medicos dudum secutus est, & vt suasi humiliter obtemperabat mihi. Tandem autem dei tironi sic conclusi. An à deo hæc vox fuerit affirmare non audeo, sed scio Christum omnem præmonuisse hominem. Vigilate, inquit, quia nescitis
Mat. 25. diem nec horam. Idcircò modis vobis possibilibus vos ad mortem disponatis, & ita decipi non poteritis in eo quod veritas ipsa iubet. Finitis autem annis & infra eorum curricula vltrà quàm credebatur miles Christi corpus castigabat, & animam disponebat: Nam licet alligatus esset quodam fidelitatis vinculo, & astrictus obsequiis cuiusdam terreni principis, cui famulabatur fideliter regendo rempubli-

publicam, tamen in iudiciis iustus, in pauperes misericors, in æquales gratiosus, & clero multum fuit gratiosus. corpus atterebat nocturno tempore flagellis, macerabat ieiunijs, vigilijs, & abstinentijs, & idem domabat cilicio, desuper aureis de die tectus militum insignijs In vestitu superbia nulla, sed potiùs in comparatione ad commilitones clericus esse videbatur. Vbi potuit verbum dei legit auidissimè, audiuit sollicitiùs, & diuinissimum sacramentum Eucharistiæ recepit sæpe, sed quô potuit occultiùs. Quotidie attentè & studiosè pro suis pauperibus, & rusticanis hominibus preces ad Deum fudit tanquam proprijs pro parentibus, se dicens (proüt ab ore suo audiui) de eorundem labore victitare, & ideo credere se ad vicem rependendam reciprocè multum obligari. *Ob hinc quicquid facere cum *i. ob hoc.* Deo potuit vel omittere, ad hoc se inclinauit semper, vt cum nullo nobili guerras intraret, ne sui pauperes læderentur. Cumque tota Bauaria, Rethia, Svveuia, & Franckonia multo tempore litium diuersarum, incendijs villarum vastarentur & cædibus hominũ, in quibus princeps cui miles iste seruiebat, vt præmisi, ex vna parte principalis extitit, tamen tam prudenter Christi tiro se ex vtrisque & in aduersis partibus armatorum gerebat, vt nullus militi subditus in domo aut corpore damnum senserit per totum decursum guerrarum, sed semper in pace subditi eius quieuerunt. Colligauerunt præterea paulò antea multi nobiles se in vnam societatem & amicitiam cum lifria quadam apertè, de quorum numero idem miles etiam fuit. Huiusmodi enim insignia in figura auis, vel alterius argentei vel aurei animalis ob pacem seruandam continuatiùs aliquotiens milites, & militares deferre solent in Alemania. Accidit autem prope eadem tempora, vt

Prudẽter auertit nobiles ne clerum inuadant. ra, vt Canonici cuiusdam cathedralis ecclesię in nobilium eorundem partibus malè & scandalosè viuerent, sicut, heu, in Alemania satis consuetum est. Offensi sunt in talium vita plurimum quidam nobiles, & consilium habere cœperunt inter se, quomodo clerum vna dierum inuaderent, & humiliarent aliqualiter. Variis autem variè ad quæsita respondentibus, miles vbi sibi locus loquendi dabatur, ita pro suo voto respondit. Agnosco, inquit, clerū se malè regere, de quo meritò dolere debemus, sed ipsi scimus intra nostra territoria, & in nobiliũ cœtu quosdam esse raptores, vsurarios manifestos, & adulteros; in nobis, quæso, primò vindictam faciamus in nationibus, & increpationes in populis, *Psal. 149* quo facto, deliberemus quid fiendum sit de clericis. Hoc audito, omnes deinceps de clero siluerunt, quia multi se in similibus vitiis, aut suos esse reos agnouerunt. Interea iam finitis prope annis, de quibus oraculum insonuerat, quędam persona militi affinitate coniunctissima in facinus quoddam infamiæ nimis cecidit, quam quia miles velut se dilexerat, tristitia cordis vulneratus est adeo, vt mihi diceret die quadam secretè. Mori, ait, in bello, & perfodi iaculis die vna pluries leue mihi foret in comparatione huius mali, quod illatum est per nequissimum virum meæ amicæ, nollem tamen, etsi valerem, reo & nocenti nocere iniustè, Deus sibi parcat. Tunc ego subintuli: Domine fortassis patientia & æquanimitas hæc tolerandi pro Deo, qui maiora his sustulit, mors, de qua vocem audiuistis dudum, esse potest. Respondit,* quia mors famæ inclementior est nece corporea. *Videtur aliquid deesse.* Paulò autem postea cœpit secta hæreticorum in Bohemia manu armata loca patriæ militis & aliorum inuadere, aduersus quam sectam nobiles Franckonię, & adiacen-

centium partiū nobilium & fidelium armaturam collegerunt, & eandem, quia hyems instabat, pro nutriendis quotidianis guerris contra hæreticos ad vicina loca Bohemiæ transmiserunt, militemque præfatum in exercitu eodem pro capitaneo (quia animo bellicosissimus erat) pro exercitu posuerunt: vbi cum * armaturę fideliter præesset, intrauit exercitum pestis epidimiæ, quæ plurimos consumpsit, & dictum militem sumptis ab eo ecclesiasticis sacramentis, ab hoc nequam seculo migrare feliciter fecit, vt ita cum merito mortis duplicis, famæ scilicet, & corporis verificaretur vocatio quę præcessit diuina. *Armatura pro exercitu.*

Per quinque remedia labor aliquis facilitatur etiam spiritualis. De horrentibus Christi sacramenta recipere, De sanctæ Christinæ meritis eius die morienti, & de bona morte multorum qui publica iustitia plectuntur.

CAPIT. XI.

F*Ormica arte multiplici onera sibi faciunt portabiliora, vt sic in labore perseuerent.* Laboriosissimum enim est animalium. Idcirco laboriosè victum quæritat, repertum per micas minutatim portat. Et ideo Isidorus etymol. lib. xij. cap. iij. dicit. Formica dicta est ab eo quod ferat micas, id est, grana farris. Vnde Ouidius in Meta.

*Grande * opus exiguo formicas ore gerentes.* *Ouid. l. 7. Metamo. orig. onus.*

Et quamuis labor huius minuti animalis sit grandis & varius, tamen oneris mole & laboris multitudine vix vnquam frangitur, quia aut onus, si impro-

improportionatũ eſt, diuidit, aut alteri partem concedit, aut ſi grande eſt, nunc antè, nunc retro recuruat, & gerit modò pedibus, modò ore, ſiue retrogradè, ſiue facietenus ferat, vſque ad finem introducti oneris diuerſa ſub arte perſeuerat. In quo reuerâ nobis ſegniter agẽtibus torporem acidiæ multum accuſat, & virtutem perſeuerantiæ commendat. Vade, ait Sapiens, ô Piger, ad formicam. In diuinis igitur operibus quibus nunc alimoniam in cælo ſumendam colligimus, non inertes, ſed indefeſſè laboremus, varia opera virtutũ diuerſis temporibus pro tædio vitando ſumamus, nec vnquam à cœptis bonis deſiſtamus. Ad quod hortatur beatus Auguſtinus ſic libro de virginitate. Diuerſis ſeminibus pectoris tui tolles ſemen, nunc alimoniis mediocribus, nunc ieiuniis parcioribus, lectione, opere, prece, vt mutatio laboris induciæ ſint quietis. Sunt enim quinque per quæ in Chriſti obſequio arte quadam onus laboris facilitatur, videlicet, operum variatio, collaborantis intuitio, orationis admixtio, pro peccatis ſatisfactio, & beatitudinis augmentatio. De primo beatum Auguſtinum audiſti. De ſecundo dicit beatus Gregorius libro moralium quinto. Non deſeres in labore perſiſtere, quia ſubleuatio laboris eſt viſio collaborantis. De tertio in vitaſpatrum legimus. Cum enim beatus Antonius in eremo tædio afficeretur, dixit: Domine volo ſaluus fieri, & non permittunt me cogitationes meæ. Et ſurgens exiuit foras, viditq; quendam ſedentem atque operantem (angelus enim Dei erat) deinde ſurgentem & orantem; & dixit ei. Sic fac & ſaluus eris. De quarto ait beatus Bernardus in ſermone quodam. Cauſam laboris homo cogitet in labore, vt ipſa ei pœna quàm patitur, culpam pro qua patitur repræſentet. De vltimo autem

Prou. 6.

Auguſt.

Quinque laborem reddunt facilem.

Greg. l. 5. moral. c. 5. al. 3.

Bernard.

autem dicit beatus Hieronymus in quadam epistola. Nullus labor durus, nullum tempus longum videri debet, quo gloria ęternitatis acquiritur. Nā, inquit Apostolus, non sunt condignę passiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis. Hanc artem facilitandi Christi onera docere voluit dominus quando Matthæi 11. ait: Discite à me quia mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris. Iugum enim meum suaue est, & onus meum leue. Hic obijcit Rabanus & soluit. Quomodo, inquit, iugum Christi suaue, cùm suprà dictum est: Arcta est via quæ ducit ad vitam: Sed quod angusto initio incipitur, processu temporis ineffabili dilectionis dulcedine dilatatur.] Meliusque beatus Augustinus horum causam assignans in de verbis domini, sic obijcit & concludit. Qui iugum domini intrepida ceruice subierunt, tam difficilia pericula patiuntur, vt non à laboribus ad quietem, sed à quiete ad laborem * vocati videantur. Sed profectò adest spiritus sanctus, qui in exterioris hominis corruptione renouat hominem interiorem de die in diem, & gustata requie spirituali, in affluentia deliciarum Dei, in spe futuræ beatitudinis omnia præsentia delinit aspera, & omnia grauia releuat.] Et postquam ostendit quod maxima incommoda sustinet mundani homines ex amore terrenorum, sic concludit: Omnia sæua & immania prorsus facilia, & penè nulla efficit amor: Quantò ergò facilius ad veram beatitudinem charitas facit, quod ad miseriam quantum potuit cupiditas fecit?] *PIC.* De perseuerantibus ergo in diuino labore aliqua producas exempla. *THEOL.* Donum perseuerantiæ non in vitę principio, sed in eius comprobatur termino. Multi bene inchoant, & malè perseuerant.

Hieron. *Rom. 8.* *Rabanus super Matt. 11.* *Matth. 7.* *Aug. ser. 9. de verb. Domini.* *rest. ex orig. pro vocari.* *Augus. ibidem.*

E diuerſo quidam malo inchoato principio, fine bono concludunt. Hoc donum tantæ dignitatis eſt, & arduitatis iuxta ſancti doctoris rudimenta, vt ſub nullius cadat merito proprio, licet oratione facta pro ſe piè & continuè impetrari poſsit, quia meritum, iuſtitiæ, oratio verò ſiue impetratio, diuinæ miſericordiæ innititur. Et pro his exempla hodie diuerſa habemus. Fuit noſtro tempore rex Romanorum Rupertus, de quo ſuprà capitul. iij. huius mentionem fecimus, qui ante ſui electionem re, & nomine clemens extitit. & poſt diutina & ſancta ſua opera in letali quadam infirmitate propè à dæmone victus occubuit. Nam infirmitatem grauem incidit, & ſumpto euchariſtiæ ſacramento ſe dietim ab ſanctæ vnctionis oleo callidè ne reciperet, ſubtraxit. Hauſerat enim, vbi neſcio, diabolicum hunc inſtinctum (vt videbatur) quo quidam ſuperſtitioſiſsimè credunt, ſe poſt huiuſmodi ſacramenti ſuſceptionem omnino migrare oportere. Diſtulit igitur princeps recipere ſacramentū propter mortis periculum. Et doctores diuini & humani iuris, quos ſemper dilexit, verbis virum hortabantur, & ſibi ſuadebant ne omnino * deſineret tam ſalubre animæ & corporis antidotum. Obtinuerunt tamen tandem illi diuina arridente gratia intentum: cumque præſentibus litteratis clericis inungeretur princeps, & orationes quæ de ſanitate ſonant vtriuſque hominis multiplicarentur, ait ſatis alacriter. Reuerà ſi hoc ſacramentum ſciuiſſem tantum pro vtroque valuiſſe homine, quemadmodum iam audio, dudum ipſum deuotiſsimè poſtulaſſem. Fuit enim litteratus ſatis; qui conualeſcens poſtmodum multis annis Romanum gubernabat ſanctè imperium, & tandem feliciter perſeuerans in bonis operibus vita functus eſt. Tempore quo

artes

Thom. 1. 2. q. vlt. ar. 9.

Rupertus Imp. extremam vnctionē ex vana perſuaſione differēs, fermè à dæmone victus occubuit.

** f. differret.*

artes primum in vniuersitate VViennensi audiui, fuit ibidem virgo deuota ordinis canonicorum regularium, quæ Deo primum, deinde beatæ Christinæ virgini sedulè obsequia præstitit ieiuniis & orationibus, sancta ministeria, præsertim in festo dictæ virginis satis multiplicauit, & pro dono perseuerantię, atque vt (si fieri deceret) in ipsius sanctæ martyris festo ab hac luce tempore inigraret sæpe orauit. Nec despexit dominus preces ancillæ suæ; nam eadem die multis elapsis annis mortua est feliciter, & (vt in domino confido) cum sancta virgine Christina locum æternæ retributionis intrauit. Hæc cùm nobis in loco capituli prior noster VViennẽsis vir prudens & deuotus, qui virginem nouerat pro spirituali solatio recitauit, multis iuuenibus fratribus & senibus materiam deuotionis ad Dei sanctos non modicam ministrauit. In principio Basiliensis Concilij insignis quidam fur per publicam iustitiã detentus est, & fraudis suæ commenta detegebat multimoda. Sententiatus igitur ad mortem in iudicio, purè & sacramentaliter confessus est cuidam viro religioso, non modica enim subtraxerat, & in vestimentis homo magni generis videbatur, & exinde multis familiaris effectus fuerat. Cùm igitur de ciuitate duceretur versus locum patibuli, quod satis distat, per totum spatium itineris in magna multitudine populi tam alacriter incedebat, & hilari vultu, immo iocundus verbis & nutibus adeo, vt eum sponsæ ad thalamum pręsentandum putasses, lęto vultu sibi notos inuocauit, & orauit, vt pro eo ad deum intercederent. In via alta voce canebat metra quædam vulgaria & deuota, quæ dudum didicerat, & in stuporem omnium mentes conuertit. Cumque lictor eum sursum in scala sub furca deberet ducere, ita furcando

Virgo S. Christina valde deuota die festo illi⁹, vt petiuerat, mortua est.

Fur ad suspendiũ ductus, magna cũ lætitia mortẽ peccatis suis debitam excipit.

ait: Quæso mihi respondeas: Quid quęso comedisti hodie, vt tam lætus hodie moriaris? parem enim tui nunquam habui: vnde ergo tibi hæc, quam in deum habes, fiducia? Cui ille respondit. Scio me grauiter deum offendisse, credo me deinde remissionem meorum facinorum per pœnitentiæ sacramentum recepisse, quia experior mihi displicere quod creatorem meum offendi; & si fas esset me mortem euadere, tamen emēdationis propositum omnino fortiter retentare vellem, quod etiam pro præsenti gero; sed scio, non expedit vt euadam mortem, nimis enim offendi deum & homines, quare iustè morior, & meam voluntatem diuinæ iustitiæ in hoc conformo, hæc considerans, nunquid lętus mori debeo? Diutius enim viuendo fortassis in taberna occiderer meis in peccatis: quod autem hoc malum hactenus euasi, donū Dei est, nō meritum: igitur deo gratias ago. Ascendit ergo lignum supplicij, & laqueo vita reo recepta cum perseuerantiæ patentibus signis. *PIG.* Ego puto quod tales prędestinati esse videntur, & tali supplicio per diuinam clementiam velut modo aptiori regnum cælorum intrare compelluntur. *THEOL.* Idem mecum sæpe non iudicando, sed meditando de hoc tacitus consideraui, quia multos qui vitæ fuerunt dissolutissimæ, nec vlla via compesci poterant à suis malitiis, vidi ad veram contritionem quantum in exterioribus datum est iudicare, compungi, & plexos morte publica, deuotè migrare. E diuerso multos vidimus per preces, aut pecuniā à morte quam meruerant per iudices varios, libertati condonatos, quos postmodum experti sumus fuisse deteriores quàm anteà: Difficile enim est consueta relinquere.

Facinorosis prodesse quod supplicio afficiātur à iudice.

Hyems

Hyems & æstas quid significent moraliter. De vitanda acedia, & quod non oportet terreri de morte subitanea bonorum hominum in quibus bona vita præcessit.

CAPIT. XII.

HYeme quiescunt formicæ, & tunc cibo fruuntur æstate præcollecto. Vnde Prouerb. 30. Formicæ populus infirmus, qui præparat in messe cibum sibi. Per hyemem, in qua non est tempus seminandi, & arandi futura beatitudinis vita designatur. Vnde saluator suos præmonuit loquens de die iudicij quando Matthæi xxiiij. ait: Orate vt non fiat fuga vestra hyeme vel sabbato, quia scilicet (vt beatus Hieronymus ibidem dicit) in altero duritia frigoris prohibet ad solitudines pergere, & in mõtibus, desertisque latitare, in altero autem transgresio legis est.] Per æstatem verò quando metendi, laborandi, & seminandi tempus est, & laboris præsens vita intelligitur, propter quod Salomon Prouerb. vj. dicit. Vade ad formicam, ô piger, & considera vias eius, & disce sapientiam, parat æstate cibum sibi, & congregat in messe, quod comedat. Et iterum ibidem. Si impiger fueris, veniet vt fons messis tua, & egestas longè fugiet à te. Quò contrà (vt beatus Augustinus de conflictu vitiorum, & vbi torpor & ignauia dicunt) Si lectioni, continuato studio, semper insistis, oculorum caliginem incurris: Si indesinenter lacrymas fundis, ipsos etiam oculos amittis: Si protelatis vigilijs psalmorum censum persoluis, insaniam capitis acquiris: Si quotidiano labore te conficis, ad opus spirituale non consur-

Hieron in c. 24. Matth.

Apud Augu. l de confli. vit. & virt. c. 13.

Bernard. consurgis.] Aduersus quæ beati Bernardi imitandum est consilium, quo in epistola quadam dicit: Cum te acedia vel tędio affici sentis, noli propterea diffidere, atque desistere à studio spirituali, sed iuuantis require manum, trahi post te Iesum obsecrans. Teste enim Cassiano de institu. monachorum. Experimento compertum est atque probatum, acediæ ita impugnationem non declinando fugiendam, sed resistendo superandam.]

Cassian. l. 10. de instit. monach. c. vlt.

FIG. Scisne aliquos viros, vel de femineo sexu aliquas, de quibus præsumenda sit sollicitudo laboris, quam tantopere commendant sancti?

THEOL. De vtroque sexu plures, vt spero, noui. Viuebat nostro tempore in Nurenbergensi conuentu pater quidam Eberhardus nomine, qui prioratus officio ibidem me præcessit. Hic primum sacerdos secularis extitit, & vt mundum euaderet immundum, nostrum ordinem intrauit, ieiunia regularia, quæ per dimidium ferè annum durant, strictè seruauit, dies prope nulla fuit intra viginti annorum spacia in qua mane summo missam deuotè celebrare negligeret, & postea vsque ad prandij tempus audientiæ confessionum in porta non insisteret, aut animarum consiliis: Fuit enim vir multum maturus, & prudentia prędituS, licet lingue præpeditioris esset. Habuit hic vir gratiam lacrymarum tam abundè, vt de simili non audierim. Nam omni nocte finitis matutinis (quibus semper interfuit) tempus obseruauit, quo fratres omnes de priuatis orationibus, & meditationibus suis ecclesiam exeundo, dormitorium intrauerunt. Quo facto angulum aliquem elegit ecclesiæ, in quo se reponens, tam amarè cœpit flere, & illud per dimidiam prope horam continuare, velut si infans aut puer foret matrem propriam deplorans: Eiula-

Eberhardus Prior Prædic. Nurenb. strenuus in bonis operibus.

tus

ctus & voces tam gemebundè emisit, vt vix tam duri fuisset pectoris, qui virum audiendo lacrymas continere potuisset. Mirabar de hoc sæpius, præsertim cùm eum nouerim esse multum virilem, & animosissimę complexionis, vnde quotidianę prouenirent lacrymæ: verùm quia impeditioris linguæ fuit, non tamen imperitus literis, id quod prędicando vocetenus facere non valuit, exhortãdo scriptis, & priuatis monitis fideliter suppleuit. Nam eo procurante, & per sua monita, ac studijs, in diuersis parochialibus ecclesiis vbi fames & caristia fuit diuini verbi, ibi perpetua beneficia & officia prædicationis fundari procurauit, & vt dotarētur in eisdem sufficiēter in libris & victu prędicatores ordinauit, tandemq; ex fletu & scripturis visu vtroque oculo orbatus est; & quia sic missam celebrare nequiuit, idcirco quotidie ferè, aut frequenter in hebdomada deuotè sumere consueuit sacramētum Eucharistiæ. Tandem verò vita functus, in abūdantia sepulchrū ingressus est, & (vt credo) cum copia meritorum: Bonorum enim laborum, teste scriptura, gloriosus est fructus. *Sap. 3.* *PIG.* Virum noui, & amplius quàm expresisti laudis in eo fuerunt opera, quæ continuauit vsq; ad extrema. Sed vnum est tantūmodò quod me multosque terruit, mors, videlicet, subitanea, quā passus est. Nam nocte post matutinas ambulans in alto transitu tabularum, quibus fouea cellarij tegebatur, pede non bene fixo in præceps decursum ruit, & statim confracto cerebro spiritum tradidit. *THEOL.* Nihil noui hic accidit. Nam ante decennium nostri ordinis frater Thomas capellanus & confessor sororum deuotissimarum in Steinbacho, Basiliensis diœcesis vir per omnia laudabilis, tamen nescio quid operis perficere vellet in summitate ædificij, ita de sub ecclesię ibidem tecto

De eiusdē morte subitanea nō esse timendum.

Thomas quidā ord. Prad. vita valdè laudabilis subita morte obijt.

 cecidit,

Sacerdos ord. Rhodiensium Iohannitarũ post deportatã in processione eucharistiã mox obijt.

cecidit,& statim expirauit. Paulò anteà in Argentina apud ordinem Iohannitarum de Rhodis,quidã dicti ordinis sacerdos vltra quàm dici potest deuotus,eucharistię sacramentnm postquam die soléni eiusdem in processione publica reuerenter (vt moris est) circumportasset,mox deposita monstrantia finem viuendi dedit.Nam hi tres viri omnes tãtam duxerunt vitam, vt specula virtutum proximis extiterint vsque ad vitæ suæ vltima. Terror subitaneę mortis & vbi vita mala præcessit ad literam omnium terribilium terribilissimum est in hac vita; de quibus Iob xxj dicitur. Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descẽdunt. Qualis ille fuerit, qui Lucæ xij ad se dixit: Anima habes multa bona posita in annos plurimos, requiesce,comede, bibe,epulare. Dixit autem illi Deus: Stulte,hac nocte animam tuam repetent à te;quæ autem congregasti, cuius erunt? Eadem nocte (vt Gregorius dicit xxij. moralium) sublatus est qui multa tempora fuerat præstolatus,vt scilicet qui in lõgum sibi subsidia colligendo prospiceret,subsequentem diẽ vel vnum minimè videret.] Qualis etiam Nabal fuit, vir diues,malitiosus, & pessimus, quem Deus percussit,& mortuus est. j. Reg xxv. Sed subitanea mors vbi vita bona præcessit,sæpe beneficium est, & timenda nullatenus. Audi de hoc beatum Augustinum de *disciplina christiana sic dicentem: Quid est quod vis habere bonam mortem? quotidie rogas, bonam mortem det mihi deus. Dicis. Auertat Deus à me malam mortem. Mori malè times,viuere malè non times.Plus igitur times mortem tuam quàm vitam. Corrige malè viuere; quia non potest malè mori,qui bene vixit.] Tuam præterea quæstionem beatus Augustinus lib. 1. de ciuitate Dei cap. xj. etiam rationabiliter soluit. Dicebant

Quibus timenda sit mors subitanea.

Gregor. l. 22 moral. c. 2.

Quibus non sit timenda.

rest. pro vita.

Aug. l de discip. Ch. c. 2.

bant enim pagani contra Christianos: Multi multarum mortium fœda varietate consumpti sunt. Respondet Augustinus. Hoc si ægrè ferendum est, omnibus qui in hanc vitam procreati sunt commune est. Hoc scio, neminem fuisse mortuum qui non fuerat aliquando moriturus. Finis autem vitæ tam longam, quàm breuem vitam hoc idem fecit. Quid autem interest quo mortis genere vita ista finiatur, quando ille, cui finitur, iterum mori non cogitur? Cùm autem vnicuique mortalium sub quotidianis huius vitæ casibus innumerabiles mortes quodammodo comminentur, quandiu incertum est quænam earum ventura sit: quæro vtrum satiùs sit vnā perpeti moriendo, an omnes timere viuendo? Sed aliud est quod carnis sensus infirmiter pauidus fugit, aliud quod mentis ratio diligenter enucleata conuincit. Mors mala putanda non est, quam bona vita præcesserit, neque enim facit malam mortem, nisi quod sequitur mortem. Non itaque multùm curandum est eis qui necessariò morituri sunt quid accidit vt moriantur, sed moriendo, quô ire cogantur. Hęc ille. Notare enim debes, quòd mortis mora plus habet pœnę, quàm mors ipsa, & mortem timere crudeliùs est ipsa morte. Vnde Ouidius lib. epistolarum.

Aug. l. 1. de ciuit. dei c. 11.

Occurrunt animo pereundi mille figuræ,
Morsq; minus pœnæ, quàm mora mortis habet.

Ouid in ep. Ariadnes ad Theseum.

Et Seneca lib. iij. declam. Crudeliùs est, quàm mori, semper timere mortem. Similiter idem de naturalibus quæstionibus lib. vj. Si fulmen effugeris, repetet te gladius, petet lapis, petet bellum. Maximum ex periculis sed speciosissimum fulmen est tecum, si sensum mortis tuæ celeritas infinita præueniet. Hinc Prosper lib. epigrammaton.

Seneca.

Prosp. lib. epig. in fine.

Ferro,

*Ferro, peste, fame, vinclis, * algore, calore,*
Mille modis miseros mors rapit vna homines.

rest. ex orig pro ardore.

Seneca de remed. fortuit. in principio.

Et iterum Seneca de remediis fortunæ. Sensus dicit. Morieris. Ratio respondet. Ista est hominis natura, non pœna. Sensus dicit: Decollaberis. Ratio. Quid interest an cęsim moriar, an punctim?] Sunt tamen tres causæ, cur Deus bonos subitò mori permittit, videlicet, vt parati semper simus: vt de vita, etiamsi bona apparet, non præsumamus: Et vt iudicia Dei timeamus. De primo dicit beatus Augustinus in epistola quadam. Latet vltimus dies, vt obseruarétur omnes dies. Serò parantur remedia, cùm mortis imminent pericula. De secundo idem dicit. Vigilare debet omnis Christianus, ne eum imparatum inueniat domini aduentus. Imparatum autem inueniet dies illa, quem imparatum inueniet suæ vitæ vltimus dies.] De tertio dicit idem lib. ij. de doctrina Christiana. Timor de futura morte mentem necessariò concutit, & quasi clauatos carnis omnes motus ligno crucis affigit.

Tres causæ cur de⁹ bonos subitò mori sinit.


Aug. ep. 80.

Idem l. 2. de doctr. Christ. c. 7.

Finis libri quarti.

Liber





Liber Quintus.

DE MALEFICIS ET EORVM DECEPTIONIBVS.

Colores diuersi quid in sacra scriptura significant. Quòd tribus modis deluduntur hominũ mentes, & de nocturnis exercitibus & equitibus, quid in bono, vel in malo significent.

CAPITVLVM I.



VLTIMO loco per libellum quintum sub formicarum proprietatibus de maleficis & eorum deceptionibus concludere restat. *Sunt autem formicæ in coloribus variæ, quia quædam nigræ, aliæ rufæ, aut pallidæ.* Per colores autem talium varia conditio vitiorum potest intelligi; quamuis ipsa animalia de se bona sint, sicuti omnes Dei creaturæ. Sicut enim per albedinem, & cãdorem vestium secundum beatum Gregorium, virtutum puritas, & munditia, ita per colores declinantes ab albedine secundum maius & minus vitiorum fęculentia, sacro testante eloquio, consueuit accipi. Hinc est quòd beatus Ioannes vidit in Apocalypsi vj. sub quatuor coloribus equorum vnum nigrum. Nam primus albus, secundus rufus, tertius niger, & quartus pallidus fuisse describitur: vbi per album Christi caro purissima: per rufum,

1 Tim. 4. Greg. homil. 21. & 29. in euang. dicit gaudiũ & solẽnitatẽ mẽtis designare. a.b. m. fetulẽtia.

rufum, qui sub specie religionis, vel virtutis homines decipiunt: per nigrum, qui manifesta habent vitia: & per pallidum ad modum mortis colorati persecutores bonorum secundum glossam debent intelligi. Insessores verò equorum talium trium, tres differentias dæmonum tales malos regentes homines designant: quia omnes malorum hominum huius vitæ acies informantur & ducuntur per certos dæmones. *PIG.* Desidero igitur noscere primò, quot modis, & qualiter malefici, & superstitiosi sibique similes regũtur, equitantur, & dementantur per dæmones, quos non ambigo in vitiis esse varios, & malitia carbonibus nigriores, iuxta illud Threnorum iiij. Denigrata est super carbones facies eorum, & non sunt cogniti in plateis.

Colligitur ex glossa ord.

THEOL. Humanus animus in huius vitæ exilio mole pressus corporis, & captus in eiusdem ergastulo, multimodis phantasiis deluditur, de quibus dicetur in sequentibus. Quantum tamen præsentibus sufficit, tres possunt occurrere interiorum vel exteriorum apparentiæ sensuum raræ, & admirabiles. Quidam enim vigilando vident mira ex diuina gratia: alij per cerebri vitia: & alij ex dæmonis astutia. Per primum constituuntur quidam prophetæ: per secundum decipiuntur tales maniaci: & per tertium deluduntur multi dæmoniacè. De primis latè dictum est lib.* ij. præcedenti. Contingit tamen quòd magnis peccatoribus Dei clementia aliquando ostendit animarum pœnas, quas hic manendo demeruerunt habere in vita alia. De secundis certum est dominum Albertum legentibus in tertio libro de somno & vigilia; & Auicennam, & Galenum in suis medicinalibus, quod ex vitio, & debilitate cerebri, & ex melancholia varia infirmitas, quam vocant maniam, contrahitur naturaliter,

Tres modi quibus mira videntur.

rect. pro iij.

liter, ſine dæmonis opere, per quam multa apparent homini quæ in re nulla ſunt, ſed in imaginatione, & phantaſia tantummodo. De tertio autem ſunt exempla innumera quomodo deluduntur ſenſus hominum per dæmones. *PIG.* Audiuimus aliquando ab antiquioribus, eos, vt aſſerebant, vidiſſe nocturno tempore exercitus velut armatorum in variis apparétiis armorum, equorum, rhedarum, & ſimilium; quid hoc veritatis habeat edoceri cupio. *THEOL.* Monſtra talia aliquando bella futura prænoſticant. Aliquando per hoc dæmones incautos decipiunt. Aliquando etiam quales ſint malorum pœnæ innuunt; de quibus omnibus exempla habemus tam in ſacra ſcriptura, quàm alibi. Nam Ioſue v. quando primò terram promiſsionis ad capiendum Hiérico intrauerat, vidit virum in agro ſtantem contra ſe, & euaginatum tenentem gladium: quo reſpōdente quòd princeps eſſet à Deo miſſus ad regendum Iſrael exercitum; Ioſue lapſus in terram virum, veriùs Dei angelum, veneratus eſt. Sic & ij. Machab. iij. cùm Heliodorus mente ſpoliandi templum, idem introiſſet, apparuit quidam equus terribilem habens inſeſſorem optimis indumentis adornatus, iſque Heliodoro impetu priores calces eliſit, qui etiam inſidebat videbatur arma habere aurea. Alij etiam apparuerunt duo iuuenes virtute decori, optimi gloria, ſpecioſique amictū, qui circunſteterunt eum, & ex vtraque parte flagellabant eum ſine intermiſsione multis plagis. Sicque etiam ibidem v. ante immaniſsimam perſecutionem Iſrael factam per Antiochum dicitur: Contigit per vniuerſam Hieroſolymorum ciuitatem videri diebus quadraginta per aëra equites diſcurrentes, inauratas ſtolas habentes, & haſtis quaſi

Acies in aëre viſæ.

quasi coire armatis, & cursus equorum per ordines digestos, & congressiones fieri cominus, & scutorum motus, & galeatorum multitudinem gladiis districtis, & telorum iactus, & aureorum armorum splendorem, omnisque generis loricarum. Quapropter omnes rogabant in bonum monstra conuerti. Et ibidem iam finita persecutione, cùm Iudas Machabęus in prælio consisteret, apparuerunt aduersariis de cœlo viri in equis, frenis aureis decorum ducatum Iudæis præstantes, de quibus duo Machabęum medium habentes, armis suis circumseptum, incolumem conseruabant. Ibidemque xj. Procedente Iuda cum suis in aliud bellũ * Ierosolymis apparuit præcedens eos eques in veste candida, armis aureis hastam vibrans. Et capitulo vltimo ibidem vidit Oniam & Hieremiam sibi gladiũ porrigentem pro victoria. Sic etiam territo famulo Helisei qui vidit Syros montem circundare in infinita multitudine, oratione facta vt oculi famuli aperirentur, vidit idem montem plenum equorum & curruum igneorum in circuitu Helisei, vnde & dixerat: Noli timere, plures enim nobiscum sunt, quàm cum illis. iiij. Reg. vj. Similia legimus de visis armatorum exercitibus in aëre ante euersionem vltimam Hierosolymorum factam per Titum & Vespasianum. Nam Iosephus lib. 7. de bello Iudaico dicit de eodem. Supra ciuitatem sidus stetit gladio simile, & per annum perseuerauit cometes. Ante solis occasum visi sunt * in aëre ferrei currus totis regionibus, & armatæ acies circunfusę, & plura ibi ponit similia. Similiter ante effusum sanguinem Christianorum tempore Gothorum vel Lõgobardorum in Italia visæ sunt præfatę acies, vt refert beatus Gregorius in homilia super illud Lucæ xxj. Erunt signa in sole & luna. Priusquam, inquit, Italia

2 Mach. 10.

rest. ex script. pro Israelis.

Ioseph. l. 7 de bello Iud. c. 12.

orig. per inane ferri.

Gregor. hom. 1. in Euang.

lia gentili gladio ferienda traderetur, igneas in cælo acies vidimus, ipsum, qui postea humani generis fusus est, sanguinem, * coruscantem. Ex quibus iam liquet exercituum apparentias Dei nutu futura guerrarum mala præferrẽ, vt his aut spes victoriæ apud eos qui meruerunt, acquiratur; aut à malignis hominibus pœna diuina agnoscatur; aut apud bonos & innocentes patientię scutum cõtra infausta arripiatur, quæ omnia Dei munera sunt à thesauro diuinæ prouidentiæ huic mundo transmissa. Præterea eo tempore quo regno Bohemiæ & adiacẽtibus sibi partibus per diuersarum sectarum tam in fide, honore, & rebus, ac hominum cædibus iactura grauissima imminebat, proüt multis Germanię episcopis pręsentibus in Nurenberga à domino Petro episcopo Augustensi viro fidedigno audiui, circa metas regni præfati nocturno tempore versus vallem quandam auditi sunt clamores, & congressiones equestriũ virorum. Induti variis coloribus visi sunt sæpius. Quidam enim equorum insessores rubeis, alij nigris, & similibus erant induti coloribus. Stupebant ex his plurimi, & diuersi variè hæc interpretabantur. Fuerunt protunc duo armigeri audaces satis in castro non multum distanti à loco monstrorum, qui omnino scire volentes quid veritatis sibi visa prætenderent, nocte quadam versus vallem vbi solita videre conspexerunt, iter arripiunt. Antequam autem his appropinquare auderent, compunctus vnus dixit alteri. Sufficiat nobis ista vidisse, ego his non approximabo, dictum est veterum: cum talibus nullum debere iocari. Quem alter velut pauidum increpans, equum pupugit, & cum eo congressu omnibus antedictis exercitibus appropinquauit, de quibus vnus egrediẽs caput audaci illi amputauit, & ad suos redijt. Quo viso,

orig coruscantes.

In quem finem appareant exercitus cælestes.

Nocturnæ congressiones equitũ in finibus regni Bohemiæ, ad quas miles quidã temerariè appropinquãs mox decollatur.

Cum portentis non iocãdum.

viso, illę qui timidus substiterat fugam inijt, & funesta noua nunciauit. In crastino autem truncatus reperitur, & caput, sed in valle vbi acies visa fuerant nullius hominis, vel equi vestigium repertum est, sed tantummodo in lutosis locis signa quędam, & vestigia auium visa sunt. Præterea pictorẽ quendam in ecclesia nostra Columbariensi laborantem habuimus, infirmitatibus tribus læsum. Nam in colore, mortuo videbatur similior quàm viuenti, semisurdus fuit auditu, & multum in lingua balbutiens. Quas infirmitates cùm audissem sibi per quoddam phantasma inflictas, à pictore quę sequũtur ipse audiui. Cùm, inquit, iunior in taberna cum socijs versus noctem conuixissem, nocte tetra solus iter arripui accinctus gladio, & versus villam aliam (quam mihi nominauit) properaui. Visum est autem mihi cùm essem inter vineas quædam terribilia obuiare, non in ipso itinere, sed prope viam, quo facto de itinere salij, gladium eduxi, & versus locum phantasmatis iuuenili fatuitate, & vini calore animatus percussi in incertum. Cùm autem neminem viderem, in ipso ictu, aërem, nescio quem, me pertranseuntem sensi, quo statim infectus, quas in me videris infirmitates trinas contraxi. Tempore etiam quo sacri imperij electores in causis fidei pro bonis regni Boemiæ dietam in Nurenberga celebrarent, conuenerunt in eadem materia quadam die simul vno in commodo vel conclaui multi episcopi, & tam sacræ paginæ, quàm canonici iuris quidam doctores. Ibi enim Archiepiscopus Maguntinus fuit, episcopi Herbipolensis, Augustensis, & si bene memoror, Bambergensis, & ego inter hos inferior & minimus. Seclusis igitur secularibus post finem tractatus fidei, dominus Maguntinus, de quo præmisi, vir magnę industrię, & fide dignus, coram præfatis,

Pictor noctu in phãtasma gladio irruere volens triplici infirmitate percutitur.

præfatis, quod sequitur, recitaui. Nominauit enim nobis quēdam Rheni sibi bene notū militem, cuius protunc filius viuebat, qui miles super omnes penè inferioris Alemaniæ nobiles semper extiterat, minus in rebus bellicis imperterritus; gerebat autem, & patiebatur nonnunquam propter suam animositatem vel fortitudinem ab alijs graues guerras, propter quas nō semper de die, sed nocturno tempore ad loca sibi commodosa equitare solebat. Hic igitur quadam nocte coassumptis famulis per siluam circa Rhenum equitare voluit, & principium eiusdem intrauit. Antequam verò finem siluæ haberent, vltra quam campus latus iacebat, prout moris est eorum qui verentur insidias, præmisit famulum, vt in termino siluæ videret annè in campo insidiæ aliquæ essent, luna enim splendente, vel astris lucentibus hæc videri poterant. Famulus igitur cùm per arborum ramos exploraret commissum, vidit per campi longitudinem exercitum satis mirabilem appropinquare in equis. Quo viso, considerata nunciauit militi, qui ait. Stemus ad modicum, quia verisimile est, pro huius exercitus posterior custodia subsecuturos alios, ad hos properabimus, & an inimici sint qui præcesserunt, an amici experiemur, nec paucos timebimus. Deinde morula transacta de silua cum suis miles recessit, in campum venit, & neminem, nisi quendam equestrem in equo sedentem, & in manu alium ducentem equum eminus sequentem suos, intuitus est. Ad hunc cùm miles venisset, quis esset quęsiuit in hæc verba: Nunquid tu cocus meus es? ita enim sibi à longinquo videbatur: paulo etiam anteà cocus eiusdem militis vita functus fuerat. Qui respondit. Sum domine. Quid (ait miles) hic facis? & qui sunt hi qui præcesserunt? Cui

Nobilis quidā nocturnos reperit exercitus & à coco suo defuncto ex Germania Hierosolymam vna die deducitur & reducitur.

defunctus respondit. Domine hi qui præcedunt, sunt nobiles & armigeri tales & tales (multos enim nomine expressit proprio) quos oportet, & me cum eis, ista nocte esse Hierosolymis, quia hæc pœna nostra est. Et miles iterum. Quid sibi vult equus iste quem ducis nullo insidente? Ad vestrum, respondit, obsequium erit, si mecum ad terram sanctam venire velitis. Securus estote, per fidem Christianam recedendo, & reuertendo vos viuum reducam, si meis obtemperabitis monitis. Tunc miles ait: Diebus meis mira attentaui, his hoc addam etiam mirabile. Dissuadentibus igitur illud famulis, de equo proprio miles prosilijt, defuncti equum ascendit, & ab oculis famulorum vterque equester substractus est. Sequenti autem die famulis iuxta condictum expectantibus, miles & defunctus redierunt ad locum vbi primum conuenerant. Tunc defunctus militi ait. Ne phantasma omnino fictum illa fuisse credatis, duo, quæ vobis do rara, reseruate in mei memoriam, vnde protulit mappulam paruam de salamandra, & cultellum in vagina. Primum, inquit, cum inmundum fuerit, igne purgate, nec ei nocebit. Alterum cautè tractetis, quia ab eo vulneratus, intoxicatus erit. Et ita defunctus ab oculis militis euanuit. Ex his prudens lector colligere poterit, nocturnos exercitus nonnunquam videri à bonis & à malis. Qui autem latius de talium natura scire cupit, legat deinde domini Guillelmi Parisiensis partem vltimam de vniuerso, & me ab eiusdem sententia declinasse non videbit. PIGER. An animæ defunctorum sua exeunt receptacula, & si sic, quæ hoc facere possint, & etiam quis præfatas apparitiones faciat bonus, vel malus angelus quæro? THEOL. Sanctus doctor tibi desuper respōdet in iiij. distinct. xlv. q. j. sic dicens, sed pondera verba

Dona à spectro militi donata.

Præcipuè c 12. 21. & 22.

An defunctorũ animæ sua exeãt receptacula.



verba, quia grauida sunt sententijs. Secundum, inquit dispositionem diuinæ prouidentię aliquando animæ separatæ à suis receptaculis egressæ conspectibus hominum præsentantur, sicut Augustinus probat libro de cura pro mortuis, & de bonis exemplificat; vt de sanctis in cœlo. Et hoc etiam credi potest, quod aliquando de damnatis cótingat; quod ad eruditionem hominum & terrorem permittuntur viuentibus apparere: aut etiam ad suffragia expetenda, quantum ad illos qui in purgatorio detinentur; vt per multa exempla patet quarto libro dialogorum beati Gregorij. Nam glorificati quãdo volunt, sed alij non nisi quando permittit deus, nobis apparere possunt; quia ita sunt pœnis oppressi, vt de sua miseria magis doleant, quàm curent viuis apparere; & quamuis aliquando animæ sanctorum, vel damnatorum præsentialiter assint, vbi apparet, non tamen credendum est hoc semper accidere. Aliquãdo huiusmodi apparitiones fiũt vel in dormiendo, vel in vigilando operatione bonorum, vel malorum spirituum ad instructionem, vel deceptionem viuẽtium. Sicut etiam & viui homines aliquando alijs apparent, & eis multa dicunt in somnis, cùm tamen constet eos non esse præsentes; sicut Augustinus per multa exempla probat libro de cura pro mortuis agenda. Hęc de Thoma.

Thomas in 4 dist. 45. q. ar. 1.

Cap. 16.

cap. 11.

Vnde proueniant inquietudines nocte in quibusdam domibus: exempla ponuntur. Et quomodo fiunt possessiones hominum a dæmonibus, ac de sex causis quare quidam non liberantur.

CAPIT. II.

F*Ormicæ quæ domos ædificant extra solitudines prope homines, vel bestias, deuastationes sæpe patiuntur.* Nam modò hominum curiositate, modò pecudum conculcatione, nunc canum inuestigatione, nunc etiam auium comestione, & alijs diuersis deturbationibus in mundo, vel prope mundum nidificantes inquietantur: eisque accidit sicut grano illi quod secus viam cecidit, & venerunt volucres & comederunt illud Matthæi xiij. Venit enim malus, id est, diabolus, dicit glossa, & rapit quod seminatum est in corde eius. Hic est, scilicet ager, qui seminatus est secus viam: ita exponit ipsa veritas Christus. Memorandum est in proposito verbum allegatū beati Gregorij. xxxj. moral. suprà lib. iiij. cap. v. quo dicit super isto: Strutio obliuiscitur quod pes conculcet oua, aut bestia agri conterat ea. Quid, inquit, in pede, nisi transitus operationis accipitur? Quid in agro, nisi mundus iste signatur? de quo in euangelio dominus dicit. Ager autem est mundus. Quid in bestia, nisi antiquus hostis exprimitur? qui huius mundi rapinis insidians humana quotidie morte satiatur?] Possunt autem per formicas istas quæ stultè domū prope hostes collocant, hi homines intelligi, qui domum & habitationē propriam contra insidias diaboli ecclesiasticis cæremonijs nō studiosè muniunt. Nam aqua benedicta omni die dominica (prout ipse exorcismus notat) in habitationibus fideliū adeberet spergi, & sal exorcisatum protunc fideliter sumi, se & sua manè, & sæpe quisque fidelis crucis charactere insignire, & à peccatis præsertim grauibus se immunem custodire, angelumq; proprium sæpe pro tutela inuocare cum diuino auxilio. *PIG.* Iam conijcio vnde fortassis quibusdam plaga quædam venit vt in eorum habitationibus dæmonum tumultus sæpe inquietudines

Glos. interl.

Iob 39. Gregor. l. 31. Moral. c. 7. alias 8. Mat. 13.

Quomodo se contra insidias diaboli debeat quisq; munire.

nes ponant admirandas. *THEOL.* Hæc multis ex causis permittit dei iustitia, aut misericordia, non tamen semper ex omissione alicuius de prętactis circunstantijs, sed aliquando pro merito acquirendo patientię. De primo sume taliusmodi exemplũ. In minore Basilea, paulo ante præsens generale concilium, domicilium habuit quidam vir de mala vita, & fortè de maleficijs satis suspectus. Filiam hic habuit, quam in domo iuueni cuidam nuptui tradidit, & tandem senex pater ægrotare cœpit, ad filiamq; & ad filiastrum demonstrato quodam scrinio dixit: Hoc, ait, vasculum nō moueatis; alioquin pœnitentia ducemini, sed in loco stare permittite post meum decessum. Et ita in breui vetulus expipirauit. Transacto autem tempore plurimo, nec filia, nec eius maritus magni pendit patris iussum, sed de domo priori, in aliam domunculam se transferentes, scrinium, quod satis modicum fuit, portauit extra domum versus nouum hospitium, sed in ipso itinere tanti ponderis esse cœpit, vt in ipso viriles artus deficerent, & exinde vxorem pro adiutorio inuocauit. Hæc autem vxor an postmodum in domo scrinium aperuerit, vel quo alio modo incautè se circa vas habuerit, obliuioni tradidi, vnum constat, quod in domum nouam cum infantulo quem genuerant parentes prædicti venerunt. Et ecce subitò vxor velut rabida super cunas infantis irruit, eum necare volens. Quod maritus intuens, vi vxorem inuasit, & eam à dęmone obsessam esse didicit, qui cum exorcisaretur, minatus est dæmon se non exiturum, nisi eam necaret; & ita factum est super exorcistæ manibus. Altera die maritus per viam stratæ incedens publicæ, casum lapidis recepit inopinatissimè de superiori parte cuiusdam canalis cadentis, & in facie, cooperatione, vt videbatur, dæmonis

Varia causa cur permittat deus inquietudines dæmonum.

Quomodo dæmon scrinio quodam moto plurimum nocuerit.

Dæmon duas sorores virgines infestat.

monis percussus est tam deformiter, vt homo vix videretur esse. In Argētinensi diœcesi duæ sorores vna cohabitabant domo, senior Margareta; iunior verò Barbara vocabatur; senior matura, deuota, & experta satis erat, & ambæ castitatis propositum habuerunt, & ideo hostem eis insidiantem dęmonem palam & clam multis annis sustinuerunt. Nam aliquando per vocem serpentis iuniorem dæmon sequebatur vbi incessit in domo, aliquando versus aures sibi clamitabat, nonnūquam sonitus, & strepitus terribiles faciebat quousque extranei etiam talia perciperent qui domum eandem intrauerant gratia alicuius operis expediendi. Appropinquabat post tres circiter annos festum omniū sanctorum, † super quo senior, quæ valde deuota fuit, confiteri volebat. Hanc dū sacerdotē in ecclesia vellet accedere gratia confitendi, quidam malignus spiritus impulit ictu quodam tam valido, vt ferè ad terram caderet, nec tamen virgo à proposito destitit, sed postmodum confessa est, non curans impulsum dęmonis, quem tamen grauiter senserat. Infra modicum tempus postea sub specie magnæ muscę venit aliquotiens dæmon auribus se appendens iunioris; aliquando per dorsum eius extrinsecus; aliquando vero capiti insidebat, & quandocunque sibi appropinquare voluit, prius ad spatium modicum sonitu quodam signum dare solebat sui aduentus. Tādem cūm iunior quadam nocte in ira notabili se ad lectum posuisset, ob quam causā nescio, venit more solito dæmon, qui virginem possedit & in capite tam validè pressit, vt putaret se perdidisse vsum rationis. Hoc autem cōiacenti sibi sorori indicauit, sed illa eam iuuare de cætero non valebat. Nihil præterea post hanc obsessionem inquietudinis auditum est in domo, sed in vigilia Paschæ, & in sacris

† i. in quo, phrasi Germanica.

Iunior virgo irata notabiliter ad lectum se conferens à dæmone læditur & possidetur.

noctibus

noctibus sequentibus iuuenis crudeliter à dæmone vexabatur. Hæc cùm ad me deducta esset (semper enim vtebatur ratione) adhortatus sum, vt confiteretur mihi sacramentaliter, quod cùm prompto animo & deuoto incepisset, ita dæmon se eius immersit faucibus, vt nullatenus loqui valeret concepta. Probabam autē postea per certa verba an aliqua lateret fictio feminea, sed luce clarius diabolum in ea intuebar certis ex signis. *PIG.* Scio per exorcistā tētatum fuit quicquid circa eam fieri potuit vt liberaretur, & tamen non fuit liberata à dęmone protunc, quæ ergo causa huius fuit? *THEOL.* Sex ex causis aliquis nō liberatur. Aut propter paruitatem fidei offerentium: aut propter peccata dæmonium sustinentium: aut propter accōmoda remedia adhibere negligentium; aut propter exorcistę aliquod in fide vitium: aut propter reuerentiam virtutum in alio existentium. De primis duobus habes exemplum Matth xvij. & Mar. ix. in patre vnici filij sui lunatici, & discipulorum Christi præsentia. Primo enim offerens, & turba fide carebat. Vnde pater cum lachrymis orauit. Credo domine, adiuua incredulitatem meam. Et ad turbam Iesus ait. O generatio incredula, & peruersa, quousq; ero vobiscum? De secundo videlicet de sustinente dæmonium, Iesus increpabat eum, scilicet filium, quia, vt beatus Hieronymus ibi dicit, propter peccata sua à dæmone fuerat oppressus. De tertio, de neglectu debitorum remediorum patet, quia non fuerunt præsentes boni & perfecti viri. Vnde Chrysostomus ibi dicit: Columnæ fidei non aderant] videlicet Petrus, Iacobus, & Ioannes, sed in transfiguratione Christi iam præsentes erant, nec oratio & ieiunium aderāt, sine quibus (Christus ait) hoc genus dęmoniorū non exijcitur. Vnde Origines ibi dicit, Si aliquan-

Sex causæ cur possessi interdum non liberantur. Sexta habetur infra cap. 6

Marc. 9.

Mat. 17.

Hieron. in c. 17. Matt.

Chrysost. ibidem.

Orig. ad .17 Mat. Si aliquando oportuerit nos circa curationem tale aliquid patientium permanere, non *admiremur, nec interrogemus, nec loquamur quasi audienti spiritui immundo, sed abigamus ieiunijs & orationibus spiritus malignos] Et glossa dicit: Hoc genus dæmonij, id est ista carnalium voluptatum mutabilitas, ad quam scilicet, spiritus ille inclinabat, non vincitur, nisi spiritus oratione confirmetur, & caro per ieiunium maceretur.] de quarto, exorcistæ vitio præsertim in fide, patet ibidem de Christi discipulis cōpræsentibus. Vnde postea secreto discipulis quęrentibus causam suę impotentiæ, respondit: Propter incredulitatem vestram. Amen dico vobis, si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic, transi, & transibit. Vnde Hilarius; Crediderunt quidem apostoli, nondum tamen erant perfectæ fidei. Nam domino in monte demorante, & ipsis cum turba residentibus, quidam tepor eorum fidem relaxauerat.] De quinto patet in vitas patrum, vbi legimus aliquando obsessos non liberatos per sanctum Antonium, eius discipulū Paulum liberasse. De sexto patebit infrà vbi de maleficiatis habebimus. *PIG.* De inquietantibus domos da exempla. *THEOL.* Vix iam decem sunt anni transacti, quod in ciuitate Nurenbergensi monasterium nostri ordinis sanctæ Catharinæ dictum, cum extrema difficultate reformabatur per vndecim illuc transmissas deuotas reformatrices ab alio reformato loco. Fuerant enim omnes sorores in dicto monasterio ad reformationem inuoluntariæ, & pro se complices sibi in ciuitate non paucos habuerunt. Postquam igitur locus regulariter clausus est, & ceruicosa gens sexus fragilis colla iugo submisit obedientiæ, venit in monasterium quidam dæmon, qui primum sonitibus nocturnis insolitis moniales

orig. adiuremus

Gloss. ord.

Mat. 17.

Hilar. cā. 17 in Matt.

Vita Patr. car. 1. in vita Pauli simpl. cap. 6.

De reformatione huius monasterij habes suprà l. 3. c. 3.

Monasterium fe-

niales quasdam infestabat. Quod cùm ad me venit persuasi vt talia non crederent esse à dæmone, sed à murilegis & gliribus, vel ex debilitate capitis, quia deliramenta suspicabar affuisse mulierum. Altera nocte venit dæmon, & vnam de his quæ rebelles extiterant, vt puto sacristanam matutinas pulsare volentem ita compressit vt eadem die putaretur sepulturæ tradi debere, & tandem tam de die, quàm de nocte sic inquietabat conuentum præfatus dæmon, vt per totam noctem oporteret per vices custodias vigilãtium sororum ponere, quia nulla audebat sola incedere. Fuit autem totus stupidus effectus sexus mollis & femineus, ita vt neq; ego scirem quid cum eis essem facturus. Tamen orationes priuatas singulis iniunxi & publicas, patientiam habere prædicaui, & vt in domino confiderent sæpe suasi. In prefato verò opere, licet dæmonis malitia aliquid acquireret, (quædam enim dixerunt: Ecce quando latam viam & antiquam ambulauimus hæc nobis nunquam acciderunt) sed tamẽ per dei gratiam diabolus plus perdidit hoc in ludo, quã acquisierit; Quia quædam ceruicosæ feminæ quas ad plenum pietas reformatorum non valebat trahere, hoc phantasma adeo terruit, vt totius vitæ suæ facinora confiterentur sacramentaliter, vestes veteres deponerent, & nouas secundum ordinis formam induerent, & in aliam vitam nouam se transformarent. Hoc cum dæmon videret, tandem per dei gratiam resipuit, & nescio quô deuenit. Tempore Constantiensis concilij in curia sororum deuotarum quæ canonissæ regulares sunt, & vocantur monasterij Pilluruet, prope Nürenbergam Eistetensis diœcesis quidam spiritus nocturnis temporibus multos inquietare solebat, sed monasterium sororum ab intra nullatenus perturbabat. In domo

minarũ antea dissolutum à dæmone vexatur, & quis inde fructus

m. destitit.

Monasterium Canonissarũ Regularium dæmon infestat.

domo verò capellani, & locis eidem conuicinis molestus multis extitit quibusdam strepitibus, & sibilis, ac pulsibus non multum excellentibus, sed manifestis. Aliquando enim ad parietes percutiebat, aliquando verò ioculator varias mimorum fistulas, vt videbatur, flabat, & talia non nociua multum gestiebat. Quidam interea frater de conuentu Nurenbergensi deuotus, mihi notus circa festa quędam petitus est, vt capellanum in diuinis iuuaret, qui cum in superiorem partem domus poneretur, & spiritum ignoraret, nocte phantasma sensit quod sibi tunicam, quam circa se positam habuit, abstraxit. Et exinde frater clamare cœpit. Fures fures, succurrite homines. Hoc campanarius qui in eadem domo iacebat audiuit, & negotium intellexit, lumē accendit, & clamantem adijt, eumque stupidum reperit, & vestimenta quibus tectus fuerat† distincta vidit per spiritum in camera: scapulare autem fratris nullibi reperire potuerunt, quousque tandem foramen quoddam satis paruum in pariete conspexerunt. In illud enim spiritus ille scapulare strictissimè conuolutum & glomeratum absconderat. Finito verò anno vno, aut circiter phātasma illud abscessit. *PIG.* Quales, quęso, mihi dictas illi spiritus sunt, qui sic inquietant homines? an animæ sunt separatæ, vel maligni spiritus dæmonum?

Deuoto fratri dæmon nocte subtrahit tunicam & scapulare eius includit in arcto foramine.

† f. distracta vel dispersa.

THEOL. Proùt ex fine precedentis capituli elicere potes, animę non sunt verisimiliter, sed omnino dęmones, qui in multiplici sunt differētia. Nam quidam neminem possunt lædere, grauiter saltem, sed solùm principaliter ioculationes exercent. Alij incubi sunt, vel succubi premētes nocturno tempore homines, vel peccato luxuriæ coinquinātes eos: alij verò sunt qui homines lacerandi, vel necandi habēt potestatē. De quibus ita dicit Cassianus collatione

Differentia multiplex dæmonum.

latione Sereni] Tot esse immundos spiritus, quot in hominibus studia non dubiè cõprobantur. Nam nonnullos eorum, quos etiam * paganos vulgus appellat, ita seductores & ioculatores esse manifestum est, vt certa quæque loca, seu vias iugiter obsidentes, nequaquam tormentis eorum, quos prætereuntes * poterunt decipere, delectentur, sed de risu tantummodo, & illusione contenti fatigare eos potius studeant, quàm nocere. Quosdam verô solummodo innocuis incubationibus hominum pernoctare. Alios ita esse furori ac truculentię deditos, vt non sint contenti illorum tantummodo corpora, quos suppleuerint atroci dilaceratione vexare, sed etiam irruere super eminus transeuntes, atque affligere illos seuissima cęde festinent: quales illi in euangelio, videlicet Matthæi. 8. describuntur.] Similia dicit Guillelmus vbi supra de vniuerso.

Cassian. coll. 7. quæ est 1. abb. Sereni c 32.
orig. Faunos.
orig. potuerint.
Guil. Paris. par. vlt. de vniuerso.

Hyems & frigus quid significent. De septem maleficorum exercitijs. Quomodo comedant pueros, quomodo artem istam profiteantur, & an maleficium sine peccato possit tolli.

CAPIT. III.

F*Rigus graue ouis formicarum superueniens prolem impedit, aut nasci retardat, vel in toto necat.* Nimium enim algor, & frigoris magnitudo vitam adimit viuentibus, & viuificandis sæpe nocet. In frigore autem malorum corda intelligi possunt, quæ calorę charitatis, & à sole iustitiæ aliena, sed torpore malitię, vel perfidiæ sunt plena. Quo contra de forti muliere Prouerb. vltimo dicitur. Non timebit domui suæ à frigoribus niuis. Vbi glossa. Frigora niuis

Glos ord.

niuis sunt corda malorum perfidię torpore algentia, de quibus dicitur, videlicet Matth. xxiiij. Quoniam abundauit iniquitas, refrigescet charitas multorum. Quæ corda niue illa opprimuntur quæ ob superbiam de cœlo corruens in tenebras, ad huc se velut angelum lucis ostētare præsumit, & habitum niueum præfert, quod dei & angelorum eius proprium est, scilicet niueo habitu suæ virtutis claritatem signare. Non timebit autem domui suæ à frigoribus niuis hęc mulier, quia credidit deo dicenti, quod portæ inferi nonpræualebunt aduersus eam. Omnes enim domestici eius vestiti sūt duplicibus, sapientia scilicet, ad hæreses reuelandas, & patiētia, ad tolerandas apertorum hostium pugnas. Vel vestiti sunt duplicibus, quia promissionem habent vitæ quæ nunc est, & futuræ: nunc adiuti à deo ne deficiant, tunc autem in beatitudine diuina visione ditati. Item vestiti sunt duplicibus, vna veste corporis, altera mentis, fide scilicet, & factis: sacramentis quoque redemptoris imbuti & exemplis. Hæc in glossa. Per frigus igitur, quod prolificationi formicarum est nociuum, maleficorum superstitiones accipere possumus. Maleficus enim dicitur quasi malè faciens, vel malè fidem seruans: & vtrumque in maleficis qui superstitiosis operibus proximum lædunt satis reperitur. *PIG.* Superstitionum ex beato Isidoro scio multæ sunt species: sed quia de maleficis mentionem fecisti, quot modis nocere posint proximis nunc edicito. *THOL.* Septem mihi modi occurrunt quibus ex parte eorum quæ sunt hominis nocere possunt, sed nunquam nisi deo permittente. Neque eo quo nocere dicuntur tēpore actionem vel pasionem per se immediatè inferunt, sed per verba, ritus, vel facta quasi per pacta inita cum dæmonibus lædere dicuntur. Nam potius dæmones hæc & immediatè læsiua inferunt. Vnus igi-

vt patet. de angelis in resurrectione domini apparentibus.

rest. ex or. pro operis.

Septem modi quibus malefici nocere solent.

tur modus eſt, quo amorem malum ingerunt viro alicui ad mulierem aliquam, vel mulieri ad virum. Alius eſt, quando odium vel inuidiam in aliquo ſeminare procurant. Tertius eſt in his qui maleficiati dicuntur, ne vi generatiua vti valeant ad feminam, vel vice verſa femellæ ad virum. Quartus modus eſt, cum in mēbro aliquo hominem ęgrotare faciunt. Quintus, cùm à vita priuant. Sextus, quādo vſu rationis aliquem priuant. Septimus, cum quocunque prædictorum modorum aliquem in ſuis rebus vel animalibus lædere quærunt cum effectu. *PIG.* Peto de his funditus omnibus informari, quia quidam talia aut negāt omnino, aut cauſis naturalibus ſolùm aſſcribunt, aut in parte non ea concedunt. *THEOL.* Funditus noſcere talia ad modicum vtile eſſet, immo fortè quibuſdam noceret, oporteret enim prohibitos inſpicere libros, vel ſuperſtitioſa aliqua, quæ *otioſum eſſet in tāta temporis egeſtate perlegere; nec opus eſt ſcire talia latè, tibi preſertim, qui ex conditione ſtatus ad id non obligaris. Veruntamen exempla tibi tradam, & doctrinas aliquas petito tuo accommodas, quas habeo partim à doctoribus noſtrę facultatis, partim etiam per experientiam cuiuſdam probi iudicis ſecularis, & fide digni, qui quæſtionibus, & faſſionibus, ac publicis experientijs, & priuatis talia multa didicit, cum quo latè, & profundè ſæpe contuli, domino Petro, videlicet ciui Bernenſi in Lauſanenſi diœceſi, qui multos vtriuſque ſexus incinerauit maleficos, & alios fugauit è territorio dominij Bernenſium. Contuli inſuper etiam cum domino Benedicto monacho ſancti Benedicti ordinis, qui licet modo ſit religioſus multùm Vviennæ in reformato monaſterio, tamen ante decēnium adhuc in ſeculo degens, fuit necromanticus, ioculator, minus,

in conſcientioſū.

hoc anno percepi, quod in Lausanensi ducatu quidam malefici proprios natos infantes coxerant, & comederant. Modus autem discendi talem artem, fuit, vt dixit, quod malefici in certam concionem venerunt & opere eorum visibiliter dæmonem in assumpta imagine viderunt hominis: cui discipulus necessariô dare habebat fidem de abnegando Christianismo, de Eucharistia nunquam adoranda, & de calcando super crucem vbi latenter valeret. Fuit insuper fama communis, dicto Petro iudice mihi referente, quod in terra Bernensium tredecim infantes deuorati essent intra pauca tempora à maleficis, quamobrem etiam publica iustitia satis durè exarsit in tales parricidas. Cùm autem Petrus quæsiuisset à quadam capta malefica, per quem modum infantes comederent. Illa respondit. Modus iste est. Nã infantibus nondum Baptisatis insidiamur, vel etiam Baptisatis, præsertim si signo crucis non muniuntur, & orationibus, hos in cunabulis, vel ad latera iacẽtes parentum cæremonijs nostris occidimus, quos postquam putantur oppressi esse, vel aliunde mortui, de tumulis clam furto recipimus, in caldari decoquimus, quousq; euulsis ossibus tota penè caro efficiatur sorbilis & potabilis. De solidiori huius materia vnguẽtum facimus nostris volũtatibus, & artibus, ac transmutationibus accommodum; de liquidiori verò humore flascam, aut vtrem replemus, de quo is qui potatus fuerit, additis paucis cæremonijs, statim conscius efficitur & magister nostræ sectæ. Modum autem eundem alius iuuenis maleficus captus, & incineratus, tandem licet (vt credo) verè pœnitens, distinctius reserauit, qui manus dicti Petri iudicis, vna cum vxore malefica impersuasibili paulô antea euaserat: In Bernensium namque iudicio captus dictus iuuenis

Malefici proprios infantes coquunt & comedunt.

Modus discendi hanc artẽ. Vide maleficorum impietatem in exordio suæ initiationis.

Modus execrabilis quo infantes occidunt & comedũt. & quo impiam hanc artem ad discunt.

cum

talia consentire. Aut tolli potest sine nouis superstitionis operibus, vt per motum localem, velut dictum fuit de puluere lacertæ, & illud est licitum. Exemplum de priori casu. Nam inquisitor Eduensis mihi referebat, quod modus tollendi maleficiũ, aut se vindicandi in malefico talis practicabatur suo tempore. Venit enim aliquis læsus in se vel in suis ad maleficam, sciscitans scire malefactorem. Tunc malefica plumbum liquefactum aliquotiens fundebat in aquam quousque opere dæmonis in plumbo imago aliqua videretur, qua visa imagine, malefica quæsiuit ab explorante. In qua parte vis lædi maleficum tuum, & in eodem vulnere eum agnoscere? Cumque explorator locum eligeret, statim malefica in eadẽ parte imaginis, quæ in plumbo relucebat, fixuram vel vulnus per cultrum posuit, & locum vbi reum inueniret indicauit, nomen tamen nullatenus manifestauit, sed experientia teste, maleficus per omnia lædi reperiebatur, sicut sua imago plumbea.

Modus cognoscendi maleficiũ illicitus.

Necromantici qui sint. Quomodo à dæmonibus malum aliquando precium recipiunt. Quomodo diuinitus maleficia impediũtur, & quomodo tempestates concitant.

CAPIT. IIII.

A*Lis carentes formicæ, vel nimium progredientes in publicum, ab alijs bestijs faciliter necantur:* quia alis pennatæ multum se subleuant, ne bestijs terræ præda fiant. Per alas autem virtutes intelliguntur, quia talibus in altum multũ boni feruntur. Vnde Ezech. iij. descriptis volantibus animalibus

 dicit:

tamen vsus necromantici dicuntur, qui per pacta dæmonum per fidem cæremonijs futura prædicunt, aut occulta reuelatione dæmonum aliqua manifestant, aut qui maleficijs proximos lædunt, & à dæmonibus sæpe læduntur. Fuit, & hodiè viuit Vviennæ in monasterio quod ad Scotos dicitur, frater, de quo præcedenti capitulo retuli sancti Benedicti ordinis. Hic in sæculo existens famosissimus fuit necromanticus, nam libros dæmonum de necromantia habuit, & secundum eosdem satis miserabiliter, & dissolutè vixit plurimo tempore. Habuit autem sororem virginem deuotam multũ de ordine pœnitentium, cuius, vt puto, precibus frater à faucibus dæmonis erutus est. Compunctus enim ad diuersa loca diuersorum reformatorum monasteriorum venit, petens sibi sanctæ conuersationis tradi habitum. Sed quia giganteæ staturæ, & terribilis aspectu erat, & in maleficijs, ac ioculationibus princeps aliorum, fidem vix aliquis viro dabat. Tandem autem receptus in antedicto monasterio, in ipso ingressu nomen mutauit, & vitam: Benedictus enim vocari cœpit, & secundum beati patris Benedicti regulam adeo profecit, vt infra paucos annos speculum religionis effectus, in prioratus poneretur officium, & in ambone pro sæcularibus † profectus gratiosus est prędicator factus ad populũ. Hic cum adhuc esset nouitius (prout eo referente audiui) multas vexationes à dæmonibus, quos reliquerat, sustinuit. Cùm enim cõfessus fuisset sacramentaliter quadam die, & virus suæ peruersæ vitæ euomuisset ob spem veniæ, sequenti nocte lucernam in manibus deferens dæmonem adesse sensit. Eandem namque lucernam violento ictu de nouitij manibus dæmon excussit, & eum non modicum fœdere molitus est. Sed vicit Christi-

Quid ex communi vsu.

Necromanticus conuertitur, & fit monachus S. Benedicti

f. prefectus.

 miles

miles huius vrsi tyrannidem, quia virtutum alas iam assumpserat, quibus per orationes sacras ab ore bestiæ liberatus est. Preterea quemadmodum à supradicto Petro iudice audiui, in territorio Bernensium & in locis eidem adiacentibus à sexaginta circiter annis suprafata maleficia à multis practicata sunt. Quorum primus auctor fuit quidam Scauius dictus, qui publicè de hoc gloriari audebat, quod quandocunque vellet, ipse se in omnium suorum æmulorum oculis velut murem facere valeret, & dilabi à manibus inimicorum suorum lætalium, & ita capitalibus inimicorum suorum manibus sæpe, vt dicitur, euasit. Sed cùm terminum suæ malitiæ diuina iustitia facere voluit, tãdem per hostes suos in stuffa quadam prope fenestram quandam sedere explorabatur cautè. Quo in loco cùm nullum de sibi insidiantibus suspectum haberet, per fenestram gladijs & hastis inopinatè transfixus est, & ob sua facinora mortuus ibi miserabiliter. Hic tamen suæ fraudis commenta discipulo qui Hoppo vocabatur reliquit. Et idem supradictum Staedelin in maleficijs magistrum fecit. Sciuerunt hi duo quando sibi placuit tertiam partem fimi, feni, vel frumenti, aut cuiuscunque rei de vicini agro, nemine vidente, ad proprium agrum deferre, grandines vastissimas, & auras læsiuas cum fulminibus procurare; in aspectu parentum infantes prope aquam ambulantes in ipsam, nullo vidente, proijcere eos, sterilitatem in hominibus & iumentis efficere, in rebus & corporibus proximos lædere, equos sub insessoribus, si strepam ascendenti tenerent, phræneticos facere, de loco ad locum per aëra, vt putabant, trãsmeare, à se cùm capi deberent fœtores pessimos emittere; in se capientium manus & animos tremorem magnum incutere, occulta alijs manifestare, & quædam fu-

Scauius maleficus qui velut murem se facere solebat, vt frustraret manus volẽtium ipsum lædere tandem ex improuiso occiditur.

Mirabilia nocumẽta quæ Hoppo & Stadelein discipuli Scauij in territorio Bernensi intulerũt.

dam fu-

dam futura prędicere, absentia velut præsentia cõspicere, ictu fulminis nonnunquam quem vellent interimere, & multa alia pestifera procurare sciuerunt, vbi & quando dei iustitia hæc fieri permisit. *PIGER:* Duo hîc scire vellem. Primum, vtrûmne dæmones & sui discipuli talia maleficia in fulminibus, grandinibus, & similia quæ dixisti facere possent, de quibus aliqui dubitant. Secundò quæro; Fatebâturne tales miseri per quæ diuina opera in suis machinamentis impedirentur? *THEOL.* Ad primum respondeo, haud dubium possunt, sed non nisi deo permittente. Nam Iob j. & ij. accepta potestate à deo, statim dæmon procurauit, vt Sabbæi quingenta iuga boum & quingentas asinas auferrent, vt deinde ignis de cælo descendens septem milia ouium incenderet, vt Chaldæi per tres turmas trià milia camelorum raperent, vt septem filij, & tres filiæ per vehemẽtem ventum lapsu domus occumberent, & *semper pueri multi, vno dempto: vtque vlcere pessimo corpus sancti viri percuteretur, & vxor & tres amici eius eum vexarent grauiter. Vbi sanctus doctor dicit. Necesse est confiteri, quòd deo permittente dæmones possunt perturbationem aëris inducere, ventos concitare, & facere vt ignis de cælo cadat. Quamuis enim natura corporalis non obediat ad nutum angelis nec bonis nec malis ad susceptionem formarum, sed soli creatori deo, tamen ad motum localem natura corporalis nata est spirituali naturæ obedire. Cuius indicium in homine apparet. Nam ad solum imperium voluntatis mouentur membra, vt opus à voluntate dispositum prosequantur. Quæcunque igitur solo motu locali fieri possunt, hæc per naturalem virtutem non solùm boni, sed etiam mali facere possunt, nisi diuinitus prohibeantur: venti au-

c.d. secũ.

Thom in 1.c. Iob lect. 3.

tem & pluuiæ, & aliæ huiusmodi aëris perturbationes solo motu vaporum resolutorum ex terra & aqua fieri possunt, vnde ad huiusmodi procuranda naturalis virtus dæmonis sufficit. Hæc Thomas. Mala enim quę nostris exigentibus peccatis in mūdo fiunt, deus velut per suos tortores iustè per dæmones solet infligere. Vnde glossa super illo psal. 104. vocauit famem super terram, & omne firmamentum panis contriuit, dicit sic: Hæc mala * immittit deus per angelos malos qui talibus præpositi sunt. Vocat ergo famem, id est, angelum fami præpositum. Hæc ibi. Porrò quo ad secundum dubium, noueris indubiè maleficos multipliciter impediri posse. Nam ita fatebantur multi in torturis, & difficulter quidam, alij verò sponte. Et quantum ex prædicti Petri verbis in summa collegi, quinque sunt per quæ multum impediuntur, aliquando in toto aliquando in parte, aliquando ne in persona hominis fiant, aliquādo ne in suis amicis: videlicet fidē integram, vel dei præcepta in charitate seruantibus; se signo crucis & oratione munientibus; ritus & cęremonias ecclesiæ colentibus; publicam iustitiā bene exequētibus; & Christi passionem verbo vel memoria ruminātibus. De primo & secūdo exēpla talia mihi Petrus, qui suprà, retulit, quæ audierat † de supradictis maleficis. Cùm (inquit) quidam simplex, sed non rectus maleficum me inuocaret, vt inimicum suum vita priuarem, aut in corpore lęderem grauiter fulminis ictu vel modo alio. Vocaui ego magisterulum, id est, dæmonem; qui mihi respondit; quod neutrum facere posset. Habet, inquit, fidem bonam, & diligenter se signo crucis munit. idcirco non in corpore, sed in vndecima parte fructuum suorum in campo (si libet) ei nocere possum. Noui veteranam quandam virginem quæ Seriosa no-

Glos. ord.

* testi, ex orig. pro permittit

Quinque per quæ maleficia impediūtur.

† de, pro, à

Exempl. de 1 & 2.

riosa nomen habuit in diœcesis Constantiensis finibus. Hæc mater omnium in vicinia existens virginum & speculum, ad viuificæ crucis signum, & ad Christi passionem summam gerebat fiduciam, manebat autem in tugurio villagij pauperculi, ipsa voluntate pauper in terra, vbi nonnunquam maleficia satis locum habere dignoscuntur. Huius amicus in pede graui læsus fuit maleficio, à quo nulla arte sanari poterat. Post multa autem incassum adhibita remedia, visitauit prædicta virgo infirmum, qui ab ea petiuit, vt pedi benedictionem aliquam applicaret; Annuit illa, & silenter tantummodo orationem dominicam, & Apostolorum symbolum cum geminatis viuificæ crucis signis applicuit. Tūc statim infirmus curatum se sentiens, scire voluit in remedium futurorum quid carminationis virgo applicasset. Quæ respondit: Vos mala fide, vel debili diuinis & approbatis exercitijs ecclesiæ non inhæretis, & carmina, ac remedia prohibita crebrò vestris infirmitatibus applicatis; idcirco rarò in corpore * & semper in anima per talia læditmini. Sed si in orationum & signorum licitorum * efficacia speraretis, faciliter sępe curaremini. Nihil enim vobis applicui, nisi dominicam orationem, & Apostolorum symbolum, & iam sanati estis. Præterea constat, quòd malefici de ritibus ecclesiæ seruatis & veneratis sua maleficia præpediri fatentur, vt per aquæ benedictæ aspersionem, per salis consecrati sumptionem, per candelarum die purificationis, & palmarum in die palmarum consecratarum vsum licitum, & per similia, quia ad hoc talia ecclesia exorcisat, vt vires dæmonis minuant. De publica verò iustitia hoc omnes malefici qui suprà verbo & experientia testimonium dederunt, quòd in eo ipso quo per reipublicæ iustitiæ officiales capiuntur,

Exemp. 2. & 3.

Virtus signi cruc. orat. Dominicæ, & symboli.

omissum videtur curamini, vel quid simile.

al. efficaciam.

 statim

statim omnis maleficorũ eneruatur potestas. Vnde cùm sæpedictus iudex Petrus antefatum Stadelein capere vellet per suos famulos, tantus tremor manibus eorum incussus est, & corporibus, & naribus illapsus tam malus fœtor, vt se ferè desperarēt an maleficum inuadere auderēt. Quibus iudex ait. Securè miserum inuadite, quia publica tactus iustitia omnes vires perdet suæ nequitiæ, & ita rei probauit exitus, siue effectus. Idem iudex tale dedit exemplum. Cùm, ait, Stadelem captiuassem, qui grandinibus terram & fame grauissimè læserat, & per fulmina plura vastauerat, quæsiuià reo de veritate, qui post quartum ad chordas tractum primò responsum mihi dedit tale. Faciliter grandines procuro, sed ad libitum lædere non valeo, sed eos tantummodo qui dei destituti sunt auxilio; qui signo crucis se muniunt fulmine meo nō interibunt. Cui iudex. Quomodo ad tempestates & grandines cōcitandas proceditis? Respondit reus. Primò verbis certis in campo principem omnium dæmoniorum imploramus, vt de suis mittat aliquem, à nobis designatum percutiat, deinde veniēte certo dæmone, in campo aliquo viarum pullum nigrum immolamus, eundem in altum proijciendo ad aëra, quo à dæmone sumpto, obedit, & statim auram concitat, non semper in loca designata à nobis, sed iuxta dei viuentis permissionem grandines & fulgura proijciendo. Subintulit iudex tertiò quærendo. Possuntne per aliqua tempestates tales remediari à vobis concitatæ & à dæmonibus? Respondit. Possunt, per hæc videlicet: Adiuro vos grandines, & ventos per tres Christi diuinos clauos qui Christi manus & pedes perforarunt, & per quatuor euangelistas sanctos Matthæum, Marcum, Lucam, & Ioannem, vt in * aqua resoluti descendatis. Ex quibus iam liquet,

Exēpl. 4.

Aliudꝫ

m. aquā

iam liquet, quod omnipotentis dei clementia, & sapientia, quæ attingit à fine vsque ad finem fortiter, disponit etiam istorum pessimorum hominum & dæmonum maleficia suauiter, ita vt dum perfidia sua Christi regnum & fidem quærant minuere, & infirmare, eandem in multorum cordibus firment & radicent validius. Vtilitates enim plurimæ fidelibus ex præfatis malis possunt euenire, quia sic fides roboratur, dæmonis malitia inspicitur, dei misericordia, & potestas manifestãtur, homines ad custodiam sui actuantur, & a† d reuerẽdam Christi passionem, & cæremonias ecclesiæ accenduntur. Sap. 8. f. reuerẽdum.

Viscus animæ est delectatio luxuriosa potissimè, Malefici quomodo infrigidant generatiuam, promouẽt ad amorem vel odium, & an in charitate existentes possint maleficiari.

CAPIT. V

Viscosis humoribus & tempestate ab incessu, & à labore præpediuntur. Quia per viscosa incedentes vel bituminosa loca, talibus imbecillia animalia adhærent, sicuti tempestatibus concutiuntur in corpore, & via eis incedendi præcluditur. Per viscosa autem aut bituminosa loca occasio carnalium voluptatum designatur simulatè in Christiana fide viuentium; quia his allecta mẽs ad bene operandum non valet egredi, sed in eisdem potius terrenis captiuatur delicijs. In cuius typum in loco vbi ceciderunt rex Sodomæ & Gomorræ cum suis complicibus, per quos luxuriosi & incontinentes designãtur, fuisse leguntur in valle siluestri multi bitumi- Gen. 14.

nis putei, in quos ruentes, prolapsi sunt in corporis, videlicet voluptates varias. Inculti enim mores, (vt dicit glossa ibidem Genes. xiiij.) in profundum malorum pertinaces trahunt. Qui autem remanserant non occisi, vt ibidem sequitur, ad montana, id est, ad virtutum culmina fugerunt. Hinc Bernardus homil. ix. super cãtica dicit; Viscus quidem praui desiderij & delectationis terrenæ animam volare non patitur, & citius retrahit mentem, si fortè aliquando subleuatur] per tempestatem. Etiam voluptuosi à bonis exercendis præpediri dicuntur, quia carnalium voluptatum sectatores humano deliniti fauore, velut effeminati ad ardua virtutum opera efficiuntur. De quibus Iob 36. dicitur. Morietur in tempestate anima eorum, & vita eorum inter effeminatos: vel, vt alia translatio habet; & vita eorum vulnerabitur ab angelis. Vbi beatus Gregorius lib 26. moralium dicit: Simulatores qui vitę suæ custodiam negligunt, in tempestate mori referuntur: Hinc quippe eos turbo * subitò internę percussionis eijcit, quos arrogãtia externi fauoris extollit. Et vita eorum inter effeminatos. Si enim * viriliter viuerent, laus transitoria nulla eos corruptione vitiaret. Vnde electis propheta suadet dicens: Viriliter agite; & confortetur cor vestrum ilico subdit, quasi sexum cordis * munire curauerit. Luxuriosa quippe mens corrumpitur, si rebus transitorijs delectatur. Igitur simulatorum vita inter effeminatos moritur, quia * laudis luxuria corrupta reperitur. Translatione verò alia non habetur, vita eorum inter effeminatos, sed vita eorum vulneretur ab angelis. Vtrumque tamen etsi sermone discrepat, tamẽ ratione concordat, quia effeminatorum vitam angeli vulnerant, dum * nuncij veritatis eam iaculis sanctæ prædicationis impugnant.] PIG. Multos audiui-

Gloss. interl.

Habetur ser. 2. in vigil nat. domini.

Ita legũt 70

Gregorius l 26. moral c. 23 al. 29 & 30.

orig. subitus.

rest. ex orig. pro verisimiliter.

Psal. 26.

rest pro minuere.

addidi laudis ex or.

audiuimus nostris temporibus per maleficos ad amorem alienarum feminarum adeo succendi, & feminarum ad viros non suos, vt nulla confusione, plagis, verbis, aut factis ad desistendum cogi valerent. E diuerso inter sexum vtrumque matrimonij sacramento coniunctum nonnunquam experti sumus odia talia suscitari per maleficia, & similiter infrigidationes generatiuæ potentiæ, vt nec redditionem, nec exactionem debiti matrimonialis locum pro prole valerent habere. Cùm igitur amor & odium in anima existant, animam, secundũ omnes tuæ professionis compotes, dæmon intrare nequit. Quid hic sit veritatis vel falsitatis scire expedit, quia amore muliebri, velut visco, irretitur animus, & odio radicato, quasi tẽpestate rigidissima, ad proximi fauorem frigescit homo, & ita ad laborem meritorium progredi ratio non valet.

THEOL. Quamuis secũdum concordem nostrorum doctrinam dæmon in intellectum, vel voluntatem hominis operari immediatè nequeat, támen secundum eosdem in corpus, & in potentias alligatas corpori deo permittente agere valet, siue sint sensus interiores, siue exteriores. Vnde Iob ij. dæmoni deus ait Ecce in manu tua, id est, in potestate est Iob, quô ad corpus videlicet, veruntamen animam illius serua. Tangis itaque in tua quæstione tres difficultates, videlicet, quomodo philocaptio, & odium in voluntate, & maleficium in potentia generatiua causentur. De philocaptione igitur, seu amore inordinato vnius sexus ad alterum scire debes, quòd triplici de causa oriri potest. Aliquando ex sola incautela oculorum: aliquando ex tentatione dæmonum tantùm: aliquando verò ex maleficio necromanticorum simul & dæmonum. De primo dicitur Iacobi primo: Vnusquisque tentatur, à concupiscen-

Amor carnalis ex tribus causis oritur, & exempla de singulis.

cupiscentia sua abstractus & illectus, deinde concupiscentia cùm conceperit, parit peccatum, peccatum verò cùm consummatum fuerit, generat mortem. Sic Sychem cùm vidisset Dinam exeuntem ad videndum mulieres regionis, adamauit eam, & rapuit, & dormiuit cum illa, & conglutinata est anima eius cùm ea. Genes. 34. & secundum glossam in- *Gloss. interl.* firmæ animæ sic accidit, quãdo postpositis proprijs aliena negotia curat, seduci cõsuetudine, & fit vna vnitate consensus cum illicitis. De secundo quod
2. oriatur ex tentatione dæmonum principaliter: sic Amnon sororem suam Thamar speciosissimam adamauit, & deperierat in ea valde, ita vt propter amorem eius ægrotaret. ij. Reg. 13. Non enim in toto, vel vix tam corruptus esse videretur, vt in tantum facinus stupri prosiliret, grauiter tentatus à diabolo
Gloss. ord. si non fuisset. Vnde glossa ibidem. Hoc monet nos, vt semper cautè agamus, ne vitia in nobis dominẽtur, & princeps peccati (qui falsam pacem periclitantibus spondet) nos imparatos inueniens de improuiso trucidet. De hoc secundo genere amoris refertus est liber sanctorum patrum, qui refert omnem tẽtationem carnalis amoris sibi in eremis subtraxisse quosdam, qui tamen vltrà quàm credi potest amore mulierum tentabantur aliquotiens; vnde & ij. Corinth. xij. Apostolus dicit. Datus est mihi stimulus carnis meæ angelus sathanæ qui me co-
Gloss. ord laphizet. Vbi glossa sic dicit: Tentando per libidinem, datus est mihi stimulus (vt quidam aiunt) tẽtatio autem cui non consentitur non est peccatum, sed materia exercendæ virtutis.] Hoc intellige dictum de tentatione quæ est ab hoste, non à carne, quæ peccatum est veniale, si ei non consentiatur. Hæc ibi. Et de hoc amore habes exemplum suprà
3. lib. j. capitulo iiij. De tertio quod amor hereos pro-
ueniat ex

ueniat ex maleficijs dæmonum & idololatrarum ostenditur hoc Ezechiel. xxiij. sub metaphora mulieris de Israele, qui populus iam sequebatur idola & maleficia Assyriorum. Insaniuit, inquit, in amatores suos in Assyrios propinquãtes ei, vestitos hiacyntho, principes & magistratus iuuenes cupidinis vniuersos, equites ascẽsores equorum; quos omnes constat maleficos habuisse, vel idololatras. Per quẽ modum autem dæmon in potentiam imaginatiuã, in phantasiam, & in generatiuam possit agere, ostẽdit Petrus de Palude in iiij. distinct. 34. quinque modis. Habet enim ex hoc quod est spiritus potestatem super creaturam corporalem ad motum localem prohibendum vel faciendum, vnde potest corpora impedire ne sibi appropinquent vel directè, vel indirectè interponendo se in corpore assumpto: sicut accidit sponso qui desponsauerat idôlum, & nihilominus contraxerat cum quadam iuuencula, nec propter hoc poterat eam cognoscere. Secundo modo * potest hominem inflammare ad actum illum, vel refrigerare ab actu illo, adhibendo occultè virtutes rerum, quas optimè nouit ad hoc validas. Tertiò, turbando æstimationem & imaginationem, qua reddit mulierem exosam, quia potest in imaginationem imprimere. Quartô, reprimendo directè * vigorem membri fructificationi accõmodi; sicut & motum localem cuiuscunque organi. Quintô, prohibẽdo missionem spirituum ad membra, in quibus est virtus motiua, quasi intercludendo vias seminis, ne ad vasa generationis descendat, vel ne ab eis recedat, vel ne excitetur, vel emittatur, vel multis alijs modis. Cum autem faciunt mulieres sortilegia cum fabis & gallorum testiculis, non est credendum quod virtute illarum rerũ vir impotens reddatur, sed occulta virtute dæmonum

Petr. de Palude in 4. dist. 34. q. 2. ar. 3.

Quinque modi quibus dæmõ agere potest in potentiam generatiuam & imaginatiuam.

add. potest ex or. or. rigorẽ.

illudente

illudente sortiarias per ista corporalia; plus autem permittit deus super hunc actum, per quem primũ peccatum diffunditur, quàm super alios actus humanos, sicut & super serpentes, qui magis incantationibus deseruiũt quàm alia animalia. Exemplum autem de inflammando ad actum illum habetur in * legenda beati Basilij de virgine quæ seruum parentum concupiuit. Et de frigerando, vt de illo qui idolum desponsauit, & sponsam cognoscere non potuit. Idem etiam de muliere est, quia potest imaginationem eius sic dementare, vt exosum habeat virum, quòd pro toto mundo non permittat se cognosci. * Iterum per motum localem corpore interposito, vel vase obstructo potest dæmon per maleficium impedire mulierem, licet virum in pluribus modis: ideo vir sæpius maleficiatur quàm mulier. Et magis permittit deus in peccatores deseuire dæmones, quàm in iustos. Vnde angelus dixit Tobiæ. In illos qui libidini vacant accipit dæmonium potestatem, licet aliquando in iustos, sicut in Iob: propter quod debent facere cõfessionem & huiusmodi, ne ferro manente in vulnere frustra sit malagma apponere, Hæc de Pe. P I G. Mihi adhuc occurrit de visco carnalis amoris dubium; vtrum in charitate existentes amore tali maleficiari valeant.

Cur deus magis permittat actum generationis impediri quã alios.

or- vita Habetur in vita S. Basilij ti. Amphilochij in vitis Patrũ, in leg. aur. Iaco. de vorag. & in spec. Vincent. or. Item. Tob. 6.

THEOL. Responsum huius accipe ex Cassiani verbis quibus collatione. ij. abbat. Sereni in hæc verba concludit. Diffinit, inquit, beatus Antonius nullatenus dæmonem posse mentem cuiusquam vel corpus inuadere, nec habere facultatem in cuiuslibet animam penitus irruendi, nisi eam primò destituerit omnibus cogitationibus sanctis, ac spirituali contemplatione vacuam nudamque reddiderit.] Non tamẽ ista ita intellige, vt dæmones amore præfato in charitate existentes non impugnent, & simili-

Cassian. collat. 8 quæ est 2. abb. Sereni. cap 19

& similibus, sed tales expugnare non valent, si armis virtutum & naturalium donorum resistere volunt. Talia (inquit Philosophia, j. de consolatione ad Boëtium) tibi contuleramus arma, quæ nisi prior abiecisses, inuicta te firmitate tuerentur. Vnde Cassianus ibidem refert de duobus paganis philosophis & maleficis, qui per tres gradus differentes in malitia, successiuè per sua maleficia dæmones miserunt ad cellam beati Antonij, vt eum tentationibus exinde fugarent, odio viri sancti infecti, eò quod multitudo populi ad eum quotidie venit, qui dæmones beatum Antonium (vt postmodum ad fidem conuersi fatebantur philosophi) amarissimis cogitationum stimulis pulsauerunt, quos tamen repulit crucis signo pectori & fronti impresso, & orationum incubationibus insistendo. Exemplum tamen satis terribile nouiter tactum Vincentius in speculo refert historiali ex gestis Beati Basilij magni, cuius tempore diues quidam vnicam filiam habuit, quam cõsecrare domino disponebat, quam seruus diuitis habere non valens in coniugio, maleficum adijt, dæmonem inuocauit, eidem chartam abnegationis fidei tradidit, & fornicationis dæmonem mitti obtinuit ad filiam, qua ̄ accendit adeo, vt in terram volutata, clamaret se propter seruum torqueri, & pro liberatione sui seruo per patrem in matrimonium tradi. Quod etiam ideo factum est per patrem mœstissimo corde. Tandem tamen iuuenis seruus liberatus est per beatum Basilium. Et in primo dialog. refert Beatus Gregorius de quodam maleficorum principe, qui à Roma incineratis socijs in monachi habitu fugit Basilius nomine: qui etiam tunc se à sancto Equitio pro monacho recipi procurauit, & in monasterio monialum statim absente Equitio monialem pulchriorem in tanto malefi-

Boët. l. 1. de consol. philos. Prosa. 2.

Cassian. ibidem. cap. 18.

Suprà in verbis Petri de Palud.

Vincent. in spec. hist lib. 15. c 79.

Exemp. carnalis amoris à dæmone excitati.

Aliud ex Gregor. l. 1. dialogi. c. 4.

maleficiauit, vt febricitaret, anxiaretur, magnisque vocibus & stridoribus clamaret. Modo moritura sum, nisi Basilius monachus veniat, & ipse mihi per suæ curationis studium salutem reddat. Quod cum sancto Equitio nũciaretur, virginem verbo sanauit absens, & maleficum expelli de loco iussit. *PIG.* Cum potestas dæmonis impediatur aliquando diuino nutu; quæro quot modis hoc fit. *THEOL.* Quinque modos exprimit Hugo super. ij. dist. vij. Primo per terminũ suæ potestati à deo impositum, sicut Iob primo, & secundo tangitur. Secundo per miraculum impossibilitatis exterius factum, vt in asina Balaam. Numer. 22. Tertio per impedimẽtum exterius adhibitum, vt in duobus discipulis aorasia percussis. Lucæ vltimo. Quartô per dei iudicium deintus disponentis per obstaculum boni angeli, vt de Asmodæo interficiente spõsos Saræ vxoris Tobiæ; Eiusdem 12. Quinto per cautelã sui ipsius, quia non vult aliquando quod potest, vt peius fiat. vt j. Corint. v. de Corinthio, quem vexauit, excommunicatum. Aliquando etiam non vult propter peccati abominationem & pudorem; Vt angeli mali, propter nobilitatem sui in qua creati sunt, abominantur tentare de vilibus peccatis, & de Sodomia, vel etiam de fornicatione simplici, neque ad hominem quando fornicatus est accedunt maximè prima die vel secunda, propter peccati recentiam. Vnde Ezechiel. xvj. Multiplicasti fornicationẽ ad irritandum me &c. ibi, Dabo te in animas odientium te, id est, dæmonum, qui erubescunt in via tua. Hæc Hugo. 2. sententiarum.

Hug. in 2 sen. d. 7.

Quinque modis à Deo potestas dæmonum impeditur.

Vint

Vini nocumenta ostenduntur. Quomodo remediari possunt infrigidati, amore vel odio capti, & huiusmodi maleficiati. Quomodo bonus angelus magis est beneficus bonis, quã malus maleficus peccatoribus, & de multis per angelos castificatis seu eunuchatis.

CAPIT. VI.

QVæ sibi à vino, vel à vippa non cauent, subito in ebrietate & grauiter quasi amentes nutabundæ incidũt. Ita vidi per experientiam. Dulcia enim sequuntur auidé, quæ si cõspersa fuerint pane vino intincto, ex his cibis inebriantur. Per tales formicas fatuas inebriatas vino hi possunt intelligi, qui voluptatibus * debriati huius seculi, velut amentes & ratione carentes, carnalia prosequuntur per insanias falsas. Quos in persona dei Esaïas 51. sic alloquitur. Audi hæc paupercula, & ebria & nõ à vino, hæc dicit dominator dominus tuus, & deus tuus. Ecce tuli de manu tua calicem soporis, fundũ calicis indignationis meæ non adijciam vt bibas illum vltrà. Per viuum autem luxuriam debere intelligi docet Prouerb. xx. Salomon cũm dicit. Luxuriosa res vinum, & tumultuosa ebrietas, quicunque his delectatur non erit sapiens. Et xxj. ibidem. Qui diligit epulas in egestate erit; qui amat vinum & pinguia non ditabitur. Et in psalmo 106. de his qui inebriati sunt non à vino iterum dicitur: Anima eorum in malis tabescebat. Turbati sunt & moti sunt sicut ebrius, & omnis sapientia eorum deuorata est. Propter quod ad Ephesios quinto dicit Apostolus. Nolite inebriari vino in quo est luxuria, sed impleamini

m. inebriati Voluptates inebriant mentes, & ideo faciunt amentes

tem & pluuiæ, & aliæ huiusmodi aëris perturbationes solo motu vaporum resolutorum ex terra & aqua fieri possunt, vnde ad huiusmodi procuranda naturalis virtus dæmonis sufficit. Hæc Thomas. Mala enim quę nostris exigentibus peccatis in mũdo fiunt, deus velut per suos tortores iustè per dæmones solet infligere. Vnde glossa super illo psal. 104. vocauit famem super terram, & omne firmamentum panis contriuit, dicit sic: Hæc mala * immittit deus per angelos malos qui talibus præpositi sunt. Vocat ergo famem, id est, angelum fami præpositum. Hæc ibi. Porrò quo ad secundum dubium, noueris indubiè maleficos multipliciter impediri posse. Nam ita fatebantur multi in torturis, & difficulter quidam, alij verò sponte. Et quantum ex prædicti Petri verbis in summa collegi, quinque sunt per quæ multum impediuntur, aliquando in toto aliquando in parte, aliquando ne in persona hominis fiant, aliquãdo ne in suis amicis: videlicet fidẽ integram, vel dei præcepta in charitate seruantibus; se signo crucis & oratione munientibus; ritus & cęremonias ecclesiæ colentibus; publicam iustitiã bene exequẽtibus; & Christi passionem verbo vel memoria ruminãtibus. De primo & secũdo exẽpla talia mihi Petrus, qui suprà, retulit, quæ audierat † de supradictis maleficis. Cùm (inquit) quidam simplex, sed non rectus maleficum me inuocaret, vt inimicum suum vita priuarem, aut in corpore lęderem grauiter fulminis ictu vel modo alio. Vocaui ego magisterulum, id est, dæmonem; qui mihi respondit; quòd neutrum facere posset. Habet, inquit, fidem bonam, & diligenter se signo crucis munit. idcirco non in corpore, sed in vndecima parte fructuum suorum in campo (si libet) ei nocere possum. Noui veteranam quandam virginem quæ Seriosa no-

Glos ord.

* *resti, ex orig. pro permittit*

Quinque per quæ maleficia impediũtur.

† *de, pro, à*

Exempl. de 1 & 2.

riosa nomen habuit in diœcesis Constantiensis finibus. Hæc mater omnium in vicinia existens virginum & speculum, ad viuificæ crucis signum, & ad Christi passionem summam gerebat fiduciam, manebat autem in tugurio villagij pauperculi, ipsa voluntate pauper in terra, vbi nonnunquam maleficia satis locum habere dignoscuntur. Huius amicus in pede graui læsus fuit maleficio, à quo nulla arte sanari poterat: Post multa autem incassum adhibita remedia, visitauit prædicta virgo infirmum, qui ab ea petiuit, vt pedi benedictionem aliquam applicaret; Annuit illa, & silenter tantummodo orationem dominicam, & Apostolorum symbolum cum geminatis viuificæ crucis signis applicuit. Tūc statim infirmus curatum se sentiens, scire voluit in remedium futurorum quid carminationis virgo applicasset. Quæ respondit: Vos mala fide, vel debili diuinis & approbatis exercitijs ecclesiæ non inheretis, & carmina, ac remedia prohibita crebrò vestris infirmitatibus applicatis; idcirco rarò in corpore * & semper in anima per talia lædimini. Sed si in orationum & signorum licitorum * efficacia speraretis, faciliter sępe curaremini. Nihil enim vobis applicui, nisi dominicam orationem, & Apostolorum symbolum, & iam sanati estis. Præterea constat, quod malefici de ritibus ecclesiæ seruatis & veneratis sua maleficia præpediri fatentur, vt per aquæ benedictæ aspersionem, per salis consecrati sumptionem, per candelarum die purificationis, & palmarum in die palmarum consecratarum vsum licitum, & per similia, quia ad hoc talia ecclesia exorcisat, vt vires dæmonis minuant. De publica verò iustitia hoc omnes malefici qui suprà verbo & experientia testimonium dederunt, quòd eo ipso quo per reipublicæ iustitiæ officiales capiuntur,

Exemp. 2. & 3.

Virtus signi crucis, orat. Dominicæ, & symboli.

omissum videtur curamini, vel quid simile.

al. efficaciam.

ſtatim omnis maleficorũ eneruatur poteſtas. Vnde cùm ſæpedictus iudex Petrus anteſatum Stadelein capere vellet per ſuos famulos, tantus tremor manibus eorum incuſſus eſt, & corporibus, & naribus illapſus tam malus fœtor, vt ſe ferè deſperarẽt an maleficum inuadere auderẽt. Quibus iudex ait. Securè miſerum inuadite, quia publica tactus iuſtitia omnes vires perdet ſuæ nequitiæ, & ita rei probauit exitus, ſiue effectus. Idem iudex tale dedit exemplum. Cùm, ait, Stadelem captiuaſſem, qui grandinibus terram & fame grauiſsimè læſerat, & per fulmina plura vaſtauerat, quæſiui à reo de veritate, qui poſt quartum ad chordas tractum primò reſponſum mihi dedit tale. Faciliter grandines procuro, ſed ad libitum lædere non valeo, ſed eos tantummodo qui dei deſtituti ſunt auxilio; qui ſigno crucis ſe muniunt fulmine meo nõ interibunt. Cui iudex. Quomodo ad tempeſtates & grandines cõcitandas proceditis? Reſpondit reus. Primò verbis certis in campo principem omnium dæmoniorum imploramus, vt de ſuis mittat aliquem, à nobis deſignatum percutiat, deinde veniẽte certo dæmone, in campo aliquo viarum pullum nigrum immolamus, eundem in altum proijciendo ad aëra, quo à dæmone ſumpto, obedit, & ſtatim auram concitat, non ſemper in loca deſignata à nobis, ſed iuxta dei viuentis permiſsionem grandines & fulgura proijciendo. Subintulit iudex tertiò quærendo. Poſſuntne per aliqua tempeſtates tales remediari à vobis concitatæ & à dæmonibus? Reſpondit. Poſſunt, per hæc videlicet: Adiuro vos grandines, & ventos per tres Chriſti diuinos clauos qui Chriſti manus & pedes perforarunt, & per quatuor euangeliſtas ſanctos Matthæum, Marcum, Lucam, & Ioannem, vt in * aqua reſoluti deſcendatis. Ex quibus iam liquet,

Exẽpl. 4.

Aliud.

m. aquã

iam liquet, quod omnipotentis dei clementia, & sapientia, quæ attingit à fine vsque ad finem forti- Sap. 8.
ter, disponit etiam istorum pessimorum hominum & dæmonum maleficia suauiter, ita vt dum perfidia sua Christi regnum & fidem quærant minuere, & infirmare, eandem in multorum cordibus firment & radicent validius. Vtilitates enim plurimæ fidelibus ex præfatis malis possunt euenire, quia sic fides roboratur, dæmonis malitia inspicitur, dei misericordia, & potestas manifestatur, homines ad custodiam sui actuantur, & a† d reuerẽdam Christi f. reuerẽdum.
passionem, & cæremonias ecclesiæ accenduntur.

Viscus animæ est delectatio luxuriosa potissimè, Malefici quomodo infrigidant generatiuam, promouẽt ad amorem vel odium, & an in charitate existentes possint maleficiari.

CAPIT. V

V*Iscosis humoribus & tempestate ab incessu, & à labore præpediuntur.* Quia per viscosa incedentes vel bituminosa loca, talibus imbecillia animalia adhærent, sicuti tempestatibus concutiuntur in corpore, & via eis incedendi præcluditur. Per viscosa autem aut bituminosa loca occasio carnalium voluptatum designatur simulatè in Christiana fide viuentium; quia his allecta mẽs ad bene operandum non valet egredi, sed in eisdem potius terrenis captiuatur delicijs. In cuius typum in loco vbi ceciderunt rex Sodomæ & Gomorræ cum suis complici- Gen. 14.
bus, per quos luxuriosi & incontinentes designãtur, fuisse leguntur in valle siluestri multi bituminis pu-

nis putei, in quos ruentes, prolapsi sunt in corporis, videlicet voluptates varias. Inculti enim mores, (vt dicit glossa ibidem Genes. xiiij.) in profundum malorum pertinaces trahunt. Qui autem remanserant non occisi, vt ibidem sequitur, ad montana, id est, ad virtutum culmina fugerunt. Hinc Bernardus homil. ix. super cãtica dicit; Viscus quidem praui desiderij & delectationis terrenæ animam volare non patitur, & citius retrahit mentem, si fortè aliquando subleuatur] per tempestatem. Etiam voluptuosi à bonis exercendis præpediri dicuntur, quia carnalium voluptatum sectatores humano deliniti fauore, velut effeminati ad ardua virtutum opera efficiuntur. De quibus Iob 36. dicitur. Morietur in tempestate anima eorum, & vita eorum inter effeminatos: vel, vt alia translatio habet; & vita eorum vulnerabitur ab angelis. Vbi beatus Gregorius lib 26. moralium dicit: Simulatores qui vitę suæ custodiam negligunt, in tempestate mori referuntur: Hinc quippe eos turbo * subitò internę percussionis eijcit, quos arrogãtia externi fauoris extollit. Et vita eorum inter effeminatos. Si enim * viriliter viuerent, laus transitoria nulla eos corruptione vitiaret. Vnde electis propheta suadet dicens: Viriliter agite; & confortetur cor vestrum ilico subdit, quasi sexum cordis * munire curauerit. Luxuriosa quippe mens corrumpitur, si rebus transitorijs delectatur. Igitur simulatorum vita inter effeminatos moritur, quia * laudis luxuria corrupta reperitur. Translatione verò alia non habetur, vita eorum inter effeminatos, sed vita eorum vulneretur ab angelis. Vtrumque tamen etsi sermone discrepat, tamē ratione concordat, quia effeminatorum vitam angeli vulnerant, dum nuncij veritatis eam iaculis sanctæ prædicationis impugnant.] *PIG.* Multos audiui-

Gloss. interl.

Habetur ser. 2. in vigil nat. domini.

Ita legũt 70

Gregorius l 26. moral c. 23 al. 29 & 30.

orig. subitus.

rest. ex orig. pro verisimiliter.

Psal. 26.

rest pro minuere.

addidi laudis ex or.

audiuimus nostris temporibus per maleficos ad amorem alienarum feminarum adeo succendi, & feminarum ad viros non suos, vt nulla confusione, plagis, verbis, aut factis ad desistendum cogi valerent. E diuerso inter sexum vtrumque matrimonij sacramento coniunctum nonnunquam experti sumus odia talia suscitari per maleficia, & similiter infrigidationes generatiuæ potentiæ, vt nec redditionem, nec exactionem debiti matrimonialis locum pro prole valerent habere. Cùm igitur amor & odium in anima existant, animam, secundũ omnes tuæ professionis compotes, dæmon intrare nequit. Quid hic sit veritatis vel falsitatis scire expedit, quia amore muliebri, velut visco, irretitur animus, & odio radicato, quasi tẽpestate rigidissima, ad proximi fauorem frigescit homo, & ita ad laborem meritorium progredi ratio non valet.

THEOL. Quamuis secũdum concordem nostrorum doctrinam dæmon in intellectum, vel voluntatem hominis operari immediatè nequeat, támen secundum eosdem in corpus, & in potentias alligatas corpori deo permittente agere valet, siue sint sensus interiores, siue exteriores. Vnde Iob ij. dæmoni deus ait Ecce in manu tua, id est, in potestate est Iob; quô ad corpus videlicet, veruntamen animam illius serua. Tangis itaque in tua quæstione tres difficultates, videlicet, quomodo philocaptio, & odium in voluntate, & maleficium in potentia generatiua causentur. De philocaptione igitur, seu amore inordinato vnius sexus ad alterum scire debes, quòd triplici de causa oriri potest. Aliquando ex sola incautela oculorum: aliquando ex tentatione dæmonum tantùm: aliquando verò ex maleficio necromanticorum simul & dæmonum. De primo dicitur Iacobi primo: Vnusquisque tentatur, à concupiscen-

Amor carnalis ex tribus causis oritur, & exempla de singulis.

cupiscentia sua abstractus & illectus, deinde concupiscentia cùm conceperit, parit peccatum, peccatum verò cùm consummatum fuerit, generat mortem. Sic Sychem cùm vidisset Dinam exeuntem ad videndum mulieres regionis, adamauit eam, & rapuit, & dormiuit cum illa, & conglutinata est anima eius cùm ea. Genes. 34. & secundum glossam in-

Gloss. interl. firmæ animæ sic accidit, quãdo postpositis proprijs aliena negotia curat, seduci cõsuetudine, & fit vna vnitate consensus cum illicitis. De secundo quod

2. oriatur ex tentatione dæmonum principaliter: sic Amnon sororem suam Thamar speciosissimam adamauit, & deperierat in ea valde, ita vt propter amorem eius ægrotaret. ij. Reg. 13. Non enim in toto, vel vix tam corruptus esse videretur, vt in tantum facinus stupri prosiliret, grauiter tentatus à diabolo

Gloss. ord. si non fuisset. Vnde glossa ibidem. Hoc monet nos, vt semper cautè agamus, ne vitia in nobis dominẽtur, & princeps peccati (qui falsam pacem periclitantibus spondet) nos imparatos inueniens de improuiso trucidet. De hoc secundo genere amoris refertus est liber sanctorum patrum, qui refert omnem tẽtationem carnalis amoris sibi in eremis subtraxisse quosdam, qui tamen vltrà quàm credi potest amore mulierum tentabantur aliquotiens; vnde & ij. Corinth. xij. Apostolus dicit. Datus est mihi stimulus carnis meæ angelus sathanæ qui me co-

Gloss. ord laphizet. Vbi glossa sic dicit: Tentando per libidinem, datus est mihi stimulus (vt quidam aiunt) tẽtatio autem cui non consentitur non est peccatum, sed materia exercendæ virtutis.] Hoc intellige dictum de tentatione quæ est ab hoste, non à carne, quæ peccatum est veniale, si ei non consentiatur. Hæc ibi. Et de hoc amore habes exemplum suprà

3. lib. j. capitulo iiij. De tertio quod amor hereos pro-

ueniat ex

ueniat ex maleficijs dęmonum & idololatrarum ostenditur hoc Ezechiel. xxiij. sub metaphora mulieris de Israele, qui populus iam sequebatur idola & maleficia Assyriorum. Insaniuit, inquit, in amatores suos in Assyrios propinquãtes ei, uestitos hiacyntho, principes & magistratus iuuenes cupidinis uniuersos, equites ascẽsores equorum; quos omnes constat maleficos habuisse, uel idololatras. Per quẽ modum autem dæmon in potentiam imaginatiuã, in phantasiam, & in generatiuam possit agere, ostẽdit Petrus de Palude in iiij. distinct. 34. quinque modis. Habet enim ex hoc quod est spiritus potestatem super creaturam corporalem ad motum localem prohibendum uel faciendum, unde potest corpora impedire ne sibi appropinquent uel directè, uel indirectè interponendo se in corpore assumpto: sicut accidit sponso qui desponsauerat idolum, & nihilominus contraxerat cum quadam iuuencula, nec propter hoc poterat eam cognoscere. Secundo modo * potest hominem inflammare ad actum illum, uel refrigerare ab actu illo, adhibendo occultè uirtutes rerum, quas optimè nouit ad hoc ualidas. Tertiò, turbando æstimationem & imaginationem, qua reddit mulierem exosam, quia potest in imaginationem imprimere. Quartô, reprimendo directè * uigorem membri fructificationi accõmodi, sicut & motum localem cuiuscunque organi. Quintô, prohibẽdo missionem spirituum ad membra, in quibus est uirtus motiua, quasi intercludendo uias seminis, ne ad uasa generationis descendat, uel ne ab eis recedat, uel ne excitetur, uel emittatur, uel multis alijs modis. Cùm autem faciunt mulieres sortilegia cum fabis & gallorum testiculis, non est credendum quod uirtute illarum rerũ uir impotens reddatur, sed occulta uirtute dæmonum

Petr. de Palude in 4. dist. 34. q. 2. ar. 3.

Quinque modi quibus damõ agere potest in potentiam generatiuam & imaginatiuam.

add potest ex or. or. rigorẽ.

illudente

illudente sortiarias per ista corporalia; plus autem permittit deus super hunc actum, per quem primũ peccatum diffunditur, quàm super alios actus humanos, sicut & super serpentes, qui magis incantationibus deseruiũt quàm alia animalia. Exemplum autem de inflammando ad actum illum habetur in * legenda beati Basilij de virgine quæ seruum parentum concupiuit. Et de frigerando, vt de illo qui idolum desponsauit, & sponsam cognoscere non potuit. Idem etiam de muliere est, quia potest imaginationem eius sic dementare, vt exosum habeat virum, quod pro toto mundo non permittat se cognosci. * Iterum per motum localem corpore interposito, vel vase obstructo potest dæmon per maleficium impedire mulierem; licet virum in pluribus modis: ideo vir sæpius maleficiatur quam mulier. Et magis permittit deus in peccatores desæuire dæmones, quàm in iustos. Vnde angelus dixit Tobiæ. In illos qui libidini vacant accipit dæmonium potestatem; licet aliquando in iustos, sicut in Iob: propter quod debent facere cõfessionem & huiusmodi, ne ferro manente in vulnere frustra sit malagma apponere, Hæc de Pe. P I G. Mihi adhuc occurrit de visco carnalis amoris dubium; vtrum in charitate existentes amore tali maleficiari valeant.

Cur deus magis permittat actum generationis impediri quã alios.

or- vita Habetur in vita S. Basilij ti. Amphilochij in vitis Patrũ, in leg. aur. Iaco. de vorag. & in spec. Vincent. or. Item. Tab. 6.

THEOL. Responsum huius accipe ex Cassiani verbis quibus collatione. ij. abbat. Sereni in hæc verba concludit. Diffinit, inquit, beatus Antonius nullatenus dæmonem posse mentem cuiusquam vel corpus inuadere, nec habere facultatem in cuiuslibet animam penitus irruendi, nisi eam primo destituerit omnibus cogitationibus sanctis, ac spirituali contemplatione vacuam nudamque reddiderit.] Non tamẽ ista ita intellige, vt dæmones amore præfato in charitate existentes non impugnent, & simili-

Cassian. collat. 8 quæ est 2. abb. Sereni. cap 19

& similibus, sed tales expugnare non valent, si armis virtutum & naturalium donorum resistere volunt. Talia (inquit Philosophia, j. de consolatione ad Boëtium) tibi contuleramus arma, quæ nisi prior abiecisses, inuicta te firmitate tuerentur. Vnde Cassianus ibidem refert de duobus paganis philosophis & maleficis, qui per tres gradus differentes in malitia, successiuè per sua maleficia dæmones miserunt ad cellam beati Antonij, vt eum tentationibus exinde fugarent, odio viri sancti infecti, eo quod multitudo populi ad eum quotidie venit qui dæmones beatum Antonium (vt postmodum ad fidem conuersi fatebantur philosophi) amarissimis cogitationum stimulis pulsauerunt, quos tamen repulit crucis signo pectori & fronti impresso, & orationum incubationibus insistendo. Exemplum tamen satis terribile nouiter tactum Vincentius in speculo refert historiali ex gestis Beati Basilij magni, cuius tempore diues quidam vnicam filiam habuit, quam cõsecrare domino disponebat, quam seruus diuitis habere non valens in coniugio, maleficum adijt, dæmonem inuocauit, eidem chartam abnegationis fidei tradidit, & fornicationis dæmonem mitti obtinuit ad filiam, quam accendit adeo, vt in terram volutata, clamaret se propter seruum torqueri, & pro liberatione sui seruo per patrem in matrimonium tradi. Quod etiam ideo factum est per patrem mœstissimo corde. Tandem tamen iuuenis seruus liberatus est per beatum Basilium. Et in primo dialog. refert Beatus Gregorius de quodam maleficorum principe, qui à Roma incineratis socijs in monachi habitu fugit Basilius nomine: qui etiam tunc se à sancto Equitio pro monacho recipi procurauit, & in monasterio monialum statim absente Equitio monialem pulchriorem in tanto malefi-

Boët. l. 1. de consol. philos. Prosa 2.

Cassian. ibidem. cap. 18.

Suprà in verbis Petri de Palud.

Vincent. in spec. hist lib. 15. c 79.

Exemp. carnalis amoris à dæmone excitati.

Aliud ex Gregor. l. 1. dialogi. c. 4.

maleficiauit, vt febricitaret, anxiaretur, magnisque vocibus & stridoribus clamaret. Modò moritura sum, nisi Basilius monachus veniat, & ipse mihi per suæ curationis studium salutem reddat. Quod cùm sancto Equitio nũciaretur, virginem verbo sanauit absens, & maleficum expelli de loco iussit. *PIG.* Cùm potestas dæmonis impediatur aliquando diuino nutu; quæro quot modis hoc fit. *THEOL.* Quinque modos exprimit Hugo super. ij. dist. vij. Primò per terminũ suæ potestati à deo impositum, sicut Iob primo, & secundo tangitur. Secundò per miraculum impossibilitatis exterius factum, vt in asina Balaam. Numer. 22. Tertiò per impedimẽtum exterius adhibitum, vt in duobus discipulis aorasia percussis. Lucæ vltimo. Quartò per dei iudicium deintus disponentis per obstaculum boni angeli, vt de Asmodæo interficiente spõsos Saræ vxoris Tobiæ; Eiusdem 12. Quintò per cautelã sui ipsius, quia non vult aliquando quod potest, vt peius fiat. vt j. Corint. v. de Corinthio, quem vexauit, excommunicatum. Aliquando etiam non vult propter peccati abominationem & pudorem; Vt angeli mali, propter nobilitatem sui in qua creati sunt, abominantur tentare de vilibus peccatis, & de Sodomia, vel etiam de fornicatione simplici, neque ad hominem quando fornicatus est accedunt maximè prima die vel secunda, propter peccati recentiam. Vnde Ezechiel. xvj. Multiplicasti fornicationẽ ad irritandum me &c. ibi, Dabo te in animas odientium te, idest, dæmonum, qui erubescunt in via tua. Hæc Hugo. 2. sententiarum.

Hugo in 2 sent d. 7.

Quinque modis à Deo potestas dæmonum impeditur.

Vini nocumenta ostenduntur. Quomodo remediari possunt infrigidati, amore vel odio capti, & huiusmodi maleficiati. Quomodo bonus angelus magis est beneficus bonis, quã malus maleficus peccatoribus, & de multis per angelos castificatis seu eunuchatis.

CAPIT. VI.

QVæ sibi à vino, vel à vippa non cauent, subito in ebrietate & grauiter quasi amentes nutabundæ incedũt. Ita vidi per experientiam. Dulcia enim sequuntur auidè, quæ si cõspersa fuerint pane vino intincto, ex his cibis inebriantur. Per tales formicas fatuas inebriatas vino hi possunt intelligi, qui voluptatibus * debriati huius seculi, velut amentes & ratione carentes, carnalia prosequuntur per insanias falsas. Quos in persona dei Esaias 51. sic alloquitur. Audi hæc paupercula, & ebria & nõ à vino, hæc dicit dominator dominus tuus, & deus tuus. Ecce tuli de manu tua calicem soporis, fundũ calicis indignationis meæ non adijciam vt bibas illum vltrà. Per viuum autem luxuriam debere intelligi docet Prouerb. xx. Salomon cũm dicit. Luxuriosa res vinum, & tumultuosa ebrietas, quicunque his delectatur non erit sapiens. Et xxj. ibidem. Qui diligit epulas in egestate erit, qui amat vinum & pinguia non ditabitur. Et in psalmo 106. de his qui inebriati sunt non à vino iterum dicitur: Anima eorum in malis tabescebat. Turbati sunt & moti sunt sicut ebrius, & omnis sapientia eorum deuorata est. Propter quod ad Ephesios quinto dicit Apostolus. Nolite inebriari vino in quo est luxuria, sed impleamini spiritu

m. inebriati Voluptates inebriant mentes, & ideo faciunt amentes

ſpiritu ſancto, loquentes vobiſmetipſis in pſalmis & hymnis, & canticis ſpiritualibus, cantantes & pſallentes in cordibus veſtris domino gratias agentes. *PIG.* Ex ſuperioribus ſatis iam video, non minorem veſaniam, vel ebrietatem pati philocaptum, quàm eum, qui vino madere conſpicitur. Idcirco nunc edoceri cupio in tribus, quæ remedia adhiberi debeant talibus, vt ſanentur, nedum ipſi, ſed qualitercunque in potentia * generatiua maleficiati. Deinde quomodo hi ſanari valeant, qui ſine maleficio philocapiuntur. Poſtremò vtrumne bonus ſpiritus tantum caſtitati conferre poſsit in beneficio, ſicut malignus ſpiritus per ſuos dare conſueuit in maleficio. *THEOL.* Pro ſolutione primi noſcere debes, quòd quinque ſunt remedia quę pro talibus licitè applicari valent, videlicet, ad ſanctorum aliquorum limina peregrinatio, ſigni crucis & orationis deuotæ multiplicatio, peccatorum ſuorũ vera confeſsio vel contritio, per verba ſobria licita exorcizatio, & cauta maleficij ablatio. De primo habuiſti exemplum ſuprà libro primo cap. quarto. Et idem de ieiunijs, abſtinentijs, & alijs reuerentialibus obſequijs Sanctis certis oblatis. De ſecundo præcedenti capitulo audiſti, quomodo talibus ſe beatus Antonius à tẽtatore defendit. De tertio ibidem Petri de Palude conſilium, quod ante eum ſanctus Thomas, & alij doctores ſuaſerunt, etiam perpendiſti. De vltimo dictum eſt nuper iij. cap. Et in penultimo, de exorciſmis omnes penè de hoc loquentes, catholicè ita fieri poſſe admittunt. Vnde in iiij. diſt. vj. ſanctus Thomas dicit: Propter peccatum hominis diabolus poteſtatem * accipit in hominem, & in omnia quæ in vſum hominis veniunt, in ipſius nocumentum. Et quia nulla conuentio eſt Chriſti ad belial, ideo quandocunque aliquid ſanctifican-

Tria dubia principalia quæ hoc c. tractãtur a. b. m. addit (&) De 1.

Quinque remedia aduerſus maleficia

Thom. in 4. diſt. 6. q. 2. ar. 3 or. accepit. & infra.

2. Cor. 6

ctificandum est ad cultum diuinum prius exorcisatur, vt liberatum à potestate diaboli, qua illud nocumentum hominis assumere * poterat, deo consecratur. Et hoc patet in benedictione aquæ, in consecratione templi, & in omnibus huiusmodi. Vnde cùm prima consecratio, qua deo homo consecratur, fit in Baptismo, oportet etiam quòd homo prius exorcizetur multo fortiori ratione quàm aliæ res; quia in ipso homine est causa quare diabolus potestatem *accipit in hominem, & in alia quæ sũt propter hominem, scilicet, peccatum originale, vel actuale. Et hoc significant ea, quæ in exorcismis dicuntur, cùm dicitur: Recede ab eo sathana. Hæc Thomas. Idem dicunt doctores licitum esse de applicatione exorcismorum contra potestates dæmonis. Sed ibi cauẽdum est, ne character aliquis ignotus, aut verba ignota sint, aut aliud superstitiosum. Sed tamen non obstante applicatione omnium præfatorum remediorum adhuc aliquando maleficiatus à pœna non absoluitur, licet à reatu vel peccato per quod incurrit maleficium absoluatur. Vnde Sanctus Thomas in iiij. dist. xxxiiij. dicit. Maleficium quandoque ita est perpetuum quod non potest habere remedium humano opere, quamuis deus posit præstare remedium, dæmonium cogendo, vel etiam * dæmon desistendo. Non enim semper oportet, vt quod per maleficium aliquod factũ est, posit per maleficium aliud destrui, vt ipsi malefici confitentur. Et tamẽ si posset per maleficiũ remediũ adhiberi, nihilominus *perpetuũ reputaretur, quia nullo modo debet aliquis dæmonis auxilium per maleficium inuocare. Similiter nõ oportet, quòd si propter peccatum aliquod data est diabolo potestas in aliquẽ, quòd cessante peccato cesset potestas, quia pœna interdũ remanet culpa transeunte. Similiter etiam exorcismi

restit. ex or pro patatur.

Quid in exorcismis cauendum.

Tho. in 4. dist. 34. q. vnic. a. 3 ad 3.

rest. ex or. pro dæmoni resistendo.

rest. ex or. pro peccatum.

ecclesiæ, non valent ad reprimendũ dęmones semper quantum ad omnes molestias corporales, iudicio dei hoc exigente: sẽper tamẽ valent contra illas infestationes dęmonũ, cõtra quas principaliter instituti sunt. Hæc Thomas. Sed multũ cauendũ est his, qui diuinis præceptis & ecclesiæ humanã sanitatẽ præponũt, ne maleficos inuocẽt pro remedijs, quia eorundẽ inuocatione posteriora nõnunquam peiora prioribus fiunt, vt in exẽplo deducit Gregorius. j. dialog. de femina quæ vno dæmone possessa, per maleficos dum liberari attẽtabatur, legio sub maleficorũ operibus statim eam intrauit. *FIG.* Habeo adhuc tria dubia de exorcismo. An non habens exorcistatus ordinem, exorcisare dęmones licitè valeat. Secundò, quæ sit differentia inter effectum aquæ benedictæ, & exorcismi, cùm vtrumque contra dæmonis molestiam ordinetur. Tertiò An exorcismus tantum significet, vel etiam an aliquid efficiat.

Remedijs maleficorum res in deterius eunt vt declaratur exempl. Mat. 12. Gregor l. 1. dial. c. 10.

Tria dubia de exorcismo.

THEOL. Ad primum & ad alia respondet sanctus doctor. Ad primum dist. xxiiij. quod sic, in quarto. In ordine, inquit, exorcistatus, & in alijs minoribus ordinibus omnibus, cùm conferuntur, recipitur potestas, vt quis hoc vel illud ex officio facere posit, puta exorcizare; & idem à non habentibus ordinem licitè fieri potest, non vt ex officio; quamuis illi hoc non habeãt ex officio. Sicut in domo nõ consecrata potest dici missa, quãuis consecratio ecclesiæ ad hoc ordinetur, vt in ea missa dicatur, sed hoc tunc magis pertinet ad gratiam gratis datam, quàm ad gratiam sacramenti.] Ad secundum respondet dist. 6. dicens: Diabolus impugnat nos ab exteriori & interiori. Aqua ergo benedicta ordinatur contra impugnationem diaboli, quæ est ab exteriori, sed exorcismus contra impugnationem diaboli quæ est ab interiori: vnde illi contra quos datur, dicuntur energumeni, id est, intus

Resp ad. 1 Thom in 4. dist 24. q 2. ar 2. ad 9.

ad 2. Thom in 4. dist 6. q. 2. ar. 3 Idẽ habet in summa p. 3. q 71. ar. 2. ad. 3.

laborantes aut propter infectionẽ fomitis, aut propter possessionem corporalem à dæmone. Ad tertiũ respondet ibidem, quòd etiam efficit, quod patet tũ quia per modũ imperij dicũtur, non per modum orationis tantùm. Vt: Exi maledicte diabole: Tum etiam quia beatus Gregorius super Ezechielẽ dicit: Sacerdos dũ per exorcismi gratiam manus credentibus imponit, & habitare malignos spiritus in eorum mente contradicit, quid aliud facit, nisi quòd dæmonia eijcit? Nec est inconueniens, quòd etiam quando iã baptisato exorcismus prius neglectus adhibetur, dicere quòd tunc aliquid efficiat, cohibẽdo ab impugnatione diaboli, cùm etiã post baptismum per aquã benedictam aliqua potestas dæmonis reprimatur. Immò si exorcisatur puer, & ante baptismum moritur, sibi in vita sua tantũ valuit, vt in eo potestas dæmonis debilitata fuerit, & sit. Et ideo exorcismi non tantùm significant, sed etiam efficiũt aliquid, nõ tantùm in corpore, sed etiam in anima, quia in vtroque est infectio fomitis. Effectus autem iste est debilitatio potestatis dæmonis, ne tantũ possit in homine, sicut ante baptismum, & ne alia bona in ipso impediat. Hæc omnia Thomas. Ad secundũ dubium de amore hereos, seu philocaptione, vel * hislithi, vt Auicenna loquitur, quæ est ægritudo quam aliquis incurrit propter amorem. Tradit enim Auicenna septem remedia inter cetera libro tertio. Vnum est agnoscere personam in qua quis captus est, quod experitur aliquis ex fasione infirmi, vel ex variatione pulsus ad nominationem amati, quia sic radix ægrotationis habetur; vt etiam beatus Ambrosius ponit in passione Sanctæ Agnetis de filio iudicis. Aliud est copula per matrimonium si lex sustinet, quia ita quidam sanantur cùm obeditur naturæ. Tertium est applicatio medicina-

ad 3. Thom. ibid.

Habetur homil. 29 super euãgel.

2. dub. principale.

or. ilisci.

Auicen. l. 3. fen 1. tract. 5. c. 24 & 25

1.

Ambros. ser. 90.

2.

3.

 lium, de

Gloss. interl. nis putei, in quos ruentes, prolapsi sunt in corporis, videlicet voluptates varias. Inculti enim mores, (vt dicit glossa ibidem Genes. xiiij.) in profundum malorum pertinaces trahunt. Qui autem remanserant non occisi, vt ibidem sequitur, ad montana, id est, ad virtutum culmina fugerunt. Hinc Bernardus homil. ix. super cātica dicit; Viscus quidem praui desiderij & delectationis terrenæ animam volare non patitur, & citius retrahit mentem, si forteà aliquando subleuatur] per tempestatem. Etiam voluptuosi à bonis exercendis præpediri dicuntur, quia carnalium voluptatum sectatores humano deliniti fauore, velut effeminati ad ardua virtutum opera efficiuntur. De quibus Iob 36. dicitur. Morietur in tempestate anima eorum, & vita eorum inter effeminatos: vel, vt alia translatio habet; & vita eorum vulnerabitur ab angelis. Vbi beatus Gregorius lib 26. moralium dicit: Simulatores qui vitę suæ custodiam negligunt, in tempestate mori referuntur: Hinc quippe eos turbo * subitò internę percussionis eijcit, quos arrogātia externi fauoris extollit. Et vita eorum inter effeminatos. Si enim * viriliter viuerent, laus transitoria nulla eos corruptione vitiaret. Vnde electis propheta suadet dicens: Viriliter agite; & confortetur cor vestrum ilico subdit, quasi sexum cordis * munire curauerit. Luxuriosa quippe mens corrumpitur, si rebus transitorijs delectatur. Igitur simulatorum vita inter effeminatos moritur, quia * laudis luxuria corrupta reperitur. Translatione verò alia non habetur, vita eorum inter effeminatos, sed vita eorum vulneretur ab angelis. Vtrumque tamen etsi sermone discrepat, tamē ratione concordat, quia effeminatorum vitam angeli vulnerant, dum nuncij veritatis eam iaculis sanctæ prædicationis impugnant.] PIG. Multos audiui-

Habetur ser. 2. in vigil nat. domini.

Ita legūt 70

Gregorius l 26. moral c. 23 al. 29 & 30.

orig. subitus.

rest. ex orig. pro verisimiliter.

Psal. 26.

rest pro minuere.

addidi laudis ex or.

audiuimus nostris temporibus per maleficos ad amorem alienarum feminarum adeo succendi, & feminarum ad viros non suos, vt nulla confusione, plagis, verbis, aut factis ad desistendum cogi valerent. E diuerso inter sexum vtrumque matrimonij sacramento coniunctum nonnunquam experti sumus odia talia suscitari per maleficia, & similiter infrigidationes generatiuæ potentiæ, vt nec redditionem, nec exactionem debiti matrimonialis locum pro prole valerent habere. Cùm igitur amor & odium in anima existant, animam, secundũ omnes tuæ professionis compotes, dæmon intrare nequit. Quid hic sit veritatis vel falsitatis scire expedit, quia amore muliebri, velut visco, irretitur animus, & odio radicato, quasi tẽpestate rigidissima, ad proximi fauorem frigescit homo, & ita ad laborem meritorium progredi ratio non valet.

THEOL. Quamuis secũdum concordem nostrorum doctrinam dæmon in intellectum, vel voluntatem hominis operari immediatè nequeat, támen secundum eosdem in corpus, & in potentias alligatas corpori deo permittente agere valet, siue sint sensus interiores, siue exteriores. Vnde Iob ij. dæmoni deus ait Ecce in manu tua, id est, in potestate est Iob, quô ad corpus videlicet, veruntamen animam illius serua. Tangis itaque in tua quæstione tres difficultates, videlicet, quomodo philocaptio, & odium in voluntate, & maleficium in potentia generatiua causentur. De philocaptione igitur, seu amore inordinato vnius sexus ad alterum scire debes, quòd triplici de causa oriri potest. Aliquando ex sola incautela oculorum: aliquando ex tentatione dæmonum tantùm: aliquando verò ex maleficio necromanticorum simul & dæmonum. De primo dicitur Iacobi primo: Vnusquisque tentatur, à concupiscen-

Amor carnalis ex tribus causis oritur, & exempla de singulis.

cupiscentia sua abstractus & illectus, deinde concupiscentia cùm conceperit, parit peccatum, peccatum verò cùm consummatum fuerit, generat mortem. Sic Sychem cùm vidisset Dinam exeuntem ad videndum mulieres regionis, adamauit eam, & rapuit, & dormiuit cum illa, & conglutinata est anima eius cùm ea. Genes. 34. & secundum glossam in-
Gloss. interl. firmæ animæ sic accidit, quãdo postpositis proprijs aliena negotia curat, seduci cõsuetudine, & fit vna vnitate consensus cum illicitis. De secundo quod
2. oriatur ex tentatione dæmonum principaliter: sic Amnon sororem suam Thamar speciosissimam adamauit, & deperierat in ea valde, ita vt propter amorem eius ægrotaret. ij. Reg. 13. Non enim in toto, vel vix tam corruptus esse videretur, vt in tantum facinus stupri prosiliret, grauiter tentatus à diabolo
Gloss. ord. si non fuisset. Vnde glossa ibidem. Hoc monet nos, vt semper cautè agamus, ne vitia in nobis dominẽtur, & princeps peccati (qui falsam pacem periclitantibus spondet) nos imparatos inueniens de improuiso trucidet. De hoc secundo genere amoris refertus est liber sanctorum patrum, qui refert omnem tẽtationem carnalis amoris sibi in eremis subtraxisse quosdam, qui tamen vltrà quàm credi potest amore mulierum tentabantur aliquotiens; vnde & ij. Corinth. xij. Apostolus dicit. Datus est mihi stimulus carnis meæ angelus sathanæ qui me co-
Gloss. ord laphizet. Vbi glossa sic dicit: Tentando per libidinem, datus est mihi stimulus (vt quidam aiunt) tẽtatio autem cui non consentitur non est peccatum, sed materia exercendæ virtutis.] Hoc intellige dictum de tentatione quæ est ab hoste, non à carne, quæ peccatum est veniale, si ei non consentiatur. Hæc ibi. Et de hoc amore habes exemplum suprà
3. lib. j. capitulo iiij. De tertio quod amor hereos proueniat ex

ueniat ex maleficijs dæmonum & idololatrarum ostenditur hoc Ezechiel. xxiij. sub metaphora mulieris de Israele, qui populus iam sequebatur idola & maleficia Assyriorum. Insaniuit, inquit, in amatores suos in Assyrios propinquãtes ei, vestitos hiacyntho, principes & magistratus iuuenes cupidinis vniuersos, equites ascẽsores equorum; quos omnes constat maleficos habuisse, vel idololatras. Per quẽ modum autem dæmon in potentiam imaginatiuã, in phantasiam, & in generatiuam possit agere, ostẽdit Petrus de Palude in iiij. distinct. 34. quinque modis. Habet enim ex hoc quod est spiritus potestatem super creaturam corporalem ad motum localem prohibendum vel faciendum, vnde potest corpora impedire ne sibi appropinquent vel directè, vel indirectè interponendo se in corpore assumpto: sicut accidit sponso qui desponsauerat idolum, & nihilominus contraxerat cum quadam iuuencula, nec propter hoc poterat eam cognoscere. Secundo modo * potest hominem inflammare ad actum illum, vel refrigerare ab actu illo, adhibendo occultè virtutes rerum, quas optimè nouit ad hoc validas. Tertio, turbando æstimationem & imaginationem, qua reddit mulierem exosam, quia potest in imaginationem imprimere. Quartô, reprimendo directè * vigorem membri fructificationi accõmodi, sicut & motum localem cuiuscunque organi. Quintô, prohibẽdo missionem spirituum ad membra, in quibus est virtus motiua, quasi intercludendo vias seminis, ne ad vasa generationis descendat, vel ne ab eis recedat, vel ne excitetur, vel emittatur, vel multis alijs modis. Cum autem faciunt mulieres sortilegia cum fabis & gallorum testiculis, non est credendum quod virtute illarum rerũ vir impotens reddatur, sed occulta virtute dæmonum

Petr. de Palude in 4. dist. 34. q. 2. ar. 3.

Quinque modi quibus dæmõ agere potest in potentiam generatiuam & imaginatiuam.

add. potest ex or. or. rigorẽ.

illudente

& similibus, sed tales expugnare non valent, si armis virtutum & naturalium donorum resistere volunt. Talia (inquit Philosophia, j. de consolatione ad Boëtium) tibi contuleramus arma, quæ nisi prior abiecisses, inuicta te firmitate tuerentur. Vnde Cassianus ibidem refert de duobus paganis philosophis & maleficis, qui per tres gradus differentes in malitia, successiuè per sua maleficia dæmones miserunt ad cellam beati Antonij, vt eum tentationibus exinde fugarent, odio viri sancti infecti, eò quod multitudo populi ad eum quotidie veniet qui dæmones beatum Antonium (vt postmodum ad fidem conuersi fatebantur philosophi) amarissimis cogitationum stimulis pulsauerunt, quos tamen repulit crucis signo pectori & fronti impresso, & orationum incubationibus insistendo. Exemplum tamen satis terribile nouiter tactum Vincentius in speculo refert historiali ex gestis Beati Basilij magni, cuius tempore diues quidam vnicam filiam habuit, quam cõsecrare domino disponebat, quam seruus diuitis habere non valens in coniugio, maleficum adijt, dæmonem inuocauit, eidem chartam abnegationis fidei tradidit, & fornicationis dæmonem mitti obtinuit ad filiam, quam accendit adeo, vt in terram volutata, clamaret se propter seruum torqueri, & pro liberatione sui seruo per patrem in matrimonium tradi. Quod etiam ideo factum est per patrem mœstissimo corde. Tandem tamen iuuenis seruus liberatus est per beatum Basilium. Et in primo dialog. refert Beatus Gregorius de quodam maleficorum principe, qui à Roma incineratis socijs in monachi habitu fugit Basilius nomine: qui etiam tunc se à sancto Equitio pro monacho recipi procurauit, & in monasterio monialum statim absente Equitio monialem pulchriorem in tanto malefi-

Boët. l. 1. de consol. philos. Prosa 2.

Cassian. ibidem. cap. 18.

Suprà in verbis Petri de Palud.

Vincent. in spec. hist. lib. 15. c. 79.

Exemp. carnalis amoris à dæmone excitati.

Aliud ex Gregor. l. 1 dialogi. c. 4.

Vini nocumenta ostenduntur. Quomodo remediari possunt infrigidati, amore vel odio capti, & huiusmodi maleficiati. Quomodo bonus angelus magis est beneficus bonis quã malus maleficus peccatoribus, & de multis per angelos castificatis seu eunuchatis.

CAPIT. VI.

QVæ sibi à vino, vel à vippa non cauent, subito in ebrietate & grauiter quasi amentes nutabundæ incedũt. Ita vidi per experientiam. Dulcia enim sequuntur auidé, quæ si cõspersa fuerint pane vino intincto, ex his cibis inebriantur. Per tales formicas fatuas inebriatas vino hi possunt intelligi, qui voluptatibus * debriati huius seculi, velut amentes & ratione carentes, carnalia prosequuntur per insanias falsas. Quos in persona dei Esaias 51. sic alloquitur. Audi hæc paupercula, & ebria & nõ à vino, hæc dicit dominator dominus tuus, & deus tuus. Ecce tuli de manu tua calicem soporis, fundũ calicis indignationis meæ non ádijciam vt bibas illum vltrà. Per viuum autem luxuriam debere intelligi docet Prouerb.xx. Salomon cũm dicit. Luxuriosa res vinum, & tumultuosa ebrietas, quicunque his delectatur non erit sapiens. Et xxj. ibidem. Qui diligit epulas in egestate erit; qui amat vinum & pinguia non ditabitur. Et in psalmo 106. de his qui inebriati sunt non à vino iterum dicitur: Anima eorum in malis tabescebat. Turbati sunt & moti sunt sicut ebrius, & omnis sapientia eorum deuorata est. Propter quod ad Ephesios quinto dicit Apostolus. Nolite inebriari vino in quo est luxuria, sed impleamini

m. inebriati

Voluptates inebriant mentes, & ideo faciunt amentes

spiritu sancto, loquentes vobismetipsis in psalmis & hymnis, & canticis spiritualibus, cantantes & psallentes in cordibus vestris domino gratias agentes. *PIG.* Ex superioribus satis iam video, non minorem vesaniam, vel ebrietatem pati philocaptum, quàm eum, qui vino madere conspicitur. Idcirco nunc edoceri cupio in tribus, quæ remedia adhiberi debeant talibus, vt sanentur, nedum ipsi, sed qualitercunque in potentia * generatiua maleficiati. Deinde quomodo hi sanari valeant, qui sine maleficio philocapiuntur. Postremò vtrumne bonus spiritus tantum castitati conferre possit in beneficio, sicut malignus spiritus per suos dare consueuit in maleficio. *THEOL.* Pro solutione primi noscere debes, quòd quinque sunt remedia quę pro talibus licitè applicari valent, videlicet, ad sanctorum aliquorum limina peregrinatio, signi crucis & orationis deuotæ multiplicatio, peccatorum suorũ vera confessio vel contritio, per verba sobria licita exorcizatio, & cauta maleficij ablatio. De primo habuisti exemplum suprà libro primo cap. quarto. Et idem de ieiunijs, abstinentijs, & alijs reuerentialibus obsequijs Sanctis certis oblatis. De secundo præcedenti capitulo audisti, quomodo talibus se beatus Antonius à tẽtatore defendit. De tertio ibidem Petri de Palude consilium, quod ante eum sanctus Thomas, & alij doctores suaserunt, etiam perpendisti. De vltimo dictum est nuper iij. cap. Et in penultimo, de exorcismis omnes penè de hoc loquentes, catholicè ita fieri posse admittunt. Vnde in iiij. dist. vj. sanctus Thomas dicit: Propter peccatum hominis diabolus potestatem * accipit in hominem, & in omnia quæ in vsum hominis veniunt, in ipsius nocumentum. Et quia nulla conuentio est Christi ad belial, ideo quandocunque aliquid sanctifican-

Tria dubia principalia quæ hoc c. tractãtur a. b m. addit (&) De 1.

Quinque remedia aduersus maleficia

Thom. in 4. dist. 6. q. 2. ar. 3 or. accepit. & infra.

2. Cor. 6

ctificandum est ad cultum diuinum prius exorcisatur, vt liberatum à potestate diaboli, qua illud nocumentum hominis assumere * poterat, deo consecratur. Et hoc patet in benedictione aquæ, in consecratione templi, & in omnibus huiusmodi. Vnde cùm prima consecratio, qua deo homo consecratur, fit in Baptismo, oportet etiam quòd homo prius exorcizetur multo fortiori ratione quàm aliæ res; quia in ipso homine est causa quare diabolus potestatem *accipit in hominem, & in alia quæ sũt propter hominem, scilicet, peccatum originale, vel actuale. Et hoc significant ea, quæ in exorcismis dicuntur, cùm dicitur: Recede ab eo sathana. Hæc Thomas. Idem dicunt doctores licitum esse de applicatione exorcismorum contra potestates dæmonis. Sed ibi cauẽdum est, ne character aliquis ignotus, aut verba ignota sint, aut aliud superstitiosum. Sed tamen non obstante applicatione omnium præfatorum remediorum adhuc aliquando maleficiatus à pœna non absoluitur, licet à reatu vel peccato per quod incurrit maleficium absoluatur. Vnde Sanctus Thomas in iiij. dist. xxxiiij. dicit. Maleficium quandoque ita est perpetuum quod non potest habere remedium humano opere, quamuis deus posit præstare remedium, dæmonium cogendo, vel etiam * dæmon desistendo. Non enim semper oportet, vt quod per maleficium, aliquod factũ est, posit per maleficium aliud destrui, vt ipsi malefici confitentur. Et tamẽ si posset per maleficiũ remediũ adhiberi, nihilominus *perpetuũ reputaretur, quia nullo modo debet aliquis dæmonis auxilium per maleficium inuocare. Similiter nõ oportet, quòd si propter peccatum aliquod data est diabolo potestas in aliquẽ, quòd cessante peccato cesset potestas, quia pœna interdũ remanet culpa transeunte. Similiter etiam exorcismi

restit. ex or pro putatur.

Quid in exorcismis cauendum.

Tho. in 4. dist. 34. q. vnic. a. 3 ad 3.

rest. ex or. pro dæmoni resistendo.

rest. ex or. pro peccatum.

ecclesiæ, non valent ad reprimendũ dęmones semper quantum ad omnes molestias corporales, iudicio dei hoc exigente: sẽper tamẽ valent contra illas infestationes dęmonũ, cõtra quas principaliter instituti sunt. Hæc Thomas. Sed multũ cauendũ est his, qui diuinis præceptis & ecclesiæ humanã sanitatẽ præponũt, ne maleficos inuocẽt pro remedijs, quia eorundẽ inuocatione posteriora nõnunquam peiora prioribus fiunt, vt in exẽplo deducit Gregorius. j. dialog. de femina quæ vno dæmone possessa, per maleficos dum liberari attẽtabatur, legio sub maleficorũ operibus statim eam intrauit. *PIG*. Habeo adhuc tria dubia de exorcismo. An non habens exorcistatus ordinem, exorcisare dęmones licitè valeat. Secundò, quæ sit differentia inter effectum aquæ benedictæ, & exorcismi, cùm vtrumque contra dæmonis molestiam ordinetur. Tertiò An exorcismus tantum significet, vel etiam an aliquid efficiat.

Remedijs maleficorum res n deterius eunt vt declaratur exempl. Mat. 12. Gregor l. 1. dial. c. 10. Tria dubia de exorcismo.

THEOL. Ad primum & ad alia respondet sanctus doctor. Ad primum dist. xxiiij. quod sic, in quarto. In ordine, inquit, exorcistatus, & in alijs minoribus ordinibus omnibus, cùm conferuntur, recipitur potestas, vt quis hoc vel illud ex officio facere posſit, puta exorcizare; & idem à non habentibus ordinem licitè fieri potest, non vt ex officio; quamuis illi hoc non habeãt ex officio. Sicut in domo nõ consecrata potest dici missa, quãuis consecratio ecclesiæ ad hoc ordinetur, vt in ea missa dicatur, sed hoc tunc magis pertinet ad gratiam gratis datam, quàm ad gratiam sacramenti.] Ad secundum respondet dist. 6. dicens: Diabolus impugnat nos ab exteriori & interiori. Aqua ergo benedicta ordinatur contra impugnationem diaboli, quæ est ab exteriori, sed exorcismus contra impugnationem diaboli quæ est ab interiori: vnde illi contra quos datur, dicuntur energumeni, id est, intus

Resp ad. 1 Thom in 4. dist 24. q 2. ar 2. ad 9.

ad 2. Thom in 4. dist 6. q. 2. ar. 3 Idẽ habet in summa p. 3. q 71. ar. 2. ad. 4.

laborantes aut propter infectionẽ fomitis, aut propter possessionem corporalem à dæmone. Ad tertiũ respondet ibidem, quòd etiam efficit, quod patet tũ quia per modũ imperij dicũtur, non per modum orationis tantùm. Vt: Exi maledicte diabole: Tum etiam quia beatus Gregorius super Ezechielẽ dicit: Sacerdos dũ per exorcismi gratiam manus credentibus imponit, & habitare malignos spiritus in eorum mente contradicit, quid aliud facit, nisi quòd dæmonia eijcit? Nec est inconueniens, quòd etiam quando iã baptisato exorcismus prius neglectus adhibetur, dicere quòd tunc aliquid efficiat, cohibẽdo ab impugnatione diaboli, cùm etiã post baptismum per aquã benedictam aliqua potestas dæmonis reprimatur. Immò si exorcisatur puer, & ante baptismum moritur, sibi in vita sua tantũ valuit, vt in eo potestas dæmonis debilitata fuerit, & sit. Et ideo exorcismi non tantùm significant, sed etiam efficiũt aliquid, nõ tantùm in corpore, sed etiam in anima, quia in vtroque est infectio fomitis. Effectus autem iste est debilitatio potestatis dæmonis, ne tantũ possit in homine, sicut ante baptismum, & ne alia bona in ipso impediat. Hæc omnia Thomas. Ad secundũ dubium de amore hereos, seu philocaptione, vel * hislithi, vt Auicenna loquitur, quæ est ægritudo quam aliquis incurrit propter amorem. Tradit enim Auicenna septem remedia inter cetera libro tertio. Vnum est agnoscere personam in qua quis captus est. quod experitur aliquis ex fassione infirmi, vel ex variatione pulsus ad nominationem amati, quia sic radix ægrotationis habetur; vt etiam beatus Ambrosius ponit in passione Sanctæ Agnetis de filio iudicis. Aliud est copula per matrimonium si lex sustinet, quia ita quidam sanantur cùm obeditur naturæ. Tertium est applicatio medicina-

ad 3. Thom. ibid.

Habetur homil. 29 super euãgel.

2. dub. principale.

or. ilisci.

Auicen. l. 3. fen 1. tract. 5. c. 24 & 25

1.

Ambros. ser. 90.

2.

3.

4 lium, de quo ibidem tractat & docet. Quartum est, vt amorem suum de dilecto per licita remedia ad aliud diligendum conuertat, quod priori præeligere debet, & ita fugere præsentiam amati, quia sic
5. distrahitur animus. Quintum, si ille rationabilis est corrigatur, hortetur, tribuletur, & amoris opus ostendatur esse miseria. Sextum est, vt potissimum
6. vetulæ ad ipsum dirigantur, quæ, quantum cum veritate & deo possunt, vituperent corpus & dispositionem dilecti, & mores, cum transfiguratione facierum turpi seu deformi. Tamen quidam ex hoc plus inflammantur, quia in relatione de amato delectantur, licet alij sanentur. Septimum est, vt
7. occupetur in rebus arduis, distractiuis officijs, & huiusmodi. Similiter de similibus dicendum est; prosecutio autem horum ad medicum pertinet; sed theologica præcedenti dubio dicta præ alijs applicari debent. Ad tertium dubium: Anne bonus angelus aliquando iustos viros beneficiet, sicut constat malum angelum maleficiare iniustos? Responsum habes ex patrum sanctorum exemplis, quod sic, immo multiplicitis in infinitum. Quicquid enim boni à fonte totius bonitatis deo in nostra temporalia & corporalia bona emanat, totum, secundum beatum Dionysium, per ministerium angelorum habemus. E[illegible] sanctus doctor in quodam loco super. iij. sentent. tradit: Cum deus gratiam menti nostræ notabilem vult infundere, ad quam licet se nulla creaturæ potestas extendit, tamen ad hanc dispositiuè angelus bonus cooperatur. Sicut etiam licet ad verbi dei conceptionem in virgine beatissima, per quam deus homo factus est, sola diuina virtus efficienter affuerit, tamen angelico ministerio mens virginis per salutationem, per confortationem, & per informationem multum

Respicit ad 5. remedia sub initiũ c. posita.
3. dub. principale.

Dionys. Areop.
Thom.

multū excitata, vel ad bonum prædiſpoſita fuit. Eſt præterea communior & magis conſona tam ſacræ paginæ, quàm philoſophiæ naturali iſta opinio, quę tradit omnia corpora cæleſtia regi & moueri virtute angelica: quamobrem à Chriſto, & ab eccleſia virtutes cælorum vocantur. A cæleſtibus autem influentijs ſimpliciter omnia huius mundi corporalia reguntur, teſte philoſopho primo meteororum. Eſt inſuper doctrina ſancti doctoris, quòd in homine tria ſunt in quę ſpiritus ſeparati agere valent, ſed differenter, voluntas, intellectus, & potentiæ aliæ ipſius animę affixæ mēbris organicis corporalibus. In primum ſolus deus: in ſecundum tantummodo deus, & bonus angelus, vt illuminet; & in tertium, deo permittente, malus ſpiritus agere poteſt, & imprimere, ſed in poteſtate voluntatis humanæ eſt immiſsiones factas per angelos malos acceptare, vel refutare talia cum dei inuocata gratia propulſare, vel eadem neglecta admittere poſſe.

Calos ab angelis moueri.

Mat. 24. Eccleſ. in præfat. miſſa.

Ariſt l. 1. Meteor. c 2.

Thom, par. 1. q. 105. ar. 4 q. 111. ar 2. 3 & 4. & l. 3. contra gentes. c. 88. & 89.

PIG. Licet hæc ſint innumerabilia bonorum angelorum etiam in iniuſtos profluxa beneficia, de quibus, heu, neſcius fui hactenus, ſed gratus erô in anteà, tamen de his non quæro principaliter, ſed de beneficijs eorum circa generatiuam potentiam, vtpote, an quoſdam caſtificent, ſicut mali ſpiritus quoſdam malos infrigidant per ſua maleficia.

THEOL. Haud dubium ita faciunt, ſed vbi & quando expedit. Nam ita factum de ſancto Sereno abbate, de quo refert Caſsianus in collationibus patrum collat abbatis Sereni prima. Hic, inquit, pro interna cordis atque animæ caſtitate nocturnis diurniſque precibus, ieiunijs quoque ac vigilijs infatigabiliter inſiſtens, cunctos æſtus carnalis concupiſcentiæ tandem per diuinam gratiam in ſe extinxiſſe percepit. Deinde maiori zelo caſtitatis

Caſſ. colat. 7. quæ eſt 1. abb. Sereni c. 2

Exemp. de Sereno abb qui mira biliter ab an-

gelo donum castitatis accepit.

succensus, præfatis vsus remedijs à deo petijt, vt interioris hominis castitas in corpus redūdaret dei dono. Postremò autem veniens ad eum angelus in visione nocturna, eiusque velut aperiens vterum, quandam ignitam carnis strumam, de eius visceribus euellens, ac proijciens, suisque omnia, vt fuerant, locis intestina restituens, ecce, inquit, incentiua carnis tuæ abscissa sunt, & obtinuisse te noueris hodierna die perpetuam corporis puritatem iuxta votum quo poposcisti, vt ne ipse quidem naturali motu, qui etiam in paruulis atque lactentibus excitatur, vlterius pulseris.] Sicut de beato Equitio abbate dicit beatus Gregorius primo libro dialog. Hunc, inquit, cùm iuuentutis suæ tempore acri certamine carnis incentiua fatigarent, ipsæ suæ tentationis angustiæ ad orationis studium solertiorem fecerunt. Cumque hac in re ab omnipotenti deo remedium continuis precibus quæreret, nocte quadam assistente angelo eunuchari se vidit, eiusque visioni apparuit, quòd omnem motum ex genitalibus membris eius abscinderet, atque ex eo tempore ita fuit alienus à tentatione, ac si sexum non haberet in corpore; qua virtute fretus, ex dei omnipotentis auxilio, vt viris ante præerat, ita cœpit postmodum etiam feminis præesse. Ita in vitas patrum illorum quos sanctus Heraclides vir religiosissimus collegit in libro suo quem Paradisum nominat, meminit cuiusdam sancti patris & monachi, quem Heliam vocat. Hic misericordia motus trecentas feminas in monasterium collegit, & regere cœpit. Transacto autem biennio iam triginta quinque annos circiter habens vitæ, tentatus à carne in eremum fugit, vbi biduo ieiunus orans ad deum ait: Domine deus aut occide me, aut libera me ab hac tentatione. Vespere igitur somnus ei irrepsit, tres ange-

Aliud exem. de S. Equitio qui etiam ab angelo, visus est eunuchari, ex Greg. l. 1. dial. c. 4.

3. de Helia ex paradiso Heraclidis, siue Palladij hist. Lausiaca. c. 35.

tres angelos ibi ad se venire vidit, quibus quærentibus, cur à monasterio virginum fugisset; nec ille præ verecundia respondere auderet, dixerunt angeli. Si liberaberis, num redibis curam feminarum gerendo? Respondit ille. Quam libens. Tunc illi iuramentum ab Helia recipientes quod exegerant, eum eunucharunt. Nam vnus manus, alter pedes, tertius nouacula testes eius visus est abscindere, nō quod ita verè esset, sed quia ita esse videbatur. Quęrentibusque anne remedium sentiret. Respondit ille, se plurimum exoneratum; vnde quinta die ad lugentes feminas rediit, & per quadraginta annos quibus superuixit, nec pristinæ tentationis deinceps scintillam sensit.] Non minus beneficium collatum esse legimus beato Thomæ doctori nostri ordinis qui a cōsanguineis propter ingressum dicti ordinis incarceratus, vt per meretricē seduceretur ad sæculum, tentatus est; quæ per consanguineos immissa est veste & ornatu compositissimo. Hanc enim sanctus doctor intuens, ad ignem materialem cucurrit, titionem ignitum arripuit, & vi feminam è carcere fugauit, in orationeque statim pro castitatis dono positus obdormiuit, vbi duo angeli ei apparuerunt dicētes: Ecce dei te ex parte cingimus cingulo castitatis, quod nulla posit de cætero impugnatione dissolui, & quod humanæ virtutis non conquiritur merito, tibi ex parte dei confertur ex dono. Sensit igitur cincturam sanctus vir, scilicet, tactum cincturæ, & exclamando euigilauit: deincepsque tanto munere castitatis se dotatum sensit, vt ab eodem tempore omnem horreret luxum, vt sine necessitate feminis colloqui posset, sed perfecta castitate * polleret vt eius tradit legenda.

4. de S. Thoma doctore angelico ex Vita per Ioan. Garzon. & alios.

rest. pro pollet.

Comestio

Comestio detractionis quæ sit; Malefici quomodo lædunt iudices aliquando, quomodo vident absentia, & quomodo dicunt aliquando contradictoria.

CAPIT. VII.

F*Ormicæ comestæ ab hominibus eis nocent; non bestijs omnibus, sed quibusdam proficiunt, vt vrsis qui eas auidè quærunt.* Formicarum nomine iusti designantur, vt suprà dudum habuimus. Comedere autem vitæ alienæ detrahere est, aut in fama, aut in sana doctrina. De qua comestione cautum reddit filium qui Prouerbior. 23. dicit. Noli esse in conuiuijs potatorum, nec in comessationibus eorum qui carnes ad vescendum conferunt, quia vacantes potibus, & dantes symbolum (glossa, id est detractionum) consumentur. Vbi glossa iterum dicit. Carnes ad vescendum conferre, est in communi locutione derogationis vicissim vitia proximorum dicere; de quorum pœna subditur, quia talibus vacantes consumuntur.] Quo contrà verbis bonis diuinam † cōtinentibus sapientiam operam dare congruit, quibus anima satiari licitè poterit, de quo Prouerb. 24. Salomon subdit. Comede fili mel, (Glossa, doctrinam sapientiæ) quia bonum est, & fauum dulcissimum gutturi. Sic & doctrina sapientiæ animæ tuæ, quam cum inueneris, habebis in nouissimis spem, & spes tua non peribit. Melli enim & fauo dicit glossa, comparat doctrinam sapientiæ, quia sicut illa cęteris cibis, ita hæc doctrinis præualet alijs.] Iterumque deuoratoribus humanarum carnium per detractionis vitiū & per superstitionis maleficium dicitur in

Glos. ord. secundū sensum.

Glos. ord.

† rest. pro cōtinētes.

Glos. interl.

Glos. ord.

dicitur in psal. Filij hominum dentes eorum arma & sagittæ, & linguæ eorum gladius acutus. Et Prouerb. 30. Inter quatuor generationes peruersas hæc vltima est, de qua dicit: Generatio quæ pro dentibus gladios habet, & commandit molaribus suis, vt comedat inopem de terra, & pauperes ex hominibus. Vbi glossa. Generatio quæ pro dentibus gladios habet, hæc est, quæ suam perfidiam alijs immittere conatur, & sicut corpora gladijs, ita audiẽtium animas veneno allocutionis occidit]; Vnde dicitur, vt comedat, id est, ad hoc vt deuoret inopes, id est, innocentes, & pauperes, id est, humiles. Deuoratio tamen formicarum non hominibus, sed bestijs, vt vrsis prodest, quia maleficorum officium, & detractionis vitium non iustos, sed perfidos delectat. In cuius figura Danielis 7. secunda bestia quæ de mari ascendit similis vrso erat, quæ in parte stetit, & * tres ordines dentium erant in ore eius, & in dentibus eius, & dicebant * ei. Surge comede carnes plurimas. Per quæ triplex nocumẽtum maleficorum innuitur, videlicet, bonorum temporalium, humanorum corporum, & animarum rationalium, quæ lædi solent per talia maleficorum exercitia. Vnde Prouerb. 17. Semper iurgia quærit malus, angelus autem crudelis mittetur contra eum. Expedit magis vrsæ occurrere raptis fetibus, quàm fatuo confidenti sibi in stultitia sua. Vbi glossa: Angelus crudelis immundus spiritus est, qui à domino contra peccatores mittitur, vt in præsenti affligat, vt Ægyptios, vnde, immisit in eos iram indignationis suæ per angelos malos. Et subdit. Potest in * vrsa hostis antiqui malitia intelligi, cui fetus rapimus, cùm eos, qui filij sui erant, catechizando & baptisando dei filijs adiungimus, & hoc sæpe facilius fit, quàm hæreticum ad fidem re-

ctam

Psal. 56.

Glos ord.

Gloss. interlin.

addidi tres, &c. ei, ex orig.

Glos. ord.

restit. ex orig. pro vrso.

ctam reuocare, vel catholicum praué agentem ad bonum opus reducere.] *PIG.* Per bestias, vt dicis, formicas deuorantes fide reprobi & malefici intelligi valent: dic exemplum, quomodo id opere perficiunt humana lædendo corpora de sanitate in infirmitatem. *THEOL.* Audi ergo quid bestiæ tales Petro iudici, de quo supra retuli, nefas fecerint. Diu enim se in eo vindicare studebant, sed quia fidem bonam gerebat, & se diligenter crucis signo munire solebat, seque auisatus aliquotiens ab occasione eorum abstinebat per quę maleficia procurari solent, idcirco illæsus, propter astutiam talium, euadebat, vno excepto tempore in quo ex delicto proprio meruit non in toto custodiri à domino, prout mihi retulit. Consueuerat enim, in territorio Bernensium in castro Blanckenburg habere residentiam tempore quo terram eandem gubernabat. Postquàm autem officio resignauit, & ciuitatem Bernensem reintrauit, ibique domicilium tenebat, die quadam rediens ad castrum prædictum, vbi cognatus suus suum in officium substitutus fuerat, in eodem castro Petrus quædam expedire negotia apud sibi notos volebat. Tunc vna malefica, & quatuor consortes eiusdem malitiæ viri conuenerunt de sero in loco vno, machinamenta suæ artis voluentes pro viribus, vt Petrum grauiter veneficijs læderent, vel occiderent, quem hæc latebant fraudis * commercia. Aduenie nte igitur nocte Petrus se benedicendo crucis signo, cubitum iuit, sed nocte surgere omnino proposuit ad scribēdum necessario quasdam epistolas, vt mane recedere à loco valeret. Euigilans igitur intempesta nocte, sibi videbatur ex * inopinato quod dies adesset, luce deceptus fictitia, de quo in se iratus, quia vt putabat noctem neglexerat, non se vt debuit muniendo

Petrus iudex non se muniēs signo crucis, & ex ira maledictionis verbum proferens, nocte de gradibus præcipitatur & grauiter læditur opera maleficorū.

c.d. commenta.

a. b.m. opinato.

niendo more solito, vestimentis induit, per gradus altos versus locum, vbi pugillarem habuit, descendit, & locum clausum reperit. De quo maiori ira exardescens, cum murmure per gradus, quos descenderat, versus lectum iteratò scandebat, emittendo vnicam ex indignatione maledictionē per verbum satis breue, ac si diceret: In nomine diaboli. Et ecce statim in tenebris densissimis Petrus proiectus est in præceps per graduum prædictorum passus adeo grauiter, vt famulus qui de subter scalam in cōmmodo dormiebat excitaretur, exiret, & quid adesset conspicere vellet. Reperit autem Petrum accenso lumine solum in terra, priuatum rationis vsu iacentem, & collisum, per omnia membra sanguinem plurimum é corpore emittentem. Excitatur familia, & nemo erat qui lapsus causam aperire posset. Tandem tamen diuina arridente gratia vsum rationis recuperauit, sed sanitatem corporis vix in tribus septimanis rehabuit. Et quamquam maleficos haberet suspectos, quos pro viribus de terra radere cupiebat, tamen reos ignorabat huius sceleris sibi illati. Verùm quia nihil opertum, quod non reueletur, euētu quodam factum est postmodum, vt quidam latens maleficus veniens de terra Bernēsium, vbi domicilium habuit, in ciuitate Friburgensi Lausanensis diœcesis die quadam in taberna cum bibulis sederet, & ad consocios diceret. Ecce, ait, video quòd talis (quē nominauit) in aqua vbi circa habitationem meam hamum in aquam pro captura piscium posui, mihi eum furto leuat, & surripit; distabant autem ab inuicem loca per sex magna Teuthonica miliaria, per quæ opere dæmonis furtum intuebatur. Hoc verbum ponderauere fideles, reum accusauerunt, & postmodum iudicialiter carceri mancipatus est, vbi biduo duriter quæstiona-

c. d. induitur.

Nota malam consuetudinē ex ira diabolum nominandi.

Luc. 12.

Maleficus 6 miliaribus distās videt hamum suum surripi.

quæstionatus, nihil penitus fateri voluit de proprijs facinoribus. Tertia autem die, quæ fuit Sabbathum, in qua communiter ob reuerentiam beatissimæ virginis eadem colitur officiosé, tortus iterum, virus suum euomuit. Nam præfati sui verbi & furti veritatem se dixit fuisse expertum, & quód quatuor viri malefici Petrum, præsente malefica, (quam nominauit) per manus eiusdem vetulæ in præceps proiecissent, fatebatur, & causam huius iracundiæ in vetulam venisse asserebat, quia scilicet sibi iustitiam aliquando ad libitum, iudex existendo, non ministrasset; addiditque, se alijs duobus diebus dęmonum machinamentis detentum, non potuisse in tormentis respondere; sed quia (vt ait) festum beatę virginis, quo ad officium, celebrabatur, dixit se iam liberum ad dicendum veritatem, & ita tandem iuxta patriæ municipalia igni traditus est.

Maleficas aliquãdo contradictoria dicere Io. 8.

Notandum tamen, quod tales pseudoprophetæ aliquando omnino contradictoria dicere solent, per patrem mendacij decepti, vt idem Petrus expertũ se esse retulit. Nam quædam malefica per eum capta est, & intutrita. Habuit autẽ maritum talis maleficij non magistrum, qui curiositate ductus, ad quandam illarum partium vetulam properauit, de qua cuncti referebant quód futura prænosceret. Ad hãc cùm venisset, supplex petiuit vt sibi diceret, anne spem habere deberet, quód cum vita vxor sua iudicem euaderet quæ iam capta erat. Cui respondit vetula: Noli timere, indubiè liberabitur, nec hac captiuitate morietur. Quo vir factus alacrior, obuiauit iudici Petro altera die. Cui Petrus. Vbi, quęso, fuisti? At ille. Apud prophetissam, ait, fui, quæ mihi retulit vxorem de sua captiuitate liberandam esse, nec mori ex hac captiuitate. Deinde regressus Petrus in hospitium vocabatur à capta malefica, quæ

Petro

Petro dixit. Vidi quod maritus meus vetulam accersiuit, quæ me liberādam esse prænunciauit, scio, mētitur; quia proxima die tuo sub iudicio incinerabor. Hæc cùm postmodum iudex marito dixisset, ridēdo expectabant quę inter maleficas veritatem dixisset, sed secutum proxima die inturritæ fœminæ incendium per publicam factum iustitiam, veritatem maleficæ quæ virum habuit palam fecit. Nec tamen credere debes Petrum, vt in primo exemplo habitum est, manibus maleficorum qui in castro non erant corporalitur per gradus iactatum ad literam, sed maleficorum sacrificijs, vel cęremonijs allecti dæmones præsentes illud præcipitium fecerunt Petri, & vt mentes maleficorum deciperent in imaginatione superstitiosorum hominum effecerunt vt sibi viderentur præsentes esse. Ita etiam in secundo & tertio exemplo dæmonis impressione in imaginatiuam maleficorum factum est, vt absentia velut præsentia cernerentur, sicuti suprà lib. præsenti cap.j. audisti ex verbis sancti doctoris & etiam cap. quinto.

Delectatio Venerea quantum fugienda sit. De feminis sub virili specie se publicè dicentes esse missas diuinitus. Et de tribus quæ rarò mediū tenent, videlicet, lingua, ecclesiasticus, & fæmina: Quæ in bonis optima, in malis verò aliquando pessima sunt.

CAPIT. VIII.

C*Ibus formicarum nonnunquam sunt cadauera animalium mortuorum*. Ad moralem intelligentiam, comedere mortua animalia est aliquando frui peruersa

peruersa luxuria. Vnde illecti aliquando feminarum peccatricum propter famē luxuriosæ voluptatis mortua animalia comederunt, eisdem in non modicam displicentiam dei fruētes, vt in Psal. 105. sub compendio in veritate, & sub typo de Israelitico populo tangitur. Initiati, inquit, sunt Beelphegor, & comederunt sacrificia mortuorum. De quo Numeri apertius dicitur 25. Fornicatus est populus cum filiabus Moab, quæ vocauerunt eos ad sacrificia sua; at illi comederunt & adorauerunt deos earum, initiatusque est Beelphegor Israel, & iratus dominus dixit ad Moysen. Tolle cunctos principes populi, & suspende eos contra solem in patibulis, vt auertatur furor meus ab Israel. Hec autem omnia fecit Israel seductus occulta machinatione Balaam malefici, qui suo consilio illius morticinæ fornicationis exordium in Israel extitit. Super quo glossa. Libidini quis seruiendo doctrinam Balaam tenet. Est ergo execrabilis etiam corporis fornicatio, quæ violat templum dei, & tollit mēbra Christi, & facit membra meretricis. Sed execrabilior est generalis fornicatio, in qua omne genus peccati pariter continetur, cùm anima, scilicet, consortio verbi dei ascita, & matrimonio eius associata, ab aduersario eius qui eam sibi in fide despondit, corrumpitur. Est ergo sponsus & vir animæ mundæ verbum dei, idest, Christus. Despondi vos omnes (ait Apostolus) vni viro virginem castā exhibere Christo. Dum igitur anima adheret sponso, & complectitur, & audit verbum eius, ab ipso suscipit semen verbi, & concipit, & facit filios, pudicitiam, iustitiam, patientiam, & omnes virtutes, vt salua sit per generationem filiorum, si permanserit in fide & charitate, Si autem se diabolo & dæmonibus prostituerit, faciet filios adulterij, scilicet omnia peccata.]

Num. 31. & Apocal. 2.

Glos. ord. ad c. 25. Num.

1. Cor. 6.

2. Cor. 11.

1. Timot. 2.

ta.] Et iterum glossa Originis ibidem: Per omnia peccata quæ committimus, maximè si non surreptione aliqua, sed studio peccamus, illi dæmoni, cui curæ est quod admittimus, consecramur. Et fortè tot dæmonibus consecramur, quot peccata committimus, & mysteria idoli illius pro illo suscipimus.] Assimulantur autem corpora fornicantium meritò fœtidorum animalium corporibus, quia vt Ecclesiast. 9. dicitur. Omnis mulier fornicaria quasi stercus in via côculcabitur. Propter quod propheta postquàm de his qui potentes sunt ad bibendum vinum in quo est luxuria, locutus est Isaiæ. v. paulò post ita subiungit de eisdem. Facta sunt morticina eorum quasi stercus in medio platearum. In omnibus his non est auersus furor eius, sed adhuc manus eius, scilicet dei, extenta. *FIG.* Suntne nostro tempore boni viri aliqui decepti per magas, vel maleficas tuo iudicio? *THEOL.* Meum in sequentibus suspendo iudicium, sed ea quæ publica vox tradit & fama referam: Habemus hodie sacræ theologiæ professorem insignem fratrem Heinricum Kaltyseren inquisitorem hæreticæ prauitatis. Hic cùm anno proximè præterito inquisitionis officio in ciuitate Coloniensi insisteret, vt mihi ipse retulit, percepit circa Coloniã quandam virginem esse quæ, in habitu virili omni tẽpore incesit, arma deferebat, & vestimenta dissoluta, velut vnus de nobilium stipendiarijs, choreas cum viris ducebat, & potibus ac epulis adeo insistebat, vt metas feminei sexus, quem non negabat, omnino excedere videretur. Et quia eodem tempore (sicut heu hodie) sedem Treuerensis ecclesiæ duo pro eadem contendentes, grauiter molestabant, gloriabatur se vnam partem posse & velle inthronisare; sicut virgo Iohanna (de qua statim dicetur) regi

Henricus Kalteisen inquisitor

Virgo quadam habitu virili incedẽs mira designat.

 Carolo

Carolo Francorum paulò anteà fecerat, in suum eum regnum confirmando, immò illa se eandem Ioannam à deo suscitatam esse affirmabat. Cùm igitur die quadam cum comite iuniori de * Virnenburg, qui eam tuebatur & fouebat, Coloniam intrasset, & ibidem mira in conspectu nobilium fecisset, quæ magica arte videbantur fieri, tandem per prædictum inquisitorem, vt inquireretur, diligenter inuestigabatur, & citabatur publicè. Mappā enim quandam dicebatur lacerasse, & subitò in oculis omnium reintegrasse: Et vitrum quoddam ad parietem à se iactatum & confractum in momēto reparasse, & similia plura inania ostentasse. Sed misera parere mandatis ecclesiæ renuit, comitem antefatum in tutelam, ne capererur, habuit, per quē clam de Colonia educta, manus quidem inquisitoris, sed excommunicationis vinculum non euasit. Quo tandem arctata partes Alemaniæ exiuit, metasque Galliæ intrauit, vbi militem quendam, ne ecclesiastico interdicto vexaretur, & gladio, duxit in matrimonium. Deinde sacerdos quidam, leno vocandus potius, magam hanc verbis deliniuit amatorijs, cum quo postremò furtim recedens, Metensem ciuitate intrauit, vbi velut cōcubina secum habitans, quali spiritu ducta fuerit cunctis patenter ostēdit. Fuit præterea infra decem annorum spatia nouiter in Francia quædam, de qua præmisi, virgo, Iohanna nomine, tam prophetico spiritu, quàm miraculorum potestate, vt putabatur, clarens. Hæc enim veste virili semper vtebatur, nec vllis doctorum quorumcunque persuasionibus emolliri potuit, vt tales deponeret vestes femineis contenta, præsertim cùm se palam virginem & feminam esse protestaretur. Sub hoc, inquit, habitu virili in signum futuræ victoriæ, vt verbo * prædicta

Margin notes: *e d. Vuirtenberg.* — *De Ioanna virgine in frācia famosissima.* — *a.b.m. predicam*

dicem, & habitu, à deo missa sum iuuare verum Francorum regem Carolum, & in suo firmare reggno, à quo eum fugare nituntur rex Angliæ, & dux Burgundię; Pro tunc enim hi iuncti mutuô cædibus & armis Franciam premebant grauissimè. Igitur cum suo domino Ioanna continuè velut miles equitabat, futura & fausta multa prædicebat, victorijs bellicis quibusdam intererat, & alia mira talia perpetrabat; de quibus nedum Francia, sed omnia Christianorum regna stupebant. Ad tantam denique præsumptionem venit Iohanna, vt nondum adepta Francia, iam Bohemis, vbi hæreticorum multitudo tunc fuit, minas intentaret per literas. Dubitabant exinde seculares & ecclesiastici, regulares & monastici quo spiritu regeretur, diabolico an diuino. Scripserunt proinde quidam viri litteratissimi tractatus eius ex parte, in quibus non modò diuersa, sed etiam aduersa de virgine senserunt. Postquam autem regem Carolum in multis iuuisset, & firmasset regno annis quibusdam, demum nutú, vt creditur, diuino, per Anglicorum armatam capta est, & * incarcerata. Accersitis autem & vocatis in magna multitudine magistris tam diuini, quàm humani iuris multis diebus examinata est. Et prout à magistro Nicolao Amici, licentiato in Theologia audiui, qui ambasiator fuit vniuersitatis Parisiensis, tandem ipsa fassa est se habere familiarem dei angelum, qui iudicio literatissimorum virorum iudicatus est esse malignus spiritus ex multis coniecturis, & probationibus, per quem spiritum velut magam effectam, ipsam ignibus per publicam iustitiam consumi permiserunt, * & prout de hac historia rex Angliæ nostro imperatori Sigismundo satis latè scripto-tenus historiam innotuit. Eodem tempore duæ feminæ

c.d. incinerata.

Quo spiritu ducta fuerit.

m. omittit &.

Aliæ duæ feminæ quæ se à

Deo missa se esse dicebant.

prope Parisius surrexerunt, se publicè dicentes missas esse à deo, vt Virgini Ioannæ essent in subsidium, & quemadmodum à prędicto magistro Nicolao viuæ vocis organo audiui, obinde velut magæ, vel maleficæ per inquisitorem Franciæ captæ sunt, & per plures sacræ theologiæ doctores examinatæ, tandem repertæ sunt maligni spiritus deliramentis deceptæ. Vnde cùm vna ex eisdem feminis se per angelum sathanæ seductam conspiceret, ex magistrorũ informatione à cœptis resipuit, & errorem, prout debuit, statim reuocauit. Alia verò in pertinacia permanens ignibus cõsumpta est.

PIG. Mirari non sufficio, quomodo fragilis sexus in tantas audeat prosilire præsumptiones.

Tria, quæ dum exorbitant, modum vix tenent.

THEOL. Apud simplices tui similes mira sunt ista, sed in prudentum oculis hæc rara non sunt. Sunt enim tria in rerum natura, quæ si suæ conditionis limites excedunt, aut in diminutione, aut in excessu, bonitatis vel malitiæ apicem sibi vendicant: lingua videlicet, ecclesiasticus, & femina, quæ si bono reguntur spiritu optima, si verò malo, pessima fieri consueuerunt. Linguæ enim vnius bono ministerio (vt de lingua primò exemplificemus)

Bona lingua.

fidei Christianæ plurima regna subiugata sunt, vt in sanctis Christi Apostolis, & in sapientibus patet prædicatoribus. Prudentis etiam viri lingua nonnunquam infinitorum hominum strages præpeditur, propter quod Salomon Prouerb.x, dicit. In labijs sapientis inuenitur sapientia, & virga in dorso eius qui indiget corde. Argentum electum lingua iusti, cor impiorum pro nihilo. Labia iusti erudiũt plurimos, qui autem indocti sunt, in cordis egestate morientur. Cuius causa ibidem.xvj. subditur:

Mala lingua.

Quia hominis est preparare animũ, & domini gubernare linguam. De malitia linguæ Ecclesiastici 28. dicitur.

28. dicitur. Lingua testificãs adducit mortem. Lingua tertia multos commouit, & dispersit illos à gente in gentem, ciuitates munitas diuitum destruxit, & domos magnatorum effodit. Vide ibi multa mala, & Iacobi 3. similiter, quæ mala lingua facit. Est autem tertia lingua eorum qui inter duas contrarias partes incautè vel malitiosè loquuntur aliqua. De ecclesiasticis secundò plurima exempla habemus. Sub ecclesiasticis autem clerici & religiosi intelliguntur in vtroque sexu. Quo ad malos enim clericos dicit beatus Hieronymus in epistola ad Nepotianum. Negociatorem clericum, ex inope diuitem, ex ignobili gloriosum quasi quandam pestem fuge.] Et beatus Bernardus homil. 33. super cantica, loquens de clericis dicit. Si insurgeret apertus hæreticus, mitteretur foras, & aresceret; si violentus inimicus absconderent se forsitan ab eo (boni scilicet pastores): Nunc verò quem eijcient, aut à quo abscondét se? Omnes amici, & tamen omnes inimici: omnes necessarij, & omnes aduersarij: omnes domestici, & nulli pacifici: omnes proximi, & omnes quæ sua sunt quærunt.] Hinc beatus Gregorius in pastorali dicit: Nemo amplius in ecclesia nocet, quàm qui peruersè agens nomen vel ordinem sanctitatis habet. Delinquentem namque hunc redarguere nullus præsumit, & in exemplum culpa vehementer extenditur, quando pro reuerentia ordinis peccator honoratur.] De religiosis etiam dicit beatus Augustinus ad clerum & populum Hipponẽsis ecclesię: Simpliciter fateor charitate vestræ coram domino deo nostro, qui testis est super animã meam, ex quo deo seruire cœpi, *quomodo difficilè sum expertus meliores; quàm qui in monasterijs profecerunt: ita & non sum peiores expertus, quàm qui in monasterijs defecerunt.]

De malis ecclesiasticis. *Hieron.* *Bernar.* *Philip. 2.* *Gregor. in past. par. 1. c. 2.* *August. epist. 137* *rest. ex er. pro quomodo.*

De mulierum verò malitia Ecclesiast. 25. dicitur. Non est caput nequius, super caput colubri, & non est ira super iram mulieris. Commorari leoni & draconi plus placebit, quàm habitare cum muliere nequam. Et inter plura quæ sequuntur, & præcedunt ibidem de nequam muliere concludit. Breuis omnis malitia super malitiam mulieris. Hinc Chrysostomus super isto Matth. xix. Non expedit nubere. Quid aliud est mulier, quàm amicitiæ inimica, ineffugabilis pœna, necessarium malum, naturalis tentatio, desiderabilis calamitas, domesticum periculum, delectabile detrimentum, mali natura boni colore depicta? Ergo si dimittere illam peccatum est, tenere autem * verè tormentum est: necesse est, aut dimittentes adulteria faciamus, aut quotidianas pugnas tenentes, habeamus.] Tullius denique ij. Rhetoricæ dicit: Viros ad vnumquodque maleficium singulæ cupiditates impellunt, mulieres ad omnia maleficia cupiditas vna ducit, muliebrium enim vitiorum omnium fundamentum est à natura. Et Seneca in suis prouerbijs: Aut amat, aut odit mulier, nihil tertium dedisse. Flere feminam est mendacium. Duo genera lacrymarum habentur in oculis feminarum, veri doloris vnũ, insidiarum aliud. Mulier cùm sola cogitat mala cogitat.] De bonis autem mulieribus tanta laus est, vt etiã beatificasse viros legãtur & saluasse, atque gentes, terras, & vrbes: vt de Delbora, Iudith patet, & Hester, Hinc Apostolus j. Corint. 7. Si qua mulier habet virum infidelem, & hic consentit habitare cum illa, nõ dimittat virum. Sanctificatus enim est vir infidelis per mulierem fidelem. Ideo Ecclesiastici. xxvj. dicitur: Mulieris bonæ beatus vir, numerus enim annorum duplex. Multa ibi narrat laudabilissima, per totum enim capitulum, de ex-

apud Chrysost. in opere imperfecto.

Descriptio mulieris.

rest. ex or. pro ferè.

Cicero.

apud Senec. in pro

De bonis mulieribus.

de excellentia bonarum. Similiter Salomon immo spiritus sanctus Prouerb. vltimo per totum capitul. de muliere forti. Præfata satis in noui testaměti feminis claruerunt, primò in virginibus, & alijs feminis sanctis, quæ ad Christianam gentem perfidos traxerunt, vt Magdalena, Catharina, Margareta, Martha, & eis similes. Sic etiam totum Hungariæ regnum ab olim idololatriæ deditum per Gillam sororem Christianani imperatoris, fidei catholicæ adiunctum est per regem Hungariæ, cui præfata Gilla in matrimonium est tradita, per quā etiam conuersus est rex, & in baptismo Stephanus nominatus, posteaque, miraculis clarus, canonizatus, vt Vincĕtius ponit in historiali specul. lib. xxvj. cap. ix. Sic præterea per Clothilden Christianam virginem natam de Burgundorum stipite, rex Frācorum Clodoueus passim persuasus, tandem idololatrias reliquit, & cum regno ad Christi fidem deuenit, vt Vincentius narrat lib. xxij. cap. iiij. v. & vj.

Hungariæ regnum per feminam conuersum, & Franciæ.

Vincent. Bello.

Tres modi sunt corrigendi vitia. Et quòd incubi sint & succubi dæmones, prout probatur per exempla, & per auctoritates.

CAPIT. IX.

SE *lædentes homines humore acuto formicæ pungunt, non tamen tam lædunt grauiter, quàm apes suos persecutores.* Sunt enim duæ potentiæ, quas vnicuique rei diuina prouidentia tribuit; irascibilis & concupiscibilis; ista qua commodum desideratur, illa qua nociuum fugatur. Per concupiscibilem namque necessaria affectantur & delectabilia, sed per irascibilem noxia refutantur & tristabilia. Ista primis elementis quatuor conspicimus esse in omnibus

vegetalibus & animantibus vsque ad rationale animal hominem, immo suo modo in separatis spiritibus. Sed in hoc est differentia, quod appetitus rei delectabilis, & repulsa rei tristabilis in sola rationali creatura virtus fieri potest vel vitium, non in inferioribus. Et sicut inter minuta animalia triplex reperitur punctio, formicę, & minima quæ statim transit, apis durior; sed scorpionis pessima: ita inter rationales creaturas triplex reperitur vindicatio, leuis eorum qui charitate repleti sunt, dura eorum qui indiscreto zelo feruent, & pessima in dæmonibus & eorum sequacibus. Primi in punitione similitudinem gerunt formicæ, quæ sine aculeo humoris tantummodo perfusione iniuriam vlciscitur. De tali se emendare cupiebat qui in psal. ait. Corripiet me iustus in misericordia, & increpabit me. Et Apostolus ad Galatas sexto. Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, instruite huiusmodi in spiritu lenitatis, considerãs temetipsum, ne & tu tenteris. Vnde beatus Hieronymus in epistola ad Oceanum. Quid necesse est bis pungere, nisi recalcitrãtem, per se satis erubescentem confundere amplius, cui sua ratio magister est, cui propria conscientia virga, & ingenita verecundia lex & disciplina est? Et Gregorius lib. 19. moralium. Regat disciplinæ vigor mansuetudinẽ, & mansuetudo ornet vigorem, & sic alterum commendetur ex altero, vt nec vigor sit rigidus, nec mansuetudo dissoluta] De huius primœ punitionis modo parobolicum satis accommodum fertur de nostris tale formicis exemplum. Fuit enim quidam villanus qui nimis ceruicosæ voluntatis vxorem habebat, quæ viro in cunctis ferè mandatis recalcitrauit. Anxius autem diu vir per quid rebellem compesceret discretè & rationabiliter, quadam die con-

Triplex corripiẽdi modus.

Psal. 140

Hieron.

Gregor. l. 19 moral. c. 12. al. 16.

Exemp. cuiusdam qui discretè vxorem punivit, liga.

die contra se brigāti respondit: Femina es, nec verbis emendata es meis, per verbera grauia in te miles effici nolo, nec contractam per meas plagas te in lecto iacentem velut contractam desidero, sed tibi dico, nisi te emendaueris, paruis meis amicis de te querelam vno proponam die contra te effrenē. Cui illa. In hoc, inquit, liquet tuus effeminatus animus, atque genealogia ignobilis, qui de parui status tuis mihi minaris amicis; nō enim mulier minaris plebeis. At ille respōdit. Hac vice tibi tantùm parcam, & die ista, sed reuerâ si te non emendaueris paruis meis conquerar amicis. Cumque misera non melior, sed efficeretur peior, seruauit vir discretus, & prudens suarum minarum veritatem adimplere in crastino. Tunc enim illa velut anteà virū inuadere cœpit verbis plurimum contumeliosis. Cui maritus. Modò tēpus adest, vt factis verba compensem. Vxorem igitur propriam inuadit, vestimentis omnibus præter camisiam exuit, manibus & pedibus versipellem ligauit, & humeris proprijs clamantem & maledicentem in proximum sui horti cumulum formicarum proiecit, vbi aliquantisper formicarum humore solito perfusa & correcta, animum ad meliora conuertere cœpit. Nam bestiolæ more solito in auribus & naribus, in ore & in alijs mulieris artubus eam cruciabant grauiter. Tunc illa eiulatu grandi, iuramentis, & sacramentis promisit grauibus, se de cœtero viro velle ad nutum obedire, tantùm cruciatum amicorum paruulorum euaderet. Ex hinc liberata per virum mulier, mirum in modum emendata est, & felix effecta, quam fecerunt deinceps propria pericula cautiorem. Hic igitur modus corrigendi satis discretus & temperatus fuit. Indiscretè verò corrigentes pro læsionibus, iratis apibus sunt

tam proficiens in nimium formicarum.

sunt similes, quæ lædendo alium, dum aculeus manet in vlti vulnere, sese perpetuo fructu laboris puniunt. Tales crudeles sunt de quibus Seneca de clementia ad Neronem dicit. Crudelitas nihil aliud est quàm atrocitas animi in pœnis exigendis. Crudeles vocabo, qui puniendi causam habent modum non habent. Et tamen, vt Hugo de sancto Victore dicit libro de institutione nouitiorum. Difficile est cor malitia induratum ad formam disciplinæ & speciē honestatis incuruare: sed necesse est, vt dura materia, cùm facile ad formam non flectitur, ei & acrioris flammę incendium, & mallei grauioris tunsio adhibeatur.] Scorpionum autem percussionibus vindicatio maleficorum & dæmonum designatur. In quibus, vt beatus Dionysius dicit quarto capit. de diuinis nominibus, est furor irrationabilis & phantasia proterua.] Cui Genes. quadragesimo nono Iacob maledixit in persona Simeon & Leui: In furore suo, ait; occiderunt virum: maledictus furor eorum, quia pertinax, & indignatio eorum quia dura, diuidam eos. De his beatus Hieronymus in prologo super Iosue dicit. Cesset arcuato vulnere cōtra nos insurgere scorpius, & sanctū opus venenata carpere lingua desistat.] Tales sunt illæ mōstruosæ locustæ, & mortiferæ, de quibus Apocalypsis nono dicitur. Habebant caudas similes scorpionū, & aculei erant in caudis earum, & potestas earum nocere hominibus mensibus quinque. Et habebāt super se regem angelum abyssi, cui nomen, exterminans. Secundum glossam autem per bestias tales veram fidem peruertere molientes intelliguntur, quia suis dolosis sententijs, vt scorpius coram blādiuntur, & latenter pungunt, cumque tumultu nocere nequeunt, quærunt auxilium principum, qui caudæ dicuntur, quia vt astringant, terrent & blādiuntur,

Sen. l. 2. de clemēt. c. 4.

Hugo de S Vict. de inst. nouit. c. 12.

Dionys. Areop. de diuinis. no. c. 4. par 4.

Hieron.

Glos. ord.

diuntur;& super se habent angelum abyssi, diabolum dominantem terrenis, cuius nomen exterminans, quia à patria vitæ secludit suos.' PIG. Satis de correctionis punctione discreta & irrationabili diuersi alios ediderunt tractatus. Sed vnum est, quod de maleficio dæmonum multi non credunt, eos videlicet qui inter dæmones incubi vocantur & succubi, non nisi in phantasia, non realitate aliquo humore nociuo & reali pungere & fœdare; quid igitur de hoc verum sit vel fictitium velis enodare? *Gloss. inter.*

THEOL. Hanc quæstionem sanctus Augustinus de ciuitate dei lib. iij. cap. iiij. quidem mouet, sed nō determinat, vbi sic dicit: Vtrum potuerit Venus ex concubitu Anchisæ Æneam parere, vel Mars ex concubitu *Numitoris filiæ Romulum gignere, in medio relinquamus. Nam penè talis quæstio etiam de scripturis nostris * oboritur, qua quæritur. Vtrū præuaricatores angeli cum filiabus hominum concubuerint, vnde natis gigantibus, id est, nimium grandibus & fortibus viris tūc terra completa est.] Sed libro xv. cap. xxiij. quęstionem determinat in hæc verba. Et quoniam creberrima fama est, multique se expertos, vel ab eis qui experti essent, de quorum fide dubitandum non esset, audisse confirmant, Siluanos & Faunos, Panos, quos vulgò incubos vocant, sæpe improbos extitisse mulieribus, & earum appetisse ac peregisse concubitum, & quosdam dæmones quos Dusios Galli nuncupant, assiduè hanc immunditiam & tentare & efficere plures talesque asseuerant, vt hoc negare impudentiæ videatur. Hæc ille. Posteà ibidem determinat secundam quæstionem, videlicet, quòd illud Genes. vj. Videntes filij dei, id est, Seth, filias hominum, id est. Cain: non de incubis intelligitur. Quòd autem incubos esse non sit incredibile, ad aliud ibidem

Quæstio de incubis & succubis.

August.

rest. ex or. pro iunioris.

rest. pro aboritur ex or.

August. l. 15. de ciuit. dei c. 23.

Glos. ord. ibidem est glossa, quæ dicit sic. Non est incredibile ab hominibus, non ab angelis, sed quibusdam dæmonibus, qui mulieribus sunt improbi, eiusmodi homines, id est gigantes esse procreatos, scilicet de quibus in litera dicitur, Gigantes autem erant super terram: quia & post diluuium corpora non solum virorum, sed etiam mulierum incredibilis magnitudinis extiterunt. Ad idem est glossa Isaiæ 13. vbi propheta desertionē Babylonicæ ciuitatis prædicit, & monstra in ea † habitanda. Ibi, inquit, habitabunt struthiones, & pilosi saltabunt in loco pilosi. Vnde glossa dicit. Pilosi sunt siluestres homines hispidi, qui incubones, vel Satyri, vel genera dæmonum. Et Isaias. xxxiiij. super illo loco vbi prophetat desolationem terræ Idumęorum qui persequebantur Iudæos. Erit, inquit, cubile draconum, & pascua struthionum, & occurrent dæmonia, Glossa interlinealis, id est, monstra dæmonum ad inuicem Et glossa beati Gregorij ibidem. Qui alij pilosi nomine figurantur, nisi hi quos Græci Panas, Latini verò incubos vocant?] De dæmonibus etiam Cassianus collatione prima abbatis Sereni passum exponit præfatum. Ad eidem est beatus Isidorus libro viij. cap. vltimo sic dicens. Pilosi, qui græcè Panitæ, latinè Incubi appellantur, siuè innij, ab ineundo passim cum animalibus; vnde & incubi dicuntur ab incumbendo, hoc est, stuprando. Sæpe enim improbi existunt etiam mulieribus, & earum peragunt concubitum, quos dæmones Galli Dusios nuncupant, quia assiduè hanc peragunt immunditiam. Quem autem vulgò incubonem vocant, hunc Romani Faunum vicarium dicunt, ad quem Horatius dicit:

.i. habitatura. *Glos. ord.* *Glos. ord. ex l. 7. moral. c. 12. al. 14.* *Cas. c 32.* *Isidorus l. 8 orig. c. vlt.*

Faune

Faune Nympharum fugientum amator.
Per meos fines, & aprica rura
Lenis incedas.] *Horat. l. 3. carmin ode. 18.*

Insuper illud Apostoli. j Corint. xj. Mulier debet velamen habere super caput suum propter angelos. Multi Catholici exponunt quod sequitur propter angelos, id est, incubos. Ad idem est Iosephus super textu Genes. 6. prææalegato. Item Guillelmus lib. de vniuerso parte vltima circa vi. multipliciter. Præterea hoc determinat sanctus doctor parte j. quæst. lj. & in secundo scripto dist. viij. & quodlibeto vj. quæst. x. atque super Isaiam cap. xiii. & 14. cuius motiua sunt verba beati Augustini in de ciuitate Dei. Vnde talia negare dicit Thomas impudentiæ est. Id enim quod multis videtur non potest omnino falsum esse, secundum philosophum in de somno & vigilia in fine, & in vij. Ethicorum. Sileo de historijs multis & authenticis tam catholicorum quàm ethnicorum, qui incubos esse palam asseuerant. Causa autem quare dæmones se incubos faciunt vel succubos, hæc esse videtur, vt per luxuriæ vitium hominis vtriusque naturam lędant, corporis videlicet, & animæ, qua in lęsione præcipue delectari videntur: Vnde enumeratis per altissimum multis luxuriæ vitijs, à quibus suum populum mundum esse voluit, in quibus infideles irretiti erant, ait Leuitici xviij. Ne polluamini in omnibus his quibus contaminatæ sunt gentes, quas ego eijciam ante conspectum vestrum è quibus polluta est terra, cuius scelera ego visitabo, dicit glossa super verbo, gentes. Dæmones, inquit, qui propter multitudinem dicuntur gentes vniuersę, qui cùm omni peccato gaudeant, præcipuè fornicatione & idololatria: quia in his & corpus

Iosephus. l. 1 Antiq. c. 4.
Thom. p. 1. q. 51. ar. 3.
In 2. dist. 8. q. vnic. ar. 4
quodl. 6. q. 10. ar. 18.
l. 15. c. 23
p. 3. vos supra.
Arist.
Cur dæmones se incubos faciant aut succubos.
Glos. ord.

corpus & anima maculatur,& totus homo qui terra dicitur.] Omne enim peccatum quodcunque fecerit homo extra corpus est,qui autem fornicatur in corpus proprium peccat. An nescitis, quoniam qui adhæret meretrici vnum corpus efficitur? vt patet.j.Corint.vj.Historias de incubis & succubis si intueri libet, Guillelmum vbi supra in suo vltimo libro de vniuerso, & Thomam Brabantinum in libro suo de vniuerso, qui vulgo de apibus intitulatur,legito,& mirabilia conspicies. Præterea virginis cuiusdam multùm pulchræ corporis dispositione,& quo ad animam valde deuotæ in Basiliensi constitutę diœcesi bonam & diuturnam notitiam habui,quia confessor suus fui, cuius dæmon cellulam sæpissime & dormitionis locum perturbabat modò strepitibus, modò terrificis apparitionibus. Verùm quia in cunctis quæ virgo gessit omni plena fuit custodia,Christi assistente gratia,à cũctis viris, & ab incubo semper remansit intacta. Nam secum ipsa consistens nullo teste conscio,propter boni angeli sui custodis reuerentiam, cui diligentissimè semper obsequebatur, pede nudo sese conspicere non audebat, & obinde vestita die noctuque iacebat. Fuit denique fama communis virorum fide dignorum eo tempore quo Constantiense Cõcilium generale celebrabatur,in quo,hoc est,in ciuitate ipsa Constantiensi (quod verecundum est dictu) propter principum secularium & mechanicorum præsentiam, incredibilis meretricum multitudo aderat;eodem, inquam, tempore in eadem diœcesi prope oppidum Vvinterthaur in campi latitudine quædam vt videbatur femina pulcherrima secundum corporis pulchritudinem cursori cuidam obuiauit in ipso itinere. Quæ cùm virum istum deum timentem ad opus nefarij concubitus

Thomas Cantiprat. l. 2. c. vlt.

Exem. virginis quæ se nõquam denudabat, ab incubo semper illesa.

Exem. de succubo in specie pulchra mulieris.

cubitus inuitaret, facinus horruit, Dei protectus adiutorio. Cumque simplici animo cursor vnde femina veniret ab ea quæsisset, respondit, de Constantiensi venio concilio. Et aperta quam in latere portabat crumena, subintulit: Ecce has omnes pecunias in præfato loco corporis mei mercede conquisiui. Et hoc dicto velut fumus protinus euanuit, & quod succubus fuerit, spurcissimis verbis & fuga, ostendit.

Quæ sit munditia & immunditia carnis & spiritus. Quàm periculosus sit contactus maris & feminæ. Incubi vtrum generent. Quomodo quædam virgines in conceptu & partu aureolam non perdunt virginum. Remedia fugandi incubos dantur; & quomodo quædam phantasticè solùm se concepisse putant.

CAPIT. X.

I*Nquinant formicæ manus eas multum tangentium, & inquinantur potiùs, vel sese maculant qui incautè eas contrectant,* Cùm enim conditionis sint liberæ, sua libertate carere nolentes, sicut se molestantes humore acuto pungunt, ita captiuitatem earum quærentes manibus polluuntur. In quo contactus omnis illicitus nobis prohiberi moraliter innuitur, ne in interiori præsertim homine coram diuino & angelico maculati appareamus conspectu. Sumus enim dicit Apost. ij. Corint. vj. & vij. templum dei viui, sicut dicit deus: quoniam inhabitabo in illis, & inambulabo, & ipsi mihi erunt populus. Propter quod exite de medio eorum, & separamini, dicit dominus, & immundum ne tetigeritis, & ego recipiam

piam vos, & ero vobis in patrem, & vos eritis mihi in filios & filias, dicit dominus omnipotens. Has igitur habentes promissiones charissimi, mundemus nos ab omni inquinamento carnis & spiritus, perficientes sanctificationem in timore dei. Verba sunt Apostoli per totum. Quo contrà maximè luxuriosi delinquere reperiuntur, corpus coinquinãtes & spiritum, qui virgines vel feminas tangunt illicitè, vel vbi sexus femineus seipsum palpat, vel * tractari sinit inuerecundè. De quibus beatus Petrus ij. sua canon. ij. capitulo sic dicit. Hi sunt velut irrationabilia pecora, voluptatem existimantes diei delicias, coinquinationis & maculæ, delicijs affluentes, in conuiuijs suis luxuriantes vobiscum, oculos habentes plenos adulterij & incessabilis delicti, pellicientes animas instabiles. Quamuis enim formica inter minuta animalia sit ingenio & sagacitate nobilissimum, tamen incautè tactum, quantumcunque quis sit nitidus, eum reddit immundum: ita humanum corpus licet à peccato sit actuali innoxium, tamen à dispari sexu tactum faciliter nimis vtrumque hominem facit pollutum. Cinis quippe tactus à cinere, modicissimo adhibito humore, in lutum statim conuertitur. Argentum insuper etiamsi ad nitorem purgatum fuerit septuplũ, vel minera qualiscunque alba, etiamsi aurũ fuerit obrizum, cùm in charta munda suo tractu ducitur, protinus in liquorem ex motu insensibiliter resoluitur, & macula de mundo super nitido contrahitur. Hinc huius in typum olim Deus vetasse legitur, ne super terram reptantia vel eidem multum hærentia ab electo tangerentur populo, alioquin pœna inquinationis quis mulctabatur. Vnde Leuit. xj. Omne quod reptat super terram. Glossa terrena sapiens, abominabile erit, nec assumetur in cibum.

* rest. pro tactare.

Ps. 11.

Glos. in terl. & infra quater.

bum: Quicquid super pectus quadrupes graditur (glossa gastrimargiæ studens) & multos habet pedes. (Glossa, ex * varijs scripturis, & varia doctrina sibi salutem futuram affirmans) siue super humum trahitur, (euangeliorum prędicatione abutens, luxuriosè viuendo,) non comedetis, quia abominabile est. Nolite contaminare animas vestras, nec tāgatis quicquam eorum, ne immundi sitis, ego enim sum dominus deus vester. Sancti estote, quoniam ego sanctus sum. Glossa, Notat hic non esse pollutionē in mortuis corporibus: vnde sequitur: Ne polluatis animas vestras in omni reptili, quod mouetur super terram. *PIG.* Quia hic locum habet adhuc sibi cauendi ab inquinatione vtriusque hominis qua quis inficitur, potissimè per luxuriam, prout probasti; scire cupio de incubis quędam mihi occurrentia dubia. Primum, an incubi generent aliquando fetus. Secundò, cur plus improbi sint vel esse videantur feminis, quàm viris. Tertiò, quibus remedijs liberari possint, qui ab incubis vexantur.

or. alijs.

Tres quæst. de Incubis.

THEOL. Ad primi solutionem tria aduertas, videlicet quòd dæmones propriè non generant, nec concupiscentiam sensitiuam in Venereis habent, licet generationem prolis procurare possint nō suæ, sed illius viri, cui se fecit succubum dęmon aliquis, vel & illius cuius virtus sementina est, & femellæ huius cuius delusor est incubus. Primi dicti rationem si scire libet, videre poteris in sancto doctore, vbi prius, & in VVillelmo. Secūdum deducit idem & præcedens, quia spiritus carnem & ossa non habet, neque generationis instrumenta, per quæ sola & voluptas concupiscibilis, & generatio carnalis explentur. Præterea, vt verbis vtar VVillelmi, si concupiscentiam libidinosam haberent, cùm pessimi sint, vtique à Sodomitico vitio se non contine-

Resp. ad 1.

Thom. locis c. prac. citatis.

Vuilh. Paris. c. penult. totius oper. de vniuerso.

 rent

rent in viros, quod tamen nullibi reperimus: benedictus autem altissimus, qui virilem speciem in hominibus à flagitio eorum vsque hodie sic seruauit. Quod autem generationem procurent aliquando, ex præcedentis capituli auctoritatibus palam est, & ex Vuillelmi dictis sic claret: quia gentem Hunorum ab huiusmodi dæmonibus generatam esse euidenter historia regnorum occidentalium narrat, & insulam Cypri totam populatam esse & inhabitatam à filijs incuborum fama prædicat.] Denique quod gigantes procreare valeant vt nascantur vel concipiantur, causas sanctus doctor assignat, quia scire possunt virtutes virtutis sementinæ ex dispositione viri huiusmodi à quo decisa est, & mulieris eidem proportionatę complexionem agnoscere, & * ita constellationem optimè ad hoc cooperantem: quibus simul concurrentibus possibile est genitos magnos esse & fortes corpore.] Quo etiam non obstante, incubi calliditate & maleficio vir *possit habere filium, & femella eundem, salua vtriusque virginitate, non tamen in dignitate tali, qualis in beatissima virgine extitit, licet cum vtriusque aureola si scire desideras, in quodlibeto sexto quæstione decima sanctum Thomam legas, & ita esse possibile clarè disces. Nec mireris in hoc. Nam in Bambergensi diœcesi virginis notitiam habui, quę puerum genuit, & virgo vera post partum permansit, non integritate carnis, quod solius dei genitricis priuilegium est, sed inexperientia voluntariæ libidinis. Fuit enim virgo pulchra valde, & formæ elegantis dominæ nobili obsequens, quam quidam iuuenis dolosus & potens cognoscere quæsiuit vijs quibus potuit. Hunc cùm virgo deuota velut hostem vitaret virusque hominis, ipse nocturno tempore insidias virgini posuit; & quod obdormiens fortissimè

& inex-

Vuilhelm. Paris. ibid.

Hunni — Cypri Insula — Gigantes —

Thom. in 2 dist. 8. q. vnic. ar. 4. or. etiam.

i. e. d. posset.

Thomas quod. 6 q. 10. ar. 18.

Exem. de quadam qua mente virgo permanēs filium peperit.

f. vtriusque.

& inexcitabiliter quodammodo in primo somno iacere consueuisset, nescio vnde didicit, ex hac occasione in cubiculum virginis venit, dormientem cognoscit: nescit virgo, vt dicit in conscientia sua, quomodo impraegnauerit, & ita recessit. Cùm autem virgo doli etiam postmodum penitus ignara, signa impraegnationis habere inciperet, & ad examen coram honestis matronis posita, impraegnata esset reperta, fugit reus de patria, qui aliâs palo transfixus fuisset: ipsa autem virgo incredibilibus lacrymis sese deplanxit. Fuerunt tunc multi qui virgini, vt sine periculo pareret, matrimoniū suaserunt, alij quod deterius extitit, ea abuti concupierunt, praefatam partus difficultatem allegantes. Sed virgo deuota votum quod Christo de virginitate statuerat seruandum, etiamsi mors sequeretur, constanter seruare decreuit, & perfecit. Nam tempore oportuno peperit, & in magna deuotione iam plurimis annis vixit, seque à mundi huius cōcupiscentijs ita nudam fecit, vt aureolam virginum eam tandem percepturam non dubitem. Discant ex hac virgines, quàm cautè thesaurus ille necessariò seruandus sit, quem saltem de corporis integritate aliquando incubus, aliquando homo insidiosus, aut in dormitionis naturali fortitudine, aut in potus artificialis collatione rapere potest. Ad secundum dubium respondet Guillelmus, quod verisimiliter nec succubi nec incubi amore concubitus, nec desiderio voluptatis talia viris & mulieribus faciunt, sed potiùs malignitatis studio, videlicet, vt vtrimque polluant eos & eas spurcitia. Similem causam audisti in glossa vna praecedenti capitulo. Cur autem incubi amplius vexare reperiantur mulieres, & etiam puellas pulchros crines habentes, respondet dominus Guillelmus. Non mihi alia

Resp. ad 2 Vuilhelm. Paris. vbi supra.

Glos. ord. ad c. 18. Leuit.

Guillel. vbi suprà. alia causa occurrit, nisi vna istarum, quia, aut curæ, aut ornatui crinium nimium incumbunt huiusmodi: aut, quia per crines viros inflammare cupiũt vel consueuerunt: aut quia in eis inaniter gloriantur: aut quia diuina bonitas hoc permittit, vt terreantur mulieres inflammare viros per ea per quæ etiam dæmones inflammare viros volunt. Cur autem dæmones in Veneris vitio potentiam generatiuam plus molestẽt etiam in sexu masculino per maleficia, habuisti causam ex sancto doctore Cap. v. huius libelli. Ad tertium de remedijs propellendi incubos, in diuersis diuersa legi, & reperi quod per quinque modos quidam liberati reperiuntur, videlicet, per exorcismorum applicationẽ, per sanctam exercitationem, per sacramentalem confessionem, per loci certi mutationem, & per cautam sanctorum excõmunicationẽ. De primo, satis habitũ est suprà præsenti libro cap. vj. De secundo, sanctis exercitijs, videlicet crucis consignatione, vel angelica salutatione refert Cęsarius in suo dialogo, quod in Bunna postquam sacerdos quidam se suspendit, eius concubina monasterium intrauit, & per incubũ ad luxum * procata est, quem per crucis consignationem repulit, & per aquę benedictę aspersionem, sed statim postea redijt. Quando autem angelicam salutationem dicebat, longè velut sagitta disparuit, & recessit; sed interdum redijt, licet propè accedere ad eam non auderet. De tertio, sacramentali confessione videlicet, patet per eundem Cæsarium, qui dicit, quod concubina antedicta cum iam confessa esset purè, in toto derelicta est ab incubo. Refert idem quod quidam vir in Leodio passus succubum, confessione sacramentali finita totaliter liberatus est. Ponit insuper exemplum ibidem de quadam inclusa propter Deum, quam in-

Cur magis ab incubis vexentur puellæ pulchros crines habentes.

R. ad 3.

Quinque remedia contra incubos.

Cæsarius, l. 3 c. 13.

** f. prouocata.*

Virtus angelicæ salutationis.

Cæsar. ibid.

Cæsar. Idem. l. 3. c. 46.

quam incubus, nec crucis signo, nec oratione, nec confessione, nec propter aliud spirituale exercitiũ reliquit, quin eius lectum ascẽderet: sed cùm ad informationem cuiusdam viri religiosi diceret: Benedicite, eam statim dæmon reliquit.] De quarto, videlicet loci mutatione dicit qui prius: quod filia cuiusdam sacerdotis stuprata per incubum, & facta ex dolore phrenetica, trans Rhenumque elongata ab incubo demissa est, sed pater eius quia à loco filiam deposuerat, à dæmone percussus est, adeo vt moreretur in triduo. In de apibus prope finem sermo fit de quadam quæ per incubum crebrô in lecto vexata proprio consociam deuotam petijt, vt loco vexatæ iaceret, quod cùm fecisset, tota nocte quasdam inquietudines grauissimas sensit, & prior tunc quieta fuit. De quinto, de excommunicatione, quæ fortassis aliquando eadem est exorcizationi, patet in legenda beati Bernardi. In Aquitania siquidem quædam mulier ab incubo sex annis iam vexata incredibili abusu libidinis, audiuit sibi incubum ne ad virum sanctum, qui venturus erat, appropinquaret, minantem. Nihil, inquit, tibi proficiet, sed eo recedente tuus crudelissimus ero persecutor, qui hactenus tuus amator extiti. Quæ cùm virum sanctum Bernardum inuocaret; Respondit: Tolle meum baculum, & loco tuo infige, & faciat malignus quod potest. Hoc cùm fecisset, dęmon cameram feminæ non est ausus intrare, sed foris minabatur atrocissimè eam velle persequi Bernardo recedente. Quo per feminam audito, conuocat populum beatus Bernardus omnes iubet accensas candelas gestare in manibus, & dæmonem cum vniuerso qui aderat cœtu excõmunicauit, ac ne ad illam, vel ad aliam deinceps accessum habeat interdixit, & ita illa plenè liberata est: Aliquando verò

Idem l. 3. c. 8.

Thom. Cantip. l. 2. c. vlt. par 25.

l. 2. vita Bernardi c. 6.

S. Bernardi baculus incubum fugat.

nullum prædictorum remediorum iuuat, vt dæmonis abſcedat nequitia: vt in de apibus circa finẽ ponit Thomas Brabantinus exemplum de quadam quæ incubum paſſa, nullo confeſsionis remedio, vel crucis, aut huiuſmodi applicatione liberabatur, licet cauſam vexationis ſuæ ſatis nudè confeſſa eſſet. Similis ratio aſsignata eſt ſuprà capitul. vj. de maleficio quare non ſemper tollitur. Tunc enim pœna eſt vexatio dæmonis, & pro peccatis ſatisfactio ſi prout oportet, ſuſtineatur in charitate, ſicut alia mala huius mundi quæ nos premunt, ſed ad deum ire compellunt. *PIG.* Cum feminæ ſint timidæ & faciliter mirabilium formarum in imaginatione ſuſceptiuæ, nunquid contingit quibuſdam ex eis quòd in veritate per incubum nõ vexantur, ſed tantummodo ita ſe vexari putant. Sicut etiam quædam ex eadem radice falsè ſe impregnatas eſſe putant per incubos (vt fertur) quę tamen grauidæ non ſunt. *THEOL.* Vtrumque verum eſſe agnoſcitur, vt dicit dominus Guillelmus, vbi prius. Multæ, inquit, de apparitionibus phantaſticis ex morbo melancholico in multis fiunt, ſed in mulieribus maximè, ſicut apparet de viſionibus & reuelationibus. Et cauſa in hoc eſt, præter eam quã norunt medici, ipſa natura muliebrium animarum, ob hoc videlicet quoniam longè facilioris & leuioris impreſsionis ſunt, quàm animæ viriles.] Et ſubdit idem, Scio me vidiſſe mulierem quæ credebat ſe cognoſci ab intus, & à diabolo, & alia incredibilia ſe ſentire dicebat. Nonnunquam etiam imprægnatæ ſibi videntur mulieres ab incubis, & intumeſcunt vehementer ventres earum, & cum partus tempus aduenisse credunt, ſola emiſsione multæ ventoſitatis detumeſcunt. Nam de ouis formicarum in potu ſumptis incredibilem ventoſitatem, &

Thomas Cantip. l. 2. c. vlt. par. 14.

Quæſtio.

Guillelm. Pariſ. c. antep. operis de vniuerſo.

Ibidem c. penult.

tem & tumultum in ventre generant hominis, similiter de granis cataputiæ, & de granis arboris, quæ dicitur nigra pinus, consimilia in ventre fiunt. Facillimum est autem dæmoni similia & maiora in ventribus hominum procurare. Et si libris maleficorum creditur, scripserunt experimentum ludificatorium, quo apparere dicebant mulieribus se in lecto pluries cognosci, quàm cognoscerentur. Verbi gratia, cùm cognoscerentur nisi semel aut bis ab eo qui experimentum illud operaretur, putarent se cognosci quadragesies, aut sexagesies. Essent ergo similes ludificationes incuborum. Etiam ex testimonio sanctę cuiusdā mulieris sciri potuit, quòd quidam ex huiusmodi dæmonibus cùm sic ludificasset eam, videlicet, concubitu phantastico, tanto fluxu seminis inquinauit eam realiter, vt mille homines non tantum emitterēt. Hæc omnia de Guilelmo.

Homo perfectus est triplex particularis homo. Ex duplici causa aliqui possidentur. Sex modis dæmones solent possidere. Quòd possessi Eucharistiam recipere possunt, & quid valeant exorcismi.

CAPIT. XI.

R*Adices lædunt arborum formicæ, vbi iuxta arbores nidificare sinuntur:* quia radices inde rodunt, & succo exinde exhausto arescit radix, & exinde stipes & rami. In hominis natura tres particulares homines sunt qui radices suas habent, quas lædere valēt nociuæ formicæ. Est enim exterior & inferior homo, qui oculis etiam patet alienis in figura quan- *Triplex homo exterior. interior. animalis.*

itatis corporeę: Superior homo qui ſpiritualis dicitur homo, & interior; & eſt ſenſualis tanquam medius, & animalis homo dicitur. Quiſquis autem horum, quia radicem ſuam habet propriam, ramos, & ſtipitem, arbori aſsimilatur. Nam primi hominis figura, arboris, ſed euerſæ ſimilitudinem pręfert ſecundum philoſophos, quia crines radicibus in capite aſsimilantur, truncus pectus, & eidem adiacentia dicuntur, membra verò reliqua ramorum vices habere videntur, & operatio talium fructus ſunt corporei. Vnde Marci viij. legimus de cæco, quem dominus paulatim iuxta fidei ſuæ crementum ſanabat, quòd primo ſputo eius tetigit oculos, & an videret quæſiuit. Cui ille reſpondit: Video, ait, homines velut arbores, ambulantes. De hac arbore corporis non curandum eſſe dominus docet, dicens, Matthæi ſexto; Quis veſtrum cogitans poteſt adijcere ad ſtaturam ſuam cubitum vnũ? Omnes, inquit, Matth. x. veſtri capitis capilli numerati ſunt. Nolite ergo timere. Alius autẽ eſt homo animalis, de quo j. Corinth. ij. Animalis homo non percipit ea quæ ſunt ſpiritus Dei; ſtultitia enim eſt illi, & non poteſt intelligere, vbi gloſſa: Animalis homo dicitur vel vita, vel animi ſenſu. Vita autem animalis dicitur, * qui fertur diſſoluta laſciuia animæ ſuæ, quam intra naturales metas ordinis ſpiritus rector non cõtinet, eo quòd ipſe Deo ſe regendum non ſubijcit. Animi verò ſenſu dicitur animalis, qui de Deo iuxta corporum phantaſiam, vel legis literam, vel rationem phyſicã iudicat.] Quare autem animalis non percipit, ſubdit. Stultitia eſt illi ſecundum humanum ſenſum, ideo non poteſt intelligere ſpiritualia.] Huius hominis, id eſt, ſenſualitatis radices ſunt ſecundum medicos humidum radicale, & calor naturalis; & elementorum quatuor

Homo arbor inuerſa.

Gloſ. ord.

reſt. pro quæ t. x. or.

Gloſ. interl.

quatuor qualitates: cuius cura ſpectat ad medicos, qui tamen in omnibus non ſunt imitandi, dicente beato Ambroſio ſuper pſalmum centeſimum decimum octauum. Contraria diuinæ cognitioni præcepta medicinæ ſunt. A ieiunio reuocant, lucubrare non ſinunt, ab omni intentione meditationis abducunt. Et concludit. Itaque qui ſe medicis dederit ſeipſum ſibi abnegat.] Hominis enim animalis mēbra mortificare iubet Apoſtolus. Coloſſ. iij. Mortificate membra veſtra quæ ſunt ſuper terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiſcentiam malam, & auaritiam. Huius hominis mēbra manus, pedes, & oculos abſcindere Chriſtus iubet cùm ſcandalizant nos Matth. 18. Hoc, inquit, Apoſtolus, Rom. vj. ſcientes, quia vetus homo noſter ſimul crucifixus eſt, ſcilicet, cum Chriſto, vt deſtruatur corpus peccati, & non vltra ſeruiamus peccato. Tertius verò ſpiritualis homo eſt & interior, de quo, j. Corinth. ij. dicit: Spiritualis autem homo iudicat omnia, & ipſe à nemine iudicatur. Vbi gloſſa. Spiritualis autē eſt homo vita, vel ſcientia. Spiritualis eſt vita, qui ſpiritum domini habens rectorem animā regit. Scientia verò ſpiritualis eſt, * qui etſi ex parte, & per ſpeculum videt, tamen de Deo ſecundum imagines corporum, vel legis literam, vel humanam philoſophiam non ſapit: ſed ſpiritui Dei ſubiectus certiſsimè, ac fideliter iudicat omnia certa fide occultorum, non patenti cognitione; & ipſe à nemine, ſcilicet, à nullo homine animali iudicatur, id eſt, intelligitur vtrum bene vel malè intelligat.] Huius hominis ſpiritualis radix eſt gratia, fides, & charitas: ſtipes animæ eius eſſentia, rami potentiæ, gemmæ cogitatus, folia verba, flores, voluntates,

Ambroſ. in pſ. 118. ſer. 22. verſu 6.

Gloſ. partim ord. par. inter. reſt. pro quia ex or 1. Cor. 13.

voluntates,& fructus virtutes,& earum opera. De quibus Apostolus Rom.vj.dicit:liberati à peccato, serui autem facti deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem,finem verò vitam æternam; gratia autem dei vita æterna in Christo domino nostro.Et ad Ephesios tertio:Flecto genua mea ad patrē domini nostri Iesu Christi, à quo omnis paternitas in cœlo & in terra nominatur, vt det * nobis secundum diuitias gloriæ suæ virtutem corroborari per spiritum eius, interiorem hominem habitare Christum per fidem in cordibus vestris,in charitate radicati & fundati, vt possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo, longitudo, sublimitas & profundum. Hinc beatus Gregorius in homilia quadam: Vt multi arboris rami ex vna radice prodeunt,sic multæ virtutes ex vna charitate generantur:nec habet aliquid viriditatis ramus boni operis,si non manet in radice charitatis.] Ex quibus iam patenter conuincitur, quanta damna hominibus inferant, qui velut nociuæ formicæ fidem,gratiam,vel charitatem de cordibus hominū cassant.*PIG.*.Puto dæmones in huiusmodi radicibus damna maxima inferre,quando eos constat alicuius hominis corpus potenter possidere, quia in hoc omnium trium quas descripsisti arborum radices lædere videntur: quamobrem scire cupio de hac materia;vtrum tantummodo pro grauibus criminibus possideant,quibus modis vexent & possideant,& quibus remedijs iuuari valeant possessi. *THEOL.* Satis bene consideras, sed non distinguis. Diuersimodè enim diuersi possidentur,quidam plus,alij minus per dæmones. à quibus non semper potenter possidentur, nec propter quodlibet mortale peccatum quis possidetur. Vnde ad primam tuam quæstionem audi sancti doctoris

** ex vobis.*

Gregorius hom.l.27 in euang.

Tres quæstiones.

Quod

Thom. quodl. 3. q. 3. ar. 8.

Quodlibeta iij. quæst. iij. responsum. Quantum, inquit, ad corpus potest diabolus hominem substantialiter inhabitare, sicut patet in arreptitijs, sed hoc magis pertinet ad rationem pœnæ, quàm ad rationem culpæ. Pœnæ autem corporales huius vitæ, nō semper consequuntur culpam eius qui punitur, sed quandoque non peccantibus inferuntur, vt dicitur Iohannis nono de cæco nato, & hoc * modo est secundum altitudinem incompræhensibilium iudiciorum dei: vnde non cum qualibet culpa mortali diabolus inhabitat hominem substantialiter, etiam quantum ad corpus. Hæc ille. Reperio autem quod quinque de causis aliquem contingit posideri. Aliquando pro proprio maiori suo merito: aliquando pro alieno leui delicto: aliquando pro suo veniali peccato: aliquando pro graui peccato alieno: & aliquando pro magno facinore proprio. De primo patet in dialogo Seueri beati Martini charisimi discipuli, vbi fertur quendam patrem sanctisimæ vitę tantè dotatum in gratia expellendi dæmones, vt hi nedum verbis suis proprijs fugarentur, sed etiam eiusdem patris epistolis & cilicio. Cùm autem coram mundo pater esset celeberrimus, se tentari sensit vana gloria, cui vitio licet viriliter resisteret, tamen vt humiliaretur amplius, totis præcordijs deum precabatur, quatenus quinque mensibus à dæmone posideretur. Quod & factum est, nam eum statim possessum vinculari oportebat, & omnia applicare sibi dæmoniacis communia. Finito autem quinto mense, prorsus & ab omni vana gloria, & à dæmone liberatus est. De secundo, quomodo ex alieno leui delicto aliquis posidetur, ponit exemplum beatus Gregorius de beato Eleutherio abbate viro simplicisimo, qui cùm prope monasterium virginum pernoctaret, ei ignoranti ordinauerunt

or. omit. modo.

Quinque de causis aliqui posidentur. & de singulis exemplum.

De 1. Seuer. Sulp. dia. seu. l. 1. c. 14.

Quidam Sanctus orat à dæmone posideri.

Exēp. de 2

Greg. l. 3. dial. c. 33

nauerunt ad suam cellam poni paruulum puerum qui omni nocte vexabatur à dæmone, sed eadem nocte à dæmone liberatus est per patris præsentiam. Hic cùm rem didicisset gestam, & puer iam positus esset in monasterio sancti viri, & transactis multis diebus pauló immoderatè lætus de liberatione pueri, ait ad confratres suos: Fratres, diabolus sibi cum illis sororibus iocabatur, sed vbi ad seruos Dei venit, puerum hunc accedere non præsumpsit. Et ecce statim diabolus puerum vexare cœpit, & per lacrymas & ieiunia sancti viri, & confratrum difficulter: sed eadem die liberatus est. De tertio, videlicet de proprio veniali peccato, patet per Cassianum collatione abbatis Sereni prima, dicentem de Moyse: Moyses, inquit, in eremo cùm singularis & incomparabilis vir esset, ob reprehensionē vnius sermonis quem cōtra abbatem Macharium disputans pauló durius protulit, quadam scilicet opinione præuentus, tam diro confestim traditus est dæmoni, vt humanas egestiones ori suo ab eo suppletus ingereret. Quod flagellum purgationis gratia se dominus intulisse, ne scilicet in eo vel momentanei delicti macula resideret, velocitate curationis eius, atque auctore medio demōstrauit. Nam continuó abbate Machario in oratione submisso, dicto citius, nequam spiritus ab eo fugatus abscessit.] Simile videtur huic quod primo Dialogorum refert beatus Gregorius de quadā Dei famula in monasterio virginum, quæ hortum ibidē ingressa lactucam conspiciens, & concupiscens, quam signo crucis benedicere oblita, auidè momordit, arrepta à dæmone cecidit, & vexabatur, quousque statim vocato beato ibidem patre Equitio, per eundem liberata est. De quarta causa, qua dictum pro alieno graui peccato aliquem possideri, patet ibidem,

Exemp. de 3.

Cass. coll. 7. quæ est 1. abb. Sereni c. 27

Aliud.

Greg. l. 1. dial. c. 4.

Exemp. de 4.

per

per beatũ Gregorium. Nam, vt refert, beatus Fortunatus episcopus diabolũ ab obsesso homine propulerat. Serò igitur dæmon idem in specie peregrini per plateas ciuitatis clamare cœpit. O virum sanctum Fortunatum, eiecit de hospitio peregrinum. Quem quidam vir inuitauit suum ad hospitium, & quærendo causam expulsionis, est gauisus super derogatione sancti viri, quam à peregrino ficto audiuit. Exinde autem diabolus puerum inuasit, & prunis iniecit, ac animam eius excussit, sicque pater miser primum quem recepisset hospitio intellexit. De quinta verò causa proprij facinoris & magni, communiter tam in sacra scriptura, quàm in sanctorum passionalibus legimus. Nam sic, ij. Reg. xv. Saul inobediens Deo, possessus est. Tempore quo in Vniuersitate Coloniensi sacræ Theologię studio asscriptus fui, quędam virgo quindecim, vel sedecim annos habens, moribus secundum seculum satis composita in domo cuiusdam suæ consanguineæ nutriebatur extra domum parentum. Cumque cognatæ suæ scyphum satis vilem terreum quendam à casu fregisset, cognata ira replebatur in lapsus negligentiam, & in ream virginem. Quæ virgo tantò hoc molestius tulit, quantò vasculum vilius extitit. In iram igitur commota virgo, hora sumendi cibum nec comedere, nec ad mensam præ ira se præsentare voluit. Cuius cognata ait: Oportet vt comedas. Ac virgo apud se (vt mihi postmodum & exorcistæ retulit suo) huiuscemodi verba submurmurando dicebat. Si me oportet edere, in nomine diaboli fiat. Sic mensam accedit, benedictionem mensę, quam bene sciebat, dicere neglexit, & in primo morsello, vt putabat, muscam ori illatam sensit, quam cum nulla

Greg. ibid. c. 10.

Exemp. de 5.

Aliud.

arte eij-

arte eijcere valeret, deglutiuit, & immediatè obsessa fuit, semper tamē vsum rationis bonum habuit, licet sępe satis vexaretur à dęmone. Cùm autem in domum parentum cum magna mœstitia reduceretur, & diutissimè nullus reperiretur qui liberare posset, tandem quidam frater nostri ordinis, nunc magister Gotfridus Slussel sacræ theologię professor, calamitati parentum & puellæ compatiens, se de eius exorcisatione intromisit, pacto tali præuio, vt si liberaretur nihil terreni exorcistæ daretur, sed puella in castitate solita, si vellet, liberè, & non in matrimonio, de cętero deo militaret. Legit igitur pater præfatus missam, obtulit obsessa oblationem consuetam in eadem, affuit per totum, & in nullo vexari videbatur; finitoque officio post satis diutinum exorcismi actum membris omnibus virginei corporis penè præcontusis exijt dæmon, & ita virgo deinceps domino in castitate seruiuit. Porrò quo ad secundum dubium, quibus modis dæmon possideat, vel homines lædat, ad plenum, puto, nullus in hac vita sine miraculo posset edicere. Sunt tamē sex modi satis conuenientes (vt perfunctoriè transeamus) quibus potestatem exercent in homines, sed tantummodo pro quanto à deo permissi fuerint. Nam vexant aliquando tantum in rebus fortunæ exterioribus. Aliquando etiam aliquos in proprijs vexant tantummodo corporibus, Aliquando in corpore simul & in potentijs interioribus. Aliquando quidem per eos intus & extra solùm tentantur. Alij castigatione eorum ad tempus tantummodo vsu rationis priuantur. Alij vero velut bestiæ irrationales redduntur. De tribus primis manifestum est in beato Iob, deum dęmonem licentiasse in res exteriores eius tantummodo, quando deus sathan ait: Ecce vniuersa quæ habet

Sex modi quibus homines à dæmonibus vexātur cum exemp.

Exemp. de tribus primis

habet, in manu tua ſunt, tantùm in eum ne extendas manum tuam Iob j. In corpus vbi poſtmodum ait ibidem ij: Ecce in manu tua eſt, veruntamē animam eius ſerua, id eſt, vitam eius ne auferas. In potentias interiores verò agēdi poteſtatem dedit ibidem vij. vbi dicit Iob ad dominum. Si dixero, conſolabitur me lectulus meus, & releuabor loquens mecum in * ſtrato meo, terrebis me per ſomnia, & per viſiones horrore concuties, dæmone ſcilicet procurante, ſecundum Nicolaum de Lira. Nam vt ſanctus Thomas ibidem ad literā exponit, homines ſapientes quando ſolitarij ſunt, & à tumultibus hominum & negotiorum ſemoti, tunc magis * ſecum loqui poſſunt ſecundum rationem aliquid cogitando. Sed iſta remedia Iob iuuare non poterant, quia tempore quo his remedijs vti debebat aderant ſibi alia impedimenta, quibus perturbabatur, ſcilicet ſomnia terribilia, & horribiles viſiones, & hoc eſt quod ſubdit. Terrebis me per ſomnia, quæ ſcilicet dormienti apparent; & per viſiones, quæ ſcilicet apparent vigilanti ab vſu exteriorum ſenſuum alienato. Solent nocturna phantaſmata conformia eſſe diurnis cogitationibus. Vnde quia Iob in die * mœrores cogitabat, ſimilibus phātaſmatibus perturbabatur in nocte. Infirmitas enim corporis ad hoc operatur, vt perturbata phantaſmata dormientibus appareant. Sic igitur vndique conſolatione excluſa, nullus modus Iob remanere videbatur tot anguſtias euadendi niſi per mortem.] Horrore, inquit, concuties. De quarto diabolicæ vexationis modo patet in Iuda. Ioan. xiii. Cùm iam diabolus miſiſſet in cor, vt traderet Ieſum Iudas. Vbi beatus Auguſtinus dicit. Miſsio illa ſpiritualis ſuggeſtio eſt, & non fit per aurem, ſed per cogitationem.] De quinto modo

tex. ſtratu.

Nicol lyr. ad hunc locum.

Thomas ibidem lect. 3.

addidi ſecum ex or.

rect. ex or. pro mortis ſuæ.

Exēp. de 4. 5. & 6.

Auguſt. tract. 55 in Ioan.

habet

habes Matth.xvij.in lunatico exemplum,cuius pater ait ad Iesum: Domine miserere filio meo, quia lunaticus est, & malè patitur. Et de Saul, j. Reg. xvj. & in sequentibus. De sexto modo typum gessit illa mulier, quam (vt Christus ait) alligauit sathanas decem & octo annis, & erat inclinata, nec omnino poterat sursum respicere, sicut nec bestiæ. vt patet Lucæ xiij. vbi glossa Basilij. Brutorum siquidem caput humi deflexum est, & terram cernit: caput hominis erectum est in cœlum, oculi superna conspiciunt. De tertij solutione dubij quibus remedijs liberentur possessi à dęmone, quinque reperiuntur pro talibus experta antidota. Aliqui enim liberati sunt per exorcismos ecclesiæ: aliqui verò contritione vera vel confessione: aliqui Eucharistiæ sacra communione: aliqui sanctorum locorum applicatione, vel bonorum oratione: aliqui etiam in excommunicationis absolutione. De primo satis dictum est, & de secundo præcedenti capitulo. De tertio dicit Cassianus collatione abbat. Sereni j. Communionem sacrosanctam nequitiæ spiritibus traditis à senioribus nostris nunquam memini interdictam, quinimmo, si possibile esset, & quotidie eis impartiri eam debere censebant, quę ad purgationem ac tutelam corporis animæque prouenire credenda est. Quæ ab homine percepta, eum qui in membris eius insidet spiritum, seu in ipsis latitare conatur, velut quodam exurens fugat incẽdio. Hoc namque modo curatum & abbatem Andronicum nuper aspeximus, aliosque quàm plures. Magis namque ac magis inimicus insultabit obsesso, cùm eum à cœlesti medicina viderit segregatum, tantoque durius & frequentius attentabit, quantò eum à spirituali remedio senserit longiùs abdicatũ. Hæc Cassianus. Et iterum de eisdem ibidem dicit. Duo hæc cre-

Gloss.

Quinque remedia quibus possessi & vexati à dæmonibus liberãtur.

Cas. c. 30 Possessis dari posse Eucharistiam.

hæc credere immobiliter oportet; primò quòd sine dei permissu nullus ab eis spiritibus omnino tentatur; secundò quòd omnia quæ à deo nobis inferuntur siue tristia ad presens, siue læta videantur, velut à pijssimo patre clementissimoque medico pro nostris vtilitatibus irrogantur, & idcirco eos velut pædagogis traditos humiliari, vt discedentes ex hoc mundo, vel purgatiores ad vitam aliam transferantur, vel pœna leuiore plectantur, qui secundum Apostolum traditi sunt in præsenti sathanæ in interitum carnis, vt spiritus salui fiant in die domini nostri Iesu Christi.] *PIG.* Quid ergo erit de vsum rationis non habentibus, qui se probare non possunt, & sic edere de cibo hoc secundum Apostolum non valent? *THEOL.* Sanctus Doctor de hoc in tertia parte quęst. 80. sic distinguit de omnibus amentibus. Aliqui, inquit, dicuntur non habere vsum rationis dupliciter. Vno modo, qui habent debilem vsum rationis, sicut dicitur non videns qui malè videt: & quia tales possunt aliquam deuotionem concipere huius Sacramenti, non est eis hoc Sacramentum denegandum. Alio modo dicuntur aliqui non habere vsum rationis, quia sic à natiuitate permanserunt: & sic talibus non est hoc Sacramentum exhibendum, quia in eis nullo modo præcessit huius Sacramenti deuotio. Aut non semper caruerunt vsu rationis, & tunc si prius quando erant suæ mentis compotes apparuit in eis huius Sacramenti deuotio, debet eis in articulo mortis hoc Sacramentum exhiberi, nisi fortè timeatur periculum vomitus vel expuitionis. Vnde legitur in concilio Carthaginensi, & habetur in decretis xxvj. quæst. vj. Is qui in infirmitate pœnitentiam petit, si casu dum ad eum inuitatus sacerdos venit, op-

1. Cor. 5.

ibid. 11.

Thom. p. 3. q. 80. ar. 9. in corp.

Concil. 4. Carthag. ca. 76.

itatis corporeę: Superior homo qui spiritualis dicitur homo, & interior; & est sensualis tanquam medius, & animalis homo dicitur. Quisquis autem horum, quia radicem suam habet propriam, ramos, & stipitem, arbori assimilatur. Nam primi hominis figura, arboris, sed euersæ similitudinem pręfert secundum philosophos, quia crines radicibus in capite assimilantur, truncus pectus, & eidem adiacentia dicuntur, membra verò reliqua ramorum vices habere videntur, & operatio talium fructus sunt corporei. Vnde Marci viij. legimus de cæco, quem dominus paulatim iuxta fidei suæ crementum sanabat, quòd primo sputo eius tetigit oculos, & an videret quæsiuit. Cui ille respondit: Video, ait, homines velut arbores, ambulantes. De hac arbore corporis non curandum esse dominus docet, dicens, Matthæi sexto: Quis vestrum cogitans potest adijcere ad staturam suam cubitum vnũ? Omnes, inquit, Matth. x. vestri capitis capilli numerati sunt. Nolite ergo timere. Alius autẽ est homo animalis, de quo j. Corinth. ij. Animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei; stultitia enim est illi, & non potest intelligere, vbi glossa: Animalis homo dicitur vel vita, vel animi sensu. Vita autem animalis dicitur, * qui fertur dissoluta lasciuia animæ suæ, quam intra naturales metas ordinis spiritus rector non cõtinet, eo quòd ipse Deo se regendum non subijcit. Animi verò sensu dicitur animalis, qui de Deo iuxta corporum phantasiam, vel legis literam, vel rationem physicã iudicat.] Quare autem animalis non percipit, subdit. Stultitia est illi secundum humanum sensum, ideo non potest intelligere spiritualia.] Huius hominis, id est, sensualitatis radices sunt secundum medicos humidum radicale, & calor naturalis, & elementorum quatuor

Homo arbor inuersa.

Glos. ord.

rest. pro quæ & or.

Glos. interl.

quatuor qualitates, cuius cura ſpectat ad medicos, qui tamen in omnibus non ſunt imitandi, dicente beato Ambroſio ſuper pſalmum centeſimum decimum octauum. Contraria diuinæ cognitioni præcepta medicinæ ſunt. A ieiunio reuocant, lucubrare non ſinunt, ab omni intentione meditationis abducunt. Et concludit. Itaque qui ſe medicis dederit ſeipſum ſibi abnegat.] Hominis enim animalis mēbra mortificare iubet Apoſtolus. Coloſſ. iij. Mortificate membra veſtra quæ ſunt ſuper terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiſcentiam malam, & auaritiam. Huius hominis mēbra manus, pedes, & oculos abſcindere Chriſtus iubet cùm ſcandalizant nos Matth. 18. Hoc, inquit, Apoſtolus, Rom. vj. ſcientes, quia vetus homo noſter ſimul crucifixus eſt, ſcilicet, cum Chriſto, vt deſtruatur corpus peccati, & non vltra ſeruiamus peccato. Tertius verò ſpiritualis homo eſt & interior, de quo, j. Corinth. ij. dicit: Spiritualis autem homo iudicat omnia, & ipſe à nemine iudicatur. Vbi gloſſa. Spiritualis autē eſt homo vita, vel ſcientia. Spiritualis eſt vita, qui ſpiritum domini habens rectorem animā regit. Scientia verò ſpritualis eſt, * qui etſi ex parte, & per ſpeculum videt, tamen de Deo ſecundum imagines corporum, vel legis literam, vel humanam philoſophiam non ſapit: ſed ſpiritui Dei ſubiectus certiſsimè, ac fideliter iudicat omnia certa fide occultorum, non patenti cognitione; & ipſe à nemine, ſcilicet, à nullo homine animali iudicatur, id eſt, intelligitur vtrum bene vel malè intelligat.] Huius hominis ſpiritualis radix eſt gratia, fides, & charitas: ſtipes animæ eius eſſentia, rami potentiæ, gemmæ cogitatus, folia verba, flores, voluntates,

Ambroſ. in pſ. 118. ſer. 22. verſu 6.

Gloſ. partim ord. par. inter. reſt. pro quia ex or 1. Cor. 13.

voluntates,& fructus virtutes,& earum opera. De quibus Apostolus Rom.vj.dicit:liberati à peccato, serui autem facti deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem,finem verò vitam æternam; gratia autem dei vita æterna in Christo domino nostro.Et ad Ephesios tertio:Flecto genua mea ad patrē domini nostri Iesu Christi, à quo omnis paternitas in cœlo & in terra nominatur, vt det * nobis secundum diuitias gloriæ suæ virtutem corroborari per spiritum eius,interiorem hominem habitare Christum per fidem in cordibus vestris,in charitate radicati & fundati, vt possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo, longitudo, sublimitas & profundum. Hinc beatus Gregorius in homilia quadam: Vt multi arboris rami ex vna radice prodeunt,sic multæ virtutes ex vna charitate generantur:nec habet aliquid viriditatis ramus boni operis,si non manet in radice charitatis.] Ex quibus iam patenter conuincitur, quanta damna hominibus inferant, qui velut nociuæ formicæ fidem,gratiam,vel charitatem de cordibus hominū cassant.*PIG*.Puto dæmones in huiusmodi radicibus damna maxima inferre,quando eos constat alicuius hominis corpus potenter posidere, quia in hoc omnium trium quas descripsisti arborum radices lædere videntur: quamobrem scire cupio de hac materia;vtrum tantummodo pro grauibus criminibus posideant,quibus modis vexent & possideant,& quibus remedijs iuuari valeant possessi. *THEOL*. Satis bene consideras, sed non distinguis. Diuersimodè enim diuersi possidentur,quidam plus,alij minus per dæmones. à quibus non semper potenter possidentur, nec propter quodlibet mortale peccatum quis possidetur. Vnde ad primam tuam quæstionem audi sancti doctoris

vex vobis.

Gregorius homil.27 in euang.

Tres quæstiones.

Quod

Quodlibeta iij. quæst. iij. responsum. Quantum, inquit, ad corpus potest diabolus hominem substantialiter inhabitare, sicut patet in arreptitijs, sed hoc magis pertinet ad rationem pœnæ, quàm ad rationem culpæ. Pœnæ autem corporales huius vitæ, nō semper consequuntur culpam eius qui punitur, sed quandoque non peccantibus inferuntur, vt dicitur Iohannis nono de cæco nato, & hoc * modo est secundum altitudinem incompræhensibilium iudiciorum dei: vnde non cum qualibet culpa mortali diabolus inhabitat hominem substantialiter, etiam quantum ad corpus. Hæc ille. Reperio autem quod quinque de causis aliquem contingit possideri. Aliquando pro proprio maiori suo merito: aliquando pro alieno leui delicto: aliquando pro suo veniali peccato: aliquando pro graui peccato alieno: & aliquando pro magno fecinore proprio. De primo patet in dialogo Seueri beati Martini charissimi discipuli, vbi fertur quendam patrem sanctissimæ vitę tantè dotatum in gratia expellendi dæmones, vt hi nedum verbis suis proprijs fugarentur, sed etiam eiusdem patris epistolis & cilicio. Cùm autem coram mundo pater esset celeberrimus, se tentari sensit vana gloria, cui vitio licet viriliter resisteret, tamen vt humiliaretur amplius, totis præcordijs deum precabatur, quatenus quinque mensibus à dæmone possideretur. Quod & factum est, nam eum statim possessum vinculari oportebat, & omnia applicare sibi dæmoniacis communia. Finito autem quinto mense, prorsus & ab omni vana gloria, & à dæmone liberatus est. De secundo, quomodo ex alieno leui delicto aliquis possidetur, ponit exemplum beatus Gregorius de beato Eleutherio abbate viro simplicissimo, qui cùm prope monasterium virginum pernoctaret, ei ignoranti ordinauerunt

Thom. quodl. 3. q. 3. ar. 8.

or. omit. modo.

Quinque de causis aliqui possidentur, & de singulis exemplum.

De 1. Seuer. Sulp. dia. seu. l. 1. c. 14.

Quidam Sanctus orat à dæmone possideri.

Exēp. de 2

Greg. l. 3. dial. c. 33

nauerunt ad suam cellam poni paruulum puerum qui omni nocte vexabatur à dæmone, sed eadem nocte à dæmone liberatus est per patris præsentiam. Hic cum rem didicisset gestam, & puer iam positus esset in monasterio sancti viri, & transactis multis diebus pauló immoderatè lætus de liberatione pueri, ait ad confratres suos: Fratres, diabolus sibi cum illis sororibus iocabatur, sed vbi ad seruos Dei venit, puerum hunc accedere non præsumpsit. Et ecce statim diabolus puerum vexare cœpit, & per lacrymas & ieiunia sancti viri, & confratrum difficulter: sed eadem die liberatus est. De tertio, videlicet de proprio veniali peccato, patet per Cassianum collatione abbatis Sereni prima, dicentem de Moyse: Moyses, inquit, in eremo cùm singularis & incomparabilis vir esset, ob reprehensionē vnius sermonis quem cōtra abbatem Macharium disputans pauló durius protulit, quadam scilicet opinione præuentus, tam diro confestim traditus est dæmoni, vt humanas egestiones ori suo ab eo suppletus ingereret. Quod flagellum purgationis gratia se dominus intulisse, ne scilicet in eo vel momentanei delicti macula resideret, velocitate curationis eius, atque auctore medio demōstrauit. Nam continuó abbate Machario in oratione submisso, dicto citius, nequam spiritus ab eo fugatus abscessit.] Simile videtur huic quod primo Dialogorum refert beatus Gregorius de quadā Dei famula in monasterio virginum, quæ hortum ibidē ingressa lactucam conspiciens, & concupiscens, quam signo crucis benedicere oblita, auidè momordit, arrepta à dæmone cecidit, & vexabatur, quousque statim vocato beato ibidem patre Equitio, per eundem liberata est. De quarta causa, qua dictum pro alieno graui peccato aliquem posſideri, patet ibidem,

Exemp. de 3.
Caſſ. coll. 7. quæ eſt 1. abb. Sereni c. 27
Aliud.
Greg. l. 1. dial. c. 4.
Exemp. de 4.

per

per beatũ Gregorium. Nam, vt refert, beatus Fortunatus episcopus diabolũ ab obsesso homine propulerat. Serò igitur dæmon idem in specie peregrini per plateas ciuitatis clamare cœpit. O virum sanctum Fortunatum, eiecit de hospitio peregrinum. Quem quidam vir inuitauit suum ad hospitium, & quærendo causam expulsionis, est gauisus super derogatione sancti viri, quam à peregrino ficto audiuit. Exinde autem diabolus puerum inuasit, & prunis iniecit, ac animam eius excussit, sicque pater miser primum quem recepisset hospitio intellexit. De quinta verò causa proprij facinoris & magni, communiter tam in sacra scriptura, quàm in sanctorum passionalibus legimus. Nam sic, ij. Reg. xv. Saul inobediens Deo, possessus est. Tempore quo in Vniuersitate Coloniensi sacræ Theologię studio asscriptus fui, quędam virgo quindecim, vel sedecim annos habens, moribus secundum seculum satis composita in domo cuiusdam suæ consanguineæ nutriebatur extra domum parentum. Cumque cognatæ suæ scyphum satis vilem terreum quendam à casu fregisset, cognata ira replebatur in lapsus negligentiam, & in ream virginem. Quæ virgo tantò hoc molestius tulit, quantò vasculum vilius extitit. In iram igitur commota virgo, hora sumendi cibum nec comedere, nec ad mensam præ ira se præsentare voluit. Cuius cognata ait: Oportet vt comedas. Ac virgo apud se (vt mihi postmodum & exorcistæ retulit suo) huiuscemodi verba submurmurando dicebat. Si me oportet edere, in nomine diaboli fiat. Sic mensam accedit, benedictionem mensę, quam bene sciebat, dicere neglexit, & in primo morsello, vt putabat, muscam ori illatam sensit, quam cum nulla arte eij-

Greg. ibid. c. 10.

Exemp. de 5.

Aliud.

arte eijcere valeret, deglutiuit, & immediatè obsessa fuit, semper tamē vsum rationis bonum habuit, licet sępe satis vexaretur à dęmone. Cùm autem in domum parentum cum magna mœstitia reduceretur, & diutissimè nullus reperiretur qui liberare posset, tandem quidam frater nostri ordinis, nunc magister Gotfridus Slussel sacræ theologię professor, calamitati parentum & puellæ compatiens, se de eius exorcisatione intromisit, pacto tali præuio, vt si liberaretur nihil terreni exorcistæ daretur, sed puella in castitate solita, si vellet, liberè, & non in matrimonio, de cętero deo militaret. Legit igitur pater præfatus missam, obtulit obsessa oblationem consuetam in eadem, affuit per totum, & in nullo vexari videbatur; finitoque officio post satis diutinum exorcismi actum membris omnibus virginei corporis penè præcontusis exijt dæmon, & ita virgo deinceps domino in castitate seruiuit. Porrò quo ad secundum dubium, quibus modis dæmon possideat, vel homines lædat, ad plenum, puto, nullus in hac vita sine miraculo posset edicere. Sunt tamē sex modi satis conuenientes (vt perfunctoriè transeamus) quibus potestatem exercent in homines, sed tantummodo pro quanto à deo permissi fuerint. Nam vexant aliquando tantum in rebus fortunæ exterioribus. Aliquando etiam aliquos in proprijs vexant tantummodo corporibus, Aliquando in corpore simul & in potentijs interioribus. Aliquando quidem per eos intus & extra solùm tentantur. Alij castigatione eorum ad tempus tantummodo vsu rationis priuantur. Alij vero velut bestiæ irrationales redduntur. De tribus primis manifestum est in beato Iob, deum dęmonem licentiasse in res exteriores eius tantummodo, quando deus sathan ait: Ecce vniuersa quæ

Sex modi quibus homines à dæmonibus vexātur cum exemp.

Exemp. de tribus primis

habet

habet, in manu tua sunt, tantum in eum ne extendas manum tuam Iob j. In corpus vbi postmodum ait ibidem ij: Ecce in manu tua est, veruntamē animam eius serua, id est, vitam eius ne auferas. In potentias interiores verò agēdi potestatem dedit ibidem vij. vbi dicit Iob ad dominum. Si dixero, consolabitur me lectulus meus, & releuabor loquens mecum in * strato meo, terrebis me per somnia, & per visiones horrore concuties, dæmone scilicet procurante, secundum Nicolaum de Lira. Nam vt sanctus Thomas ibidem ad literā exponit, homines sapientes quando solitarij sunt, & à tumultibus hominum & negotiorum semoti, tunc magis * secum loqui possunt secundum rationem aliquid cogitando. Sed ista remedia Iob iuuare non poterant, quia tempore quo his remedijs vti debebat aderant sibi alia impedimenta, quibus perturbabatur, scilicet somnia terribilia, & horribiles visiones, & hoc est quod subdit. Terrebis me per somnia, quæ scilicet dormienti apparent; & per visiones, quæ scilicet apparent vigilanti ab vsu exteriorum sensuum alienato. Solent nocturna phantasmata conformia esse diurnis cogitationibus. Vnde quia Iob in die * mœrores cogitabat, similibus phātasmatibus perturbabatur in nocte. Infirmitas enim corporis ad hoc operatur, vt perturbata phantasmata dormientibus appareant. Sic igitur vndique consolatione exclusa, nullus modus Iob remanere videbatur tot angustias euadendi nisi per mortem.] Horrore, inquit, concuties. De quarto diabolicæ vexationis modo patet in Iuda. Ioan. xiii. Cùm iam diabolus misisset in cor, vt traderet Iesum Iudas. Vbi beatus Augustinus dicit. Missio illa spiritualis suggestio est, & non fit per aurem, sed per cogitationem.] De quinto modo habet

tex. stratu.

Nicol lyr. ad hunc locum.

Thomas ibidem lect. 3. addidi secum exor.

rest. exor. pro mortis sua.

Exēp. de 4. 5. & 6.

August. tract. 55 in Ioan.

habes Matth. xvij. in lunatico exemplum, cuius pater ait ad Iesum: Domine miserere filio meo, quia lunaticus est, & malè patitur. Et de Saul, j. Reg. xvj. & in sequentibus. De sexto modo typum gessit illa mulier, quam (vt Christus ait) alligauit sathanas decem & octo annis, & erat inclinata, nec omnino poterat sursum respicere, sicut nec bestiæ. vt patet Lucæ xiij. vbi glossa Basilij. Brutorum siquidem caput humi deflexum est, & terram cernit: caput hominis erectum est in cœlum, oculi superna conspiciunt. De tertij solutione dubij quibus remedijs liberentur possessi à dęmone, quinque reperiuntur pro talibus experta antidota. Aliqui enim liberati sunt per exorcismos ecclesiæ: aliqui verò contritione vera vel confessione: aliqui Eucharistiæ sacra communione: aliqui sanctorum locorum applicatione, vel bonorum oratione: aliqui etiam in excommunicationis absolutione. De primo satis dictum est, & de secundo præcedenti capitulo. De tertio dicit Cassianus collatione abbat. Sereni j. Communionem sacrosanctam nequitiæ spiritibus traditis à senioribus nostris nunquam memini interdictam, quinimmo, si possibile esset, & quotidie eis impartiri eam debere censebant, quę ad purgationem ac tutelam corporis animæque prouenire credenda est. Quæ ab homine percepta, eum qui in membris eius insidet spiritum, seu in ipsis latitare conatur, velut quodam exurens fugat incēdio. Hoc namque modo curatum & abbatem Andronicum nuper aspeximus, aliosque quàm plures. Magis namque ac magis inimicus insultabit obsesso, cùm eum à cœlesti medicina viderit segregatum, tantoque durius & frequentius attentabit, quantò eum à spirituali remedio senserit longiùs abdicatū. Hæc Cassianus. Et iterum de eisdem ibidem dicit. Duo hæc cre-

Gloss.

Quinque remedia quibus possessi & vexati à dæmonibus liberātur.

Cas. c. 30 Possessis dari posse Eucharistiam.

hæc credere immobiliter oportet; primò quòd ſine dei permiſſu nullus ab eis ſpiritibus omnino tentatur; ſecundò quòd omnia quæ à deo nobis inferuntur ſiue triſtia ad præſens, ſiue læta videantur, velut à pijſsimo patre clementiſsimoque medico pro noſtris vtilitatibus irrogantur, & idcirco eos velut pædagogis traditos humiliari, vt diſcedentes ex hoc mundo, vel purgatiores ad vitam aliam transferantur, vel pœna leuiore plectantur, qui ſecundum Apoſtolum traditi ſunt in præſenti ſathanæ in interitum carnis, vt ſpiritus ſalui fiant in die domini noſtri Ieſu Chriſti.] *PIG.* Quid ergo erit de vſum rationis non habentibus, qui ſe probare non poſſunt, & ſic edere de cibo hoc ſecundum Apoſtolum non valent? *THEOL.* Sanctus Doctor de hoc in tertia parte quæſt. 80. ſic diſtinguit de omnibus amentibus. Aliqui, inquit, dicuntur non habere vſum rationis dupliciter. Vno modo, qui habent debilem vſum rationis, ſicut dicitur non videns qui malè videt: & quia tales poſſunt aliquam deuotionem concipere huius Sacramenti, non eſt eis hoc Sacramentum denegandum. Alio modo dicuntur aliqui non habere vſum rationis, quia ſic à natiuitate permanſerunt: & ſic talibus non eſt hoc Sacramentum exhibendum, quia in eis nullo modo præceſsit huius Sacramenti deuotio. Aut non ſemper caruerunt vſu rationis, & tunc ſi prius quando erant ſuæ mentis compotes apparuit in eis huius Sacramenti deuotio, debet eis in articulo mortis hoc Sacramentum exhiberi, niſi forte timeatur periculum vomitus vel expuitionis. Vnde legitur in concilio Carthaginenſi, & habetur in decretis xxvj. quæſt. vj. Is qui in infirmitate pœnitentiam petit, ſi caſu dum ad eum inuitatus ſacerdos venit, op-

1.Cor.5.

ibid. 11.

Thom. p. 3.q.80. ar.9.in corp.

Concil.4. Carthag. ca.76.

pressus infirmitate obmutuerit, vel in phrenesim conuersus fuerit, debet testimonium quæri ab his, qui eum audierunt. Et si continuò creditur moriturus, reconcilietur per manus impositionem, & infundatur ori eius Eucharistia. De baptizatis qui corporaliter ab immundis spiritibus vexantur est eadem ratio, & de alijs amentibus. Hæc Thomas, & ad hoc Cassianum allegat. Addit tamen in iiii. distinct. ix. Dæmoniacis non est deneganda communio, nisi fortè certum sit pro aliquo crimine à diabolo torqueri. Cui sic Petrus de Palude addit. In hoc casu pro excommunicatis sunt habendi, qui traditi sunt sathanæ. Hæc Petrus. Ex quibus liquet, quòd si aliqui sunt possessi à dæmone etiam propter sua crimina, habentes tamen lucida interualla & rationis vsum, postea conuertuntur de peccatis vel debitè confitentur, tales cùm sint absoluti coram deo, nullatenus sunt à communione diuinissimi Sacramenti Eucharistiæ sequestrandi. De sanctorum locorum applicatione vel deuota oratione, quod pro quinto remedio tactum fuit, legendæ sanctorum refertę sunt. Merita enim sanctorum martyrum, confessorum, & virginum exigunt, vt hi spiritus nequam Sanctorum in patria existentium intercessione vincantur, quos sancti in via vicerunt. Similiter viatorum deuotæ orationes liberationem obsessorum obtinuisse sæpe leguntur. Vnde ad hoc hortatur Cassianus vbi suprà. Si inquit, haberemus hanc sententiam, immò fidem quam superius comprehendi, vt & omnia per dominum fieri, & pro vtilitate animarum dispensari vniuersa credamus, non solùm nequaquam despiciemus eos, sed etiam pro eis, inquit, tanquam pro membris nostris incessanter orabimus, eisque totis visceribus ac pleno compatiemur affectu.]

Thomas ibid. ad 2.

Thom. in 4. dist. 9. ar. 5.

Petr. Palud. ibid. q. 4. in fine.

Cass. c. 30.

ſectu.] De ſexto modo abſoluendi ab excommunicatione ſciendum, quod nec iſte communis eſt, nec forte licitus, niſi habenti auctoritatem, & ſpecialem reuelationem, vel probabilitatem, quod poſſeſſus quis ſit propter excommunicationem eccleſiæ, ſicut Apoſt. j. Corint. v. excommunicatum à ſe & à plebe Corinthium fornicarium tradidit ſathanæ in interitum carnis, vt ſpiritus ſaluus fieret in die domini noſtri Ieſu Chriſti, id eſt, (vt gloſſa dicit) vſque ad illuminationem gratiæ contritionis, vel ad iudicium]. Et pſeudo-doctores qui fidem perdiderunt, videlicet Hymenæum & Alexandrum tradidit ſathanæ, vt diſcerent non blaſphemare. j. Timot. j. Tantæ enim poteſtatis (dicit gloſſa) erat Apoſtolus, tantamque gratiam habebat, vt recedentes à fide, ſolo verbo traderet diabolo]. Vnde ſanctus Thomas in quarto diſtinct. xviij. vbi Magiſter tres effectus excommunicationis tradit, eoſdem ſic declarat ſanctus doctor. Ex hoc ipſo vero, inquit, quod aliquis ſuffragijs eccleſiæ priuatur, triplex incommodum incurrit, per tria quæ quis ex ſuffragijs eccleſiæ conſequitur. Valent enim ad augmentum gratiæ eis qui habent, vel ad merendum eis qui non habent. Et quantum ad hoc Magiſter dicit, quod gratia ſubtrahitur per excommunicationem. Valent etiam ad cuſtodiam virtutis. Et quantum ad hoc dicit, quod protectio ſubtrahitur, non quod omnino à dei prouidentia excludantur, ſed ab illa protectione qua filios eccleſię ſpecialiori modo cuſtodit. Valent etiam ad defendendum ab hoſte, & quantum ad hoc dicit, quod diabolo maior poteſtas ſeuiendi in ipſum datur & corporaliter, & ſpiritualiter. Vnde in primitiua eccleſia quando oportebat per ſigna ad fidem homines inuitare,

Gloſſ. inter. ſecundum ſenſum.

Gloſ. ord. & eſt Haymo.

Thom. in 4. diſt. 18. q. 2. ar. 1.

sicut spiritus sanctus visibili signo manifestabatur, ita excommunicatus corporali vexatione à diabolo innotescebat. Nec est inconueniens, si ille qui non est desperatus, hosti datur, quia non datur ei, quasi damnandus, sed quasi corrigendus, cum in potestate ecclesiæ sit, ex eius manu ipsum eripere cùm voluerit. Hæc Thomas. Ex quo vltimo verbo patet sextum remedium. Sed cauendum est valde exorcistæ cuilibet, ne de suis viribus faciliter præsumat; aut iocum aut ludum serioso dei operi intermisceat: aut superstitiosum vel suspectum aliquid de maleficio adijciat, alioquin pœnam vix euadet, vt declaratur per exempla. Nam de primo refert beatus Gregorius j. dialog. de quadam cõtra conscientiam suã à marito petente & obtinente debiti redditionem in vigilia dedicationis ecclesiæ sancti Sebastiani, quia contra conscientiam se processioni ecclesiæ immiscuit, possessa est, & publicè furiebat. Quo viso sacerdos eiusdem ecclesiæ ex altari sindonem tulit, eamque cooperuit. Sed & hunc sacerdotem repente simul diabolus inuasit: Et quia vltra vires voluit quicquam præsumere, compulsus est cognoscere in sua vexatione * quis esset. Hæc Gregorius. Nec de officio, quod exorcistatus sanctum ordinem requirit, quis iocum faciat. Nam vidi in conuentu Coloniensi fratrem verbis satis iocosum, sed in gratia expellendi dæmones valde famosum; hic cùm in terminis conuentus Coloniensis dæmonem in obsesso corpore arctaret, iam dæmon petiuit à fratre locum recedendi. Quo gauisus frater ait in ioco. In cloacam meam vadas. Exijt igitur dæmon, & nocte cum frater ventrem purgare vellet, dæmon tam dire eum torsit prope cloacam, vt vitam cum difficultate saluaret. Cùm præterea maleficorum præsidia super possessos inuocantur,

Grego. 1. dial. c. 10.

Processio

* er. quid.

Exem. nõ esse ioco agendum cum diabolo in obsessis.

cantur, finis deterior, quàm principium sæpe efficitur. Vnde de præfata fœmina refert Gregorius vbi suprà, Cum inquit, propinqui eam carnaliter amantes, atque amando persequentes ad obtinendum salutis remedium maleficis tradiderunt: Ducta igitur per eos ad fluuium, atque in aquam mersa, & multis incantationibus agitata, dum vnus dæmon ab ea expelli debuit, legio eam intrauit, cuius distinctis vocibus iam clamare cœpit. Quod tandem consanguinei confitentes, & de hoc dolentes, eam præsentarunt sancto Episcopo Fortunato, qui diuturnis orationibus duobus diebus eam ex integro sanauit. *Gregor. ibid.*

Stipes, radix, gemma, flos, folia, & fructus quid significent. De herbis, petris, & melodiis an dæmonem arcere possint. De variis modis possidendi hominem aliquando phantasticis per maniam, & de remediis contra maniam.

CAPIT. XII.

AD summitates arborum formicæ scandunt, & ibi earum flores, aliquæ sæpe gramina & fructus lædũt. Quæ radices sint, arbor, & rami in morali intellectu, qui lędi possunt à nociuis formicis, dictum est in precedentis capituli principio. Flores autem sunt bona proposita, & fructus opera, verba verò velut folia. Vnde Ecclesiast. 24. Ego quasi terebinthus extendi ramos meos, & rami mei honoris & gratiæ. Ego quasi vitis fructificaui suauitatem odoris, & flores mei fructus honoris & honestatis. Vbi glossa. Terebinthus arbor est fru- *Glos. ord.*

 ctuosa,

ctuosa, flos racemosus sicut oliuæ, sed * rubens folia habet densa, & folliculos emittentes quædam animalia quasi culices, plenior resina quæ de cortice erumpit. Per terebinthum significatur ecclesia, quæ per totum orbem ramos prędicationis & fidei extendit, cuius resina pręcipua, id est animarum medicina. Masculi huius arboris sine fructu sunt, quia qui in se confidunt fructum virtutis non faciunt. Feminarum autem duo genera sunt, & cum vite maturescunt. Qui enim infirmitatem suam agnoscunt, & spem suam in domino ponunt, fructum martyrii sibi acquirunt: aut per continentiam, aut munditiam cordis & corporis spirituale præmium possidebunt.] Qui etiam sint flores & fructus vineæ spiritualis in hęc verba tradit beatus Gregorius libro duodecimo moralium; Bene, inquit, per Salomonem dicitur. Mane surgamus ad vineas, videamus si floruit vinea, si flores fructus parturiunt. Florent quippe vineæ, cùm mentes fidelium bona opera proponunt; sed fructus non pariunt, si ab eo, quod proposuerunt aliquibus victi erroribus infirmantur. Non ergo intuendum est, si vineæ floreant, sed si flores ad partum fructuum conualescunt. Quia mirum non est, si quis bona inchoat, sed valde mirabile est si intentione recta in bono opere perduret. Vnde fit plerunque, vt si in bono opere recta intentio non tenetur, etiam ipsum hoc opus, quod bonum creditur, amittatur. Hæc ille. Orandum ergo nobis est deuotè cum Psalmista. Domine deus virtutum, vide & visita vineam istam quam plantauit dextera tua, & ne singularis ferus eam depascat, aut aper eam determinet de silua. Ne etiam dominus de * nobis sicut de gente maligna comminetur illud Ezechielis.39. Feris auibus, omnique

Marginalia: * or. rubens. — Gregor. l. 12. mo. c. 24. al 26. — Cant. 7. — Psal. 79. — * a b. m. vobis.

nique volatili, & bestiis terrę dedi te ad deuorandum. Glossa. aduersarijs potestatibus, dæmonibus scilicet qui iuxta viam comedunt sementem.] Venit enim diabolus & tollit verbum de corde hominum, ne credentes salui fiant, vt ipsa veritas ore expressit proprio. *PIG.* Finem tractatus prope habemus, de maleficis igitur adhuc operationibus scire desidero; vtrumne alij modi sint quibus possidere consueuerunt dæmones in hac vita homines? *THEOL.* Tres adhuc mihi occurrunt. Vnus est in corporali vexatione. Alius est in animę necatione. Tertius est in sola opinione. Primus aliquando fit sine delicto præuio. Secundus semper cum mortali peccato. Tertius oritur ex complexionis vitio. Primus est de quo laté dictũ est in præcedentibus. *PIG.* Vnum adhuc est mihi dubiũ de præfata materia, vtrumne per herbas, petras, & melodias valeant expelli dæmones. *THEOL.* Valent certè talia nonnunquam debitè applicata, & si non semper vt ex toto, tamen vt pro parte liberentur. Patet illud Tobiæ. vj. vbi Raphael ait Tobiæ. Cordis particulam, scilicet de pisce quem cepisti, si super carbones ponas, fumus eius extricat omne genus dæmoniorum, siue à viro, siue à muliere, ita vt vltra non accedat ad eos. Idem in effectu patuit ibidem viij. vbi magister in historia sic addit: Nec super hoc mirari debemus. Cum fumus cuiusdam arboris adustæ eandem vim habere perhibeatur.] Nec hoc venerabilis Hugo negat commentando eandem historiam, immo beatus Hieronymus dicit: Dæmonium sustinenti licet petras vel herbas habere sine incantatione. Et habetur in forma xxvj. quæst. vij. dæmonium sustinenti. Ad idem allegat dominus Guillelmus Parisiensis vltima parte summę suæ de vniuerso satis probabi-

Gloss. interl.

Luc. 8.

Tres modi quibus homines possidẽtur à dæmonibus.

An per herbas petras aut melodias expelli possint.

M histo. riar.

Petr Comestor.

Hugo.

26 q. 7. c. Dæmoniũ sustinẽti.

Guil. Paris. c. ..

liter. Præterea certum est exorcismi iure se aliquos fideles in vsu habuisse. Vnde actuum decimo-nono, de septem refertur. Super quo dicit Magister in historia. Licet per exorcismos Salomonis * eiecerint, non tamen absque labore multo, sed quibusdam herbis & gemmis adhibitis, vt tradit Iosephus.] Hæc ibi. Verùm quòd prænominata non directè de sui natura aduocant, vel compellunt dæmones, videlicet, verba, herbæ, & petræ, dicit sanctus Thomas in ij. dist. vij. articulo vltimo. Non est, inquit, credendum aliquibus virtutibus corporalibus dęmones subiacere, & ideo non coguntur inuocationibus & factis quibusdam maleficis, nisi in quantum per hoc fœdus cum eis initur, secundum quod dicitur Isaiæ 28. Percussimus fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactum.] Et illud Iob xl. An extrahere poteris Leuiathan hamio. & sequentia, sic finaliter * exponitur secundum Thomam dicentem. Si quis rectè considerat, omnia præmissa videntur pertinere ad præsumptionem necromanticorum confutandam, qui nituntur cum dæmonibus pactum inire, ac eos sibi subijcere, vel qualitercunque constringere. Ostenso ergo quòd homo non potest vllo modo sua virtute diabolum superare, * quod ex omnibus pręmissis concludit dicẽs & subdens. Pone super eum manum tuam, subaudi, si potes quasi diceret nullo modo tua virtute potes; superatur tamen virtute diuina. Vnde subdit: Memento belli, quo scilicet ego contra eum pugno. Hæc de Thoma. Vnde etiam posteà capitulo xlj. dicitur. Non est potestas super terram quę ei comparetur. Super quo idem. Per hoc, inquit, signatur, quod nulla virtus corporalis potest adęquari potestati dæmonis, quæ est potestas spiritualis naturæ. Et sequitur. Qui

Petrus Comest. ad c. 19. Act.

or. eijceret

Thom. in 2. dist. 7. q. 3. ar. 2. ad 3.

rest. pro exponit.

Thom. in c. 40. Iob. lect. 3.

or. quasi.

Iob. 40.

Tho. in c. 41. Iob. lect. 2.

factus est vt nullum timeret. Diabolus enim hoc habet ex conditione suæ naturæ in qua factus est à deo, vt nec hominem timeat, nec aliquam creaturam corporalem. Hæc de Thoma. Indirectè autem quodammodo dæmone obsessus potest virtute melodiæ, vel herbæ, vel corporalis rei sibi à naturali proprietate inexistente cerebrum vel partem corporis læsi à dæmone sanare, vel reducere vt tolerabilius habeat, vt tenet dominus Albertus Lucæ ix. & Nicolaus de Lira j. Reg. 16. & doctores ibidẽ. Nec omnino certum est, dæmones aliquos nisi in pœnam in potestate eorum impediri qui igne corporali cruciantur, & sanctorum orationibus. Certum etiam est eos præfatis rebus, si in laudem dei vel sanctorum assumuntur, vel cum inuocatione diuina & beatorum, sæpe cruciari, vt in multis legendis sanctorum patet. Præterea quod his maius est, tenet Paulus Burgensis in additionibus super j. Reg. 16. hanc conclusionem, videlicet: Non solùm concedendum videtur, quod * per aliqua sensibilia possunt afflicti à dæmonibus leuius ferre, vt scilicet Nicolaus de Lira tenet, sed quod etiam per sensibilia aliqua à dæmonibus afflicti posint totaliter liberari, quod probatur per eãdem rationem quam Nicolaus adducit. Nam cùm dæmones non possint materiam corporalem secundum suam voluntatem transmutare, sed mediantibus actiuis qualitatibus quæ disponunt materiam ad suscipiendum actionem afflictiuam in corporibus ab eis obsessis, vt Nicolaus dicit. Eadem ratione per aliquam rem sensibilem potest causari dispositio in corpore humano, per quam, non sit aptum ad suscipiendum actionem dæmonis, verbi gratia. Nam mania est maximè dispositiua ad alienationem mentis secundum medicos, & per consequens ad suscipiendum afflictio-

Paul. Burg.

add. per ex orig.

afflictionem dęmoniacam. Quæ quidem manica passio, sicut potest alleuiari per sensibilia medicamina, sic & penitus curari, & per consequens curata, * cessat talis dispositio in corpore humano ad suscipiendum afflictionem dęmonum correspondentem tali dispositioni, & sic recedet penitus afflictio dæmonis actiua recedente passiua in possesso. Idem potest dici de iecore piscis Tobiæ. Idem de melodia Dauid, ratione cuius, licet primo refocillaretur Saul & leuius haberet, tamen totaliter expulsus fuit per eam. Vnde dicit litera. Recedebat ab eo spiritus malignus. Nec consonum est litere, dicere, quod hoc fiebat ex merito Dauid seu per orationes eius, quia non est verisimile quod hoc scriptura taceret, cùm esset in laudem Dauid notabiliter, de quo tamen nullam mentionem facit, Hæc de Paulo. Secundus vero modus quo dæmones possidēt homines est grauissimus, de quo Cassianus collatione abbatis Sereni prima dicit. Illi sūt verè miseri ac miserabiles iudicandi, qui cùm se vniuersis criminibus flagitijsque contaminent, non solùm nullum in eis visibiliter signum diabolicę suppletionis ostenditur, sed ne aliqua quidem operibus eorum condigna tentatio, nec vllum flagellum correptionis infertur. Non enim merentur celerem temporis istius expeditamque medicinam, quorū duritia & impœnitens cor pœnam vitæ pręsentis excedens, thesaurizant sibijpsis iram & indignationem in die iræ & reuelationis iusti iudicij dei, in quo vermes eorum non morientur, & ignis eorum non extinguetur.] Et iterum idem Cassianus comparando corporalem obsessionem & animæ per peccatū, paulò anteà dicit. Multo grauius, inquit, constat illos vehementiusque vexari, qui cùm corporaliter ab ipsis suppleri minimè videantur, ani-

Margin notes: * vel ex ore pro esset. — Cas. c. 31. — Rom. 2. — Isa. vlt. & Mar. 9. — Cas. ibid. c. 25.

tur, animo tamen perniciosius possidentur, eorũ scilicet vitijs vel voluptatibus inuoluti. Secundum Apostoli namque sentẽtiam. A quo quis superatur, eius seruus efficitur, nisi quod in hoc isti desperatius ægrotant. quod cùm sint eorum mancipia, nec impugnari se ab illis, nec dominatum eorum ferre cognoscunt.] Tertius modus possessionis non est verus nec proprius, sed tantũ putatiuus, quo quidã aut ex tentatione mera dæmonis, aut ex vitio corporeę complexionis sese possessos existimãt. Noui in ciuitate Nurenbergensi quandam iuuenẽ de ditioribus & maioribus honestã dominã in matrimonij lege sub viro constitutam. Hæc per quatuor circiter annos se sola conscia & quadam deuota sibi famula, putabat omnino se esse possessã à dæmone Et quia se notari timuit & natos quos habuit, si proderet, apud semetipsam tabescere cœpit in corpore tam grauiter, vt nec pueri quos habebat pulchros, nec mariti admodum probi pręsentia, neq; amicorum, vel epularũ quarumcũque delitię eã lętificare valerent. Veni ego ad locum prædictæ ciuitatis, & quia mei notitiam habuit, ideo in porta conuentus me de animæ salute, & de alijs consulere cœpit. Cumq; inter mea verba dæmonẽ, nescio quo casu, nominarem, diuertere cœpit femina à me cautè caput, vt faceto more saliuam eijceret. Ex phantasijs enim pręteritis quotiẽs nomen dæmonis nominari audierat, horruit eius animus ex contracta assuetudine. Post quædam igitur verba cùm in gestu feminæ, timorem eius quem celauerat agnouissem, sibi dixi: Domina, si mihi veritatem fateri volueritis, secretam vestram tentationem, quam celatis, indicabo. Quæ respondit admirando. Ita faciam, si veritatem dixeritis. Tunc ego. Vos putatis vos esse possessam. De quo stupẽs respondit. Veritas est, &

2. Pet. 2.

Exemplum cuiusdam matronæ quæ se obsessã existimabat.

hæc

hæc mea grandis dudum tristitia extitit, & durat hodie. Visa itaque conditione feminæ, & auditis sui timoris circunstantijs, sibi dixi. Secura estote, possessa non estis, sed aut tentatio est, aut maniæ naturalis passio. Quo audito cœpit gaudere, & melius dietim habere, multoque tempore posteà viuebat alacriter & honestè. Tempore quo in Vviennensi steti studio, fuit ibidem ciuis vnus vxoratus de meliori ciuitatensium prosapia mihi multisque notus. Hic in forma strepitus cuiusdam secularis iudicij cautionem quandam literatoriam produxit in medium inscius, vt multis videbatur, quæ opposita solis radijs quibusdam videbatur per rasuram falsificata, Super quo postmodum clam auisatus coram amicis, quia probus & fide dignus semper extiterat, satis erubuit, & se die noctuque perpetuæ infamiæ maculam contraxisse suspicabatur, nec super hoc consolationem cuiuscumque recepit. Ductus igitur ad examen in medicinis expertorum, adesse iuueni viderunt infirmitatem, scilicet maniæ. Vnde postquàm multa sibi adhibita essent remedia, nec quicquam adiuuarent, suaserunt cautè medici multum prudenter & catholicè, vt Sacramentalem confessionem faceret, Eucharistiæ Sacramentum reciperet, & se per omnia disponeret ac si mori vellet, ne ex mania futura impersuasibilis, sine talibus moriendo, putaretur à dæmone possessus; & factum est ita. Nam paulò post sibi incidit quòd mortuus esset, & quia mortui nec bibunt, nec comedunt, nec alia communia viuis faciunt; ità nec iste facere vlla persuasione voluit. Vnde tandem mera fame interijt, nec iuuabat remedium quo quidam se mortuum fingens, & comedens, similem (vt fertur) aliquando sanauerat maniacum. Vidi alium non de infimis in ciuitate

Exem. viri qui se mortuum existimabat ideoque noluit comedere nec bibere.

Colo-

Coloniẽsi, virum literatum & diuitem, ac multum honoratum, de cuius ore audiui, quod quadam vice periculosè infirmabatur, & iam lecto decumbẽti vbicunque se inspexit sibi apparebat quod ipse duo homines essent. de quo stupens, & an dormiret vel amens esset ambigere cœpit. Deinde concludens quod hoc impossibile esset, ne ab alijs vsu rationis priuatus esse videretur, clam vocauit medicũ corporis, qui maniam adesse conspiciens confortabat infirmum bona spe, & animum euadendi dedit, dummodo diuina Sacramenta reciperet. Quo facto de die in diem conualescebat infirmus, & cum gratiarum actione recedẽte infirmitate abscessit etiam & * manica passio, quàm se habuisse postmodum ferè cunctis celauerat, quousque me coram audiuit, quod infirmitas hæc naturalis esset. In ciuitate alia notitiam alterius magni & diuitijs atque probi viri habui, qui licet esset ditissimus & perpetuis multis possessionibus reddituatus, & vir magni consilij, tandem timere cœpit quod tandem eum mendicare oporteret, cùm tamen omnium iudicio tantarum esset diuitiarum homo, & prouisus redditibus, vt ad comedendum argentum satis haberet, si vellet. Præfata igitur mania territus supra modum grauabatur, nec vlla persuasione sibi ista à suo remoueri poterat capite, & ita catholicè, non sine nota tamen vita functus tandem. Habuit protunc filium iam adultum nouiter traditum nuptui, qui nouiter simili vexatus mania, grauius eam in præfata materia quàm * potest habere fertur. *PHIL.* Si ista passio quàm tu ex medicorum libris maniam vocas, imaginationes tam firmiter solidat in mente hominis, vt in potestate liberi arbitrij non sit eas deponere, quale remedium adhibendum est talibus quæro? *THEOL.* Medicorum

De alio qui se duos homines esse existimabat.

m maniacu.

De alio ditissimo qui ex mania timuit ne mendicare cogeretur.

De filio illius eodẽ vitio laborante.

f pater.

corum interest taliusmodi dare remedia, qui quidem sæpissime salubria leguntur inuenisse antidota. In diœcesi Bambergensi aliquando fui vocatus ad domum cuiusdam mechanici satis infirmi, qui de animæ suæ salute totaliter desperatè loquebatur, & crebrô arma vt ipse seipsum perimeret sollicitè quæsierat. Suasi quantum occurrit de sacræ scripturæ passibus viro præfato mechanico, videlicet, maniaco, vt verè dolens de peccatis suis veniam se à Deo plenè consecuturum firmiter speraret, sed nihil profeci: peccatum enim quoddam satis modicum ipse allegabat se fecisse, nec non ingeminasse, & idcirco se putabat atque dixit non posse saluari. Insteti autem acrius, replicando maiores peccatores fore gratiam consecutos. Veruntamen ille verba mea explodit dicendo. Domine experientiæ credo, nam actu video ad inferni barathra, & exinde versus me flammas terribiliter aduolare conspicio. Tūc suasi vt medicus aduocaretur, & remedia dormiendi, vel alia necessaria secundum medici consilium applicarentur, & recessi. Sequenti die redij, & vt anteà de spebus veniæ persuadebam. At ille. Putatis-ne me veniam peccatorum posse consequi? Respondi lætus, quod sic. Dormierat enim, & per medicinalia melancholia tepuerat; vnde quia iam dubitauit animæquior factus, ad spem veniæ faciliter reductus esse videbatur. *PIG.* Fortassis hi qui contra fidei articulos nonnunquam per inquisitores hæreticæ prauitatis reperiuntur duri, tali manica laborant passione: & ista ignorantes tales statim seculari tradunt brachio, vbi cremantur præcipitanter nimis. *THEOL.* Fieri potest per incautos inquisitores proüt tangis, & fortassis ita factum fuisset cum isto sacerdote Hungarico, de quo suprà lib. iij. cap. x. tibi retuli, nisi magna literatorum

De alio qui ex mania desperabat.

torum

prudentia hoc præuenisset. Quamobrem probandi sunt spiritus an ex Deo sint, vel an ab infirmitate, vel an à malignitate dæmonis, vel à malitia pertinacitatis. Tempus in his, locus, & persuasiones salubres, atque considerationes prudentes dandæ sunt ab his, qui tales curare habent, ne quid de contingentibus omittatur, vbi non modò de salute corporum, sed de periculo animarum perpetuo agitur. Præterea noui quendam in artibus, & in sacra pagina professorem excellentem plurimum, qui premi cœpit imaginatione grauissima & mania de interficiendo se cum proprio cultro. De quo erubuit valde se manifestare, nec tamen poterat phātasiam amouere. Venit tādem ad me occultè, fleuit vbertim, & remedium petiuit. Cui expurgationem conscientiæ per Sacramentalem confessionem primùm certis de causis suasi aggredi, quàm & fecit, nec liberatus est, quia iudicio medici corporalis maniam patiebatur. Vnde aliquando idem maniacus, qui in alijs magnæ prudentiæ fuit, mihi flendo dixit. Mirabile, inquit, negotium, ego me vti ratione experior, & scio me esse contradictoriè liberum, nec valeo istam phantasiam de me necando cum tota animi libertate deponere. Talibus sæpe opus est longè plus medico corporis quàm animæ.

1. Ioan. 4

De alio qui se proprio cultro volebat interficere.

FINIS.



IN QVINQVE LIBROS FORMICARII IOANNIS NIDER

Annotationes

Auctore GEORGIO COLVENERIO
S. Theol. Licent. & Profess.

IN LIBRVM I.



Cap. I.

NVLLI homini, præsertim minus ecclesiastico, licet vacare acédiæ vitio.) *Verissimè dicitur: Homines nihil agendo malè agere discunt, & de personis ecclesiasticis Gaspar Lanthonius in suis epigrammatis concinnè cecinit.*

Vita sacerdotum nisi libris ocia pellat,
Ducitur ancipiti desidiosa loco.

Iuxta illud cantici ecclesiæ: Media vita in morte sumus.) *Habetur in Breuiariis secundum antiquum vsum multarum Ecclesiarum, vt Vltraiectensis, Brugẽsis, &c. atque etiam ordinis Prædicatorum, Dominica 3. Quadragesimæ in antiphona ad Nũc dimittis, in Completorio, quæ integra sic habet: Media vita in morte sumus, quem quærimus adiutorem, nisi te Domine, qui prò peccatis nostris iustè irasceris? Sancte Deus, sancte Fortis, sancte & misericors saluator amaræ morti ne tradas nos.] Dici autem videtur: Media vita in morte*

 sumus

sumus, quia præsens vita tot vndique miseriis circumsepta est, vt æquè mors videatur appellanda ac vita. Quinimo, vt ait B. Gregorius homil. 37. in euang. Temporalis vita, æterna vita comparata, mors est potius dicenda quàm vita. Simili phrasi, sed alio sensu dicitur: Dimidium vitæ mors, videlicet somni ratione de quo Poeta.

Stulte quid est somnus, gelida nisi mortis imago?

Videatur Erasmus in adagio: Dimidio vitæ nihil differunt felices ab infelicibus. Chiliad. 2. centur. 1. adagio. 9.

Vnde Bernardus 19.) *Videtur deesse citatio.*

Qui bene præsunt presbyteri, duplici honore digni habeantur.) *Adieci vocem (digni) & correxi citationem scripturæ, sicut & alias sæpissime. Nam citabatur caput 2. Sic c. 11. primi libri citabatur liber ecclesiastici pro ecclesiaste, & quartus liber Ethicorum Aristotelis pro tertio.*

Gregorius 20. libro Moral.) *Correxi 20. pro 2. suntque verba paulo aliter disposita quàm leguntur in ipso Gregorio. Illa enim:* Quia hæc sanctitatis specimen non esse cognoscit. *præcedunt ista:* quia probatio, &c. *Item ex orig. emendaui specimen pro quo legebatur speciem.*

Boni autem si daretur eis à Domino, &c.) *Præter id quod hic ex Augustino allegat, similis est locus in eodem Aug. lib. 2. contra Donatistas cap. 5. Ideoque plerumque doctoribus minus aliquid reuelatur, vt eorum patiens & humilis charitas, in qua fructus maior est, comprobetur.*

Fuit vir quidam plebeus laborator, simplicianus mundo, sed Deo reuera prudentior.) *scilicet quàm mundo, vel apud Deum. De eodem simpliciano rustico alia duo narrat miracula c. 11. huius primi libri.*

Fratris Eberhardi videlicet, viri, vt adiacens

mihi

mihi testari potest, patris fide digni valde.) *Emendaui testari pro testanti, quomodo omnia legebant exemplaria, sed duo antiquiora adiacens, reliqua duo adiacentis. Intelligit autem eo nomine viciniam Loquitur similiter lib. 2. c. 6. dicens: Totum natale solum testaretur cum adiacenti vicinio. Et ibidem, ac c. 7. adiacenti patria, & lib. 3. c. 8. apud totam adiacentem patriam. Item lib. 4. c. 2. De hoc autem Eberhardo admodum praeclara refert infra lib. 4. c. 12.*

Iuxta illud mẽmorandum B. Bernardi: Qui facit quod nemo, mirantur omnes.) *Locus est lib. 1. de considerat. in fine cap. 9. Erat autem tum temporis sententia prouerbialis. Ita enim habet Bernardus. Sed & notabere vulgari prouerbio: Qui hoc facit quod nullus, mirantur omnes.*

CAP. 2. Fuit autem pro tunc in ciuitatula imperiali parua Sueuiæ quæ Alen dicitur.) *Sebastianus Munsterus in appendice ad Geographiam Ptolomæi in cap. de Germania, & Onuphrius Panuinus in lib. de comitijs Imperatorijs omnes ciuitates Imperiales, id est quæ imperatorem immediatum agnoscunt Dominum enumerant. Inter quas hæ sunt, Alen, Argentina, Basilea, Berna, Campidona, Colmaria, Colonia, Constantia, Erdfordia, Friburgum, Gamundia, Gottingen, Isna vel Issnen, Memmingen, Metis, Moguntia, Nuruberga, Rauenspurg, Roszheim, Rotenburgum iuxta Thuberum, Spira, Treueris, Vvormacia. Quæ idcirco annoto quia harum plerarũque frequens in his quinque libris est mentio.*

Et rursum istius regulæ iuridicæ, quod priuilegia paucorum non faciunt legem cõmunem.) *Id præter citationem in margine positam ex iure Ciuili, habetur ex iure Canonico 26 q. 2. cap. 2. Non statim, & c. 4. Non exemplo. Vbi dicitur: Priuilegia singulorum non possunt legem facere communem.*

CAP. 3. Nolite audire verba prophetarum vestrorum, mendacium enim prophetant vobis.

Hier.7.) *Notandum quòd aliquoties non citet ipsa scripturæ aut Patrum verba, sed sensum tãtummodo, vt hoc loco: Alioqui posteriora verba habentur in fine cap. 5. eiusdem prophetæ.*

Atque mutatus in virum alterum.) *Alluditur tum hic, tum c. 12. huius libri ad id quod de Saule dicitur recens vncto 1. Reg 10. mutaberis in virum alium. Scripturas autem ad quas tantùm respicit raro in margine adnotaui Simile verò exemplum ei quod hic refertur habet Thomas Cantipratanus lib. 1. exemplorum siue Apum cap. 2.*

Sequuti estis errantem, sequimini correctum & pœnitentem.) *Alluditur ad verba B. Ambrosii ad Theodosium Imperatorem quando eum prohibuit aditu ecclesiæ, propter cædem Thessalonicæ factam. Cùm enim Theodosius Dauidẽ quoque regem adulterum & homicidam fuisse dixisset, respondit Ambrosius: Qui secutus es errantem, sequere pœnitentem. Ita Romanum Breuiarium ex decreto Concilij Trid. restitutum 7. Decembris.*

Quatuor mihi hic occurrunt dubia.) *Horum solutio, quam author prætermittit, haberi poterit ex ijs quæ tradit Nauarrus in enchir. Confessariorũ cap. 12. à nu. 46. vsque ad. 51.*

CAP. 4. Regnum videlicet, aristocratia, & timocratia.) *Sic antiquissimum exemplar a, proximum ab eo b. thimocracia. Argentinense & Parisiense priori loco trinocratia legit, sed postea timocratia, quomodo omnino legendum est. Ioannes Buridanus quæstione secunda super libro primo polit. Aristotelis huius vocabuli meminit his verbis: Tertia est vbi multi & plures principantur, sed semper intendunt bonum commune, & vocatur principatus timocraticus. Cæterum Aristoteles loco ab auctore citato, id est libro tertio Politicorum non habet eam vocem, sed tertiam*

tertiam, inquit, laudabilis principatus speciem dicimus vocari communi nomine πολιτείαν *siue rempublicam. Habet tamen eam lib. 8. Ethicorum c. 10. vbi* τιμοκρατικὴν *nominari dicit* ἀπὸ τιμημάτων, *id est à censibus. Quo loco latè etiam differit de tribus laudabilis reipublicæ speciebus, & tribus contrarijs.*

Oligarchia.) *Ita orthographiam emendaui, cùm tria legerent olligarcia, reliquum, videlicet b. obligarcia. Deriuatur à voce* ὀλίγοι *.j. pauci, &* ἄρχειν, *principari, quasi dicas paucorum principatum.*

Fuit, inquam, ibi virgo adulta, &c.) *De eadem refertur exemplum infrà lib. 2 cap 9.*

Nam Plato & sui discipuli loca reliquerunt fructifera, & pro sapientia acquirenda terras inhabitauere pestilenticas.) .j. *pestilentes. De Platonis peregrinatione in Ægyptum & alias regiones, præter alios testis est B. Hieronymus in epist. ad Paulinum presbyterum quæ Biblijs præfigi solet. Sed respicere videtur Niderus ad Academiam, qui locus erat non procul ab Athenis, nomen habens ab Academo heroe, vt Eupolidi placet. Erat autem nemorosus & insalubris, vt referunt historiæ, in quo Plato Philosophari ac docere solitus erat. Ab huius loci nomine omnes vniuersitates in hodiernum vsque diem vocantur Academiæ. Eratq; is locus eo insalubrior, quòd Academia gymnasium esset inferius, superiori gymnasio nomen erat Lyceum.*

CAP. 5. Testatur illa B. Ambrosius in libro de officijs, vbi dicit: Ianua diaboli, &c.) *Vt in margine notaueram, (tametsi malè à typographo in textu positum sit) in Ambrosio non habetur, sed integrè ponitur in epist. Hieronymo asscripta ad*

Oceanum de vita clericorum to. 4. editionis Erasmi. Et pars quadam horum verborum citatur ex Hieron. apud Grat. dist. 32. cap. 17. Hospitiolum. Robertus Holcot Nidero coætaneus lect. 128. in lib. Sapientia eadem citat. ex lib. 1. Ambrosii de officijs, quo libro cap. 20. docet commercia feminarum clericis esse vitanda, sed horum verborum nihil habetur.

Post hos dies, conceptionis scilicet, occultauit se Elizabeth mensibus quinque.) *Ita restitui iuxta textum euangelij, cùm omnia exemplaria haberent, mensibus duobus.*

Sic mater sancti Gadinundi Cantuariensis archiepiscopi.) *b. legit Gadiundi, sed etiam malè, neque talis quisquam reperitur in catalogo illius sedis Archiepiscoporum, nec in Romano Martyrologio, aut Vsuardi per Molanum restituti. Est itaque legendum Eadmundi. Facilis est error in proprijs nominibus & præcipuè in scribendo maiusculum G. pro E. Est porrò hic Eadmũdus siue Edmundus 44. in serie Archiepiscoporum Cantuariensium. Obijt circa annum 1246, in numerum Sanctorum relatus ab Innocentio 4. festum eius colitur 16. Nouembris, vbi Molanus & Baronius annotarunt vitæ scriptores, è quibus haud dubiè sumptum est quod de parentibus eiusdem sancti hic refert Niderus, & inter alios nominatim habet illud Vincentius loco infra notato. Nomen matris erat Mabilia, patris Eduuoardus*

Parimodo beatæ memoriæ Maria de Oegnies) *Sic emendatum pro Argines. Vincentius quem infra citat, legit eo modo quo emendauimus. De hac. b. Maria de Oegnies siue Oingnies latè S. Antoninus part. 3. hist. tit. 19. cap. 12. per totum. Item Molanus in Nat. SS. Belgij 23. Iunij. Eius vitam duobus libris scripsit Iacobus Vitriacus Cardinalis, & tertium adiecit Thomas Cantipratensis, qui & de ea præclarum refert exemplum lib. 1. exempl. siue apum cap. 9. par. 8.*

Et

Et teste B. Hieronymo, Melania Romana nobilissima, in anno ætatis 13. viro tradita, cũ eodem 7. annis vixit, & eidem 20. annis renunciauit.) *Sermo est de Melania iuniore quæ fuit neptis senioris. Hieronymus eius cum laude meminit epist. 25. quæ est ad Paulam de obitu Blesillæ, vbi non attingit eam quam auctor narrat historiam, sed tantum de eius loquitur nobilitate, ad quam solùm probandam meminit Hieronymi: Sancta Melania, inquit, nostri temporis inter Christianos vera nobilitas, &c. Eiusdem honorificè meminit in epist. ad Asellam quæ est 99. De seniore loquitur idem Hieron. tacito nomine in epist. ad Ctesiphontem, sed cum reprehensione. Historiam autem quam narrat, ex Vincentio accepit loco paulò post citando, vbi expressè vocat iuniorem Melaniam. Non imparis virtutis aut laudis fuit aliquando Melania senior, sed postea Origenis fuligine præclarissima opera obscurauit. De iuniore agit Rom Martyrologium die vltimò Decembris, & ibidem Baronius, qui latius de tota eius progenie agit in suis Annalibus in fine anni 408. & anno sequenti existimat etiã seniorem resipuisse. De iuniore item Palladius in hist. Lausiaca c. 119. de seniore autẽ duobus capitibus præcedentibus. Quod habet Nider:* & eidem viginti annis renunciauit, *quomodo ad longum habent exemplaria, legendum videtur 20. anno, scilicet ætatis, vt ex Palladio & Vincentio potest colligi.*

Quæ exempla omnia latè describit Vincentius in suo historiali speculo.) *De S. Nicolai parentibus lib. 14 c. 67. de S. Eadmundi parentibus lib. 32. c. 67. de B. Maria Ogniacensi lib 31. c. 16. & 17. De Melania Romana lib. 18. c. 92.*

In collat. abbatis Nesterotis) *Ita correxi ex originali. Duo antiquiora exemplaria legebant Nesteronis, duo posteriora solùm habent abbatis Nesto.*

Sancta Radegundis nupta Imp. Lothario.)

De ea Rom. Martyrologij & Vsuardi 13. Augusti, vbi videantur in notis Baronij & Molani vitæ scriptores.

De S. Henrico Imp. & vxore ipsius Cunegunde ibidem 14. Iulij & 3. Martij. Septem exemplis coniugij virginalis quæ Niderus recenset, adde S. Edildridæ vxoris Egfridi regis Anglorum, de qua Beda lib. 4 hist. Anglor. c. 19.

Quietus ad audiendum alia properabis.) *Fortè legendum properabo, vel certè pro audiendum esset leg. narrandum.*

Cur secundum modum castimoniæ præfers primo.) *Videat lector ex sequentibus, an non legendum tertium modum pro secundo, cùm semper castum manere id accidat in tertio modo. Hoc autem quod dicit auctor quendam de se dixisse, sibi esse facilius semper castitatem seruare, quàm in matrimonio reddere debitum vel exigere dumtaxat conceptus tempore, id est, dum proles concipi posset, multi etiam fatebantur ætate Augustini, vt scribit ipse lib. de bono coniugali cap. 13.*

CAP. 6. Saltem multi sunt, vel quidam, de quibus præmisi, vt in libro legimus experientiæ) *Non videtur significari aliquis liber conscriptus, sed sensus esse, vt experientia cognoscimus. Sicut S. Dominicus (vt est in vitis Prædicatorum mss. per Fr. Gerardum Lemouicensem) non aliquem librum chartaceum denotabat, cùm interrogatus in quo libro maximè studuisset, respondit: in libro charitatis. Bernardus sermonem tertium super Cantica sic incipit: Hodie legimus in libro experientiæ, Conuertimini ad vosipsos & attendat vnusquisque conscientiam suam super his quæ dicenda sunt. Guillelmus Parisiensis verum librum significare videtur cap. 21. & 23. postremæ partis totius operis de vniuerso, vbi semel iterumq; meminit libri experimentorum.*

Fridericus de Vssas de Franconia Orientali genitus nobili ex genere, qui dudum factus.

Mem-

Membambergensis ecclesiæ canonicus, &c.) *Sic omnia exemplaria præter b. quod legit Bambergensis, quod visitatius est. Nota autem Babenbergam siue Bambergam (nam eadem sunt, vt constat ex Sebastiano Munstero in Cosmographia lib. 3.) esse ciuitatem Franconiæ Orientalis supra Nurenbergam. Agit de ea dictus Munsterus tractans de Vvirceburgo, & Saxonibus in Franciam Orientalem deportatis, vbi sic scribit ex Frisao. Præcipuus locus illorum Babenberg erat, quem sua lingua Papenberg, id est, Pfaffenberg ideo vocarunt, quòd frequẽtior hîc numerus cleri erat quàm alibi. Hæc Frisaus. Pape autem, aut Pfaff Germanica lingua sacerdotem significat. Gotfridus Viterbiensis, qui in ea ciuitate prima Grammaticæ rudimenta didicit, in suo chronico par. 17. Babenberg montem pauonis interpretatur, & de ea multa scribit præclara. De eadem ciuitate Babenberga, vbi suprà, post aliquot capita latius agit Munsterus. In ea anno Christi 1006. Sanctus Henricus Imperat. cuius est ante facta mentio, cathedralem ecclesiam erexit atque dotauit, Subiecta fuit Archiepiscopo Moguntino, sed mox exempta per Clementem 2. qui ante Babenbergensis secundus fuerat Episcopus. Hæc idcirco, quia in his libris frequentissimè illius diœcesis est mentio.*

Fuit pridem in Vvormaciensi diœcesi (tempore quo fui iunior) quidã Episcopus Eckardus nomine.) *Recensetur is in catalogo Antonij Democharis 57. illius sedis Episcopus, & de eo sic habet: Ecchardus, nobilis à Dersch eligitur à capitulo 1377. Præfuit annis 28. obijt die 14. Maij anno 1405. sepelitur honorificè inter duos alios Episcopos ante pulpitum ecclesiæ. Ita ille.*

CAP. 7. Non omnino frustra celebrata fuerunt duo ista Concilia) *scilicet Constantiense & Basiliense. In his ea sola robur habent authoritatis*

quæ à Martino 5. vel Nicolao 5. approbata fuere.

Dominum Nicolaum sanctę crucis legatum in Francia.) *Hic Nicolaus Cardinalis sanctæ crucis subscripsit vnioni Græcorum in Concilio Florent. Vide apparatum Ioannis de Turrecremata super decreto eiusdem vnionis. Eidem subscripsit qui hîc paulò post nominatur Iulianus Card. tit. S. Sabinæ. Nam illum intelligi patet ex Nidero lib. 4 c. 9. Vbi eius præclarè meminit. De Nicolao autem S. Antoninus in hist. par. 3. tit. 22. cap 9. § 7. De Iuliano Æneas Syluius in gestis Concilij Basiliensis, & alibi frequenter, Ioānes Nauclerus in sua chronogra. generat. 48. & Cochlæus lib. 6 Historia Hussitarum, eratq; hic legatus præsidens in concilio Basiliensi.*

Scio prętereà vnum ordinem inter mendicantium ordines cui deus iam ante decēnium prouidit de duobus bonis & beneuolentissimis capitibus, quorum vnus Generalis magister est totius sui ordinis.) *Est plusquam verisimile auctorem loqui de suo ordine Prædicatorum, sed ex humilitate reticere, maximè quia adhuc viuebant illi de quibus loquitur. Et quidem, vt ex ratione temporis colligere licet quo hæc scripta sunt, id est anno 1437. sermo est de Bartholomæo Texerio ex Gallia Narbonensi generali magistro 26. de quo Leander lib. 1. de viris illust. ord. Prædicatorum. Hic enim creatus est generalis magister anno 1426. & vir fuit, vt scribit idem Leander, sanctissimus, & ordinis collapsi instaurator assiduus. Habet de eo similia Antonius Senensis in chronico Prædic. 1420. Obijt 1449 Hæc verò scripta esse anno iam dicto sic ostenditur, quia Concilium Basiliense cœpit anno 1431. & vt hoc cap. bis asserit, durauerat iam sex annis dum hæc scriberet. Finitum verò est demum anno 1442. vel vt alij scribunt 1448. Idem ferè tempus colligi potest ex c. 8. lib. 3. vbi aliquid narrat paulò ante Concilium Basil. contigisse, & posteà dicit octo annos præterijsse. Vide infra annotationem ad c. 9 lib.*

9.lib.4.Coniectura de prædicto Generali confirmatur ex ipso auctore lib.4.c.6 Vbi magistrum ordinis sui generalem nominat eundem Bartholomæum Texerij, & ex eo, quòd in prologo propter cænodoxiæ seu inanis gloriæ periculum se dicat interdum nomina celare. Subdit author.

Alius verò prouinciam vnam grandem habet regere.) *Hic fortè est Conrardus de Prussia quem vocat primum reformatorem sui ordinis in Teuthonia, & virum omni laude dignũ lib.3.c.1.& lib.4.c.3. Quanta autem modestia de suis loquatur, videre est in fine libri tertij.*

CAP. 8. Vias non occultas & rectas.) *Sic omnia exemplaria, sed in antiquissimo pro (non) legendum esse (verò) calamo notatum est, & rectè, vt etiam probatur ex initio cap.10.infra.*

Irregularitatis pœna sese sic illaqueant, anathematis ecclesiastici causam non vitant.) *Canones per quos tales sunt irregulares & excommunicati in margine adnotaui, extra de ætate cap Ad aures; & de homicid. voluntario c.Tua nos. De præcipua materia huius capituli contra monachos aut sacerdotes Medicinam exercentes, quatenus id liceat vel non liceat, & quando incurratur irregularitas vel non, præter loca iuris iam citata vide c.Sententiã sanguinis, extra ne cler.vel monachi. De eadem re Siluester verbo homicidium 2. q. 12. Couaruuias in Clement. Si furiosus in 2. parte relectionis § 4. Nauar.enchir.c.27.n.222. & alij casuum conscientiæ doctores, Molanus lib.2. de Canonicis c. 28. Baronius to.6 annalium anno 444.in fine, & in additione ad calcem illius tomi apposita.*

CAP. 9. De exercitatione corporis per dura exercitia de qua hoc capit. quinque exempla proferuntur, habet alia nonnulla Thomas Cantiprat.lib. 1. exempl. siue Apum cap. 23. & Marcus Marulus lib.3. dictorum factorum-

ctorumq; memorabilium c. 9. & 10. & lib 4. c. 1. & 2.

Et tamen in his tanta præditum lætitia.) *Peculiare est quod de S. Guillelmo Archiepiscopo Bituricensi scribitur in additione Coloniensi anni 1521. ad Vsuardum 10. Ianuarij, quòd semper fuerit hilaris atque iocundus, quod quibusdam displicebat austeris.*

Noui in nostra prouincia de Nurenbergensi conuentu fratrem alium) *Nomen ei Ioannes, vt exprimit author lib 3 cap. 8.*

Ioannes Benedictus postmodum Teruisinus Antistes.) *Emendaui ex verbis paulo post sequentibus, vbi omnia sic legunt, alioqui hic habebatur Euisinus. Meminit huius antistitis S. Antoninus p. 3. hist. tit. 23. c. 11. § 1. & Antonius Senensis in chron. Prædic. anno 1320. Est autem Teruisium vel Taruisium oppidum ditionis Venetæ, Italicè Triuisi, Latinè Taurisium à Tauriscis conditum, vt habet nomenclator Adriani Iunij. Munsterus in Cosmographia lib. 2. de Italia Teruisiam appellat, dicitq; Venetorum ditionem, quæ olim vocata fuit Carnia & Canomannia, iam appellari marcham Teruisanam: non dubium ab hoc oppido.*

CAP. 10. Ioannem à nuptijs euocauit.) *Id non esse verisimile, etsi vulgò existimetur, indicaui in notis ad Thomam Cantiprat. lib. 2 c. 29. par. 3.*

A principio Mendicantium ordinum.) *Quas vexationes & persecutiones pertulerint iam inde à sui exordio hi ordines vide eundem Thomam Cantiprat. lib. 2. c. 10. & Thomam Aquinatem opusculo 19. contra impugnantes religionem.*

Recolendæ & sanctæ memoriæ Magister Henricus de Hassia, sacræ paginæ professor, pulchrè deducit in lectura sua super Genesin) *Duos habent huius nominis authores Tritheminus, Sixtus Senensis lib. 4. bibliotheca sancta, epitome Gesneri, & alij. Prior appellatur Henricus de Langenstein dictus de Hassia: alter*

alter Henricus de Hassia iunior ord. Cartibusiensis, & vterque scripsit in Genesin, & claruit eodem ferè tempore, videlicet 1400. Sed de priori hic sermo videtur esse, de quo sic legitur in Orthodoxographis editis Basileæ 1555. in recensione authorum numero 66. Henrichus Langenstein de Hassia, Philosophus excellens, canonicus ecclesiæ VVormaciensis, Parisiis & Viennæ Austriæ doctrinæ suæ decora promeruit, &c.] Parisiis enim accitus fuit ad illustrandam Viennensem academiam tunc primum conditam.

Totum passionale quod Lombardica historia dicitur de legendis sanctorum Iacobus de Voragine) *Hanc alij legendam vocãt auream, alij plumbeam, de qua dicit Melchior Canus lib. 11. locorum Theol. cap. 6. hanc homo scripsit ferrei oris, plumbei cordis, animi certè parum seueri & prudentis] fuit autem Iacobus hic de Voragine Episcopus Genuensis. Trithemius ait eum sic cognominatum ob creberrimas scripturæ allegationes, ex quibus eam quasi totam vorasse videretur. Sed cùm Sixtus Senensis lib. 4. biblioth. sanctæ scribat eum fuisse ortum ex oppido Varaginis, quod in ora maritima Ligurum non longè à Genua situm est, verius videtur eum inde nomen illud traxisse.*

Sileo de omnibus textibus philosophi, quos Henricus Krosbein de Græco transtulit) *Huius nullam inuenio mentionem apud Trithemiũ, Gesnerum, Antonium aut Sixtum Senenses. Tantum lego de nostro Cantipratano in annalibus Boiorum Ioannis Auentini lib. 7. hæc verba: Anno Christi M. CC. LXXI. Hainricus Brabantinus, Dominicanus, rogatu D. Thomæ è Græco in linguam Latinã de verbo ad verbum transfert omnes libros Aristotelis. Albertus vsus est vetere translatione quam Boethianam vocant. Ita ille.*

Petrus Hispanus) *Iste vulgò contemnitur, sed doctus fuit illa ætate, & pontifex Ioannes 21. Mirum tamẽ quod de pa-*

de papatu eius Nider non meminerit, sicut de Petro de Tarantasia. Sed primus hic fuerat ex ord. Prædicatorum in summum pontificem electus, ideo id potius commemorandum putauit.

Astaxanus.) Idem qui Astensis, & Astesanus de Ast. Scripsit summam de casibus conscientiæ lib. 8. Claruit. 1330.

Nicolaus de Lyra.) *Præclarum ei præbet testimonium Sixtus Senensis ord. Prædicat. tum lib. 4. bibliot. tum in fine lib. 3. vbi suum ponit iudicium de diuinæ scripturæ expositoribus, dicens:*

At breuis & facilis non est spernenda tironi
Lyrensis expositio.

Henricus Sedulius in commentario ad vitam S. Francisci c. 3. vbi multa in eius laudem: Nicolaus (inquit) Liranus contemnitur à contemnẽdis, qui calumniari didicerunt, imitari non possunt. Ceterum omnibus excellit quod in Margarita philosophica de eo me legisse memini. Nisi Lira lirasset, nemo doctorum in Bibliam saltasset. De alijs auctoribus tam ex ord. Prædicatorum, quàm Minorum quos hoc capite Niderus recenset, multa abundè passim obuia sunt in ijs qui de scriptoribus Ecclesiasticis tractauerunt ex professo, vt est Trithemius, Antonius Senensis in bibliotheca Prædicatorum, Henricus Vuillot in bibliotheca Franciscanorum, quam inscripsit Athenas orthodoxorum sodalitij Franciscani, & alij. Item de viris precipuis ex eodem ordine latè Sedulius vbi suprà.

Ita in alijs ordinibus excellentes multi extiterunt.) *Operæ pretiũ fecerint Generales cuiusque ordinis si conscribi iusserint singuli catalogum omnium scriptorum ex suo ordine, vt videant moderni hæretici quid vtilitatis ex monachorum & religiosorum scriptis acceperit ecclesia. Fecit id Trithemius in suo ordine, & Petrus Lucius in ordine Carmelitarum. Sed hic multo plures omisit quàm posuit, quos sparsim videre est in Gesneri epitome.*

Magi-

Magiſtri Guidonis ſacræ theologiæ profeſſoris, prioris Zamberati, &c.) *Sic omnia exemplaria, ſed in antiquiſſimo, calamo emẽdatum eſt Chamberaci, vt veriſimile ſit legẽdum eſſe Camberaci, ſiue Cameraci. Et fortè hic ille Guido eſt quem Ant. Senenſis in biblioth. Prædicat. vocat Guidonem Gallicum, quem claruiſſe dicit circa annum 1440.*

CAP. II. Sine teſte ſocio.) *De ea re multa Cantiprat. lib. 2. exemplorum ſiue apum cap. 11.*

Hoc vult Sanctus Doctor.) *Ita per antonomaſiã B. Thomas Aquinas citari ſolet, cùm inter Scholaſticos Doctores Bonauentura necdum eſſet ſanctorum catalogo aſſcriptus, quod factum eſt à Sixto IIII. ante annos centum, & nuper noſtra ætate à Sixto V. præceptum, vt etiam inter eccleſiæ Doctores celebraretur, cum antea ſolum vt Confeſſor coleretur. Circa illud verò quod poſt nonnulla interiecta citatur hoc c. S. Doctor ſuper Iſaiam, & infra lib. 5. c. 9. nota viros doctos rectè cenſere, non eſſe illius opus, ſicut nec ſuper Hieremiam, threnos, & geneſim.*

Hiſtoria pręterea de Abagaro rege authenticata ſcriptis Iuonis Carnotenſis, epiſtola Adriani ad Carolum, & ſententijs Ioannis Damaſceni lib. 4. de imagine gratioſiſsima ſaluatoris.) *An ſit omnino authentica non affirmat Niderus, ſed horum quos citat ſcriptis authenticari, & commentarius ad locum Damaſceni, quem in margine notaui, nonnullos alios ponit qui huius rei meminerunt. Authenticum verò dicitur Latinè authoratum, quod multorum authoritate comprobatum eſt. Baronius quoque in notis ſuis ad Romanum Martyrologium 9. die Nouembris eandem probat hiſtoriam. De eadem latè Henricus Vicus lib. de communione Sanctorum tit. 34. à ſect. 11. vſque ad 20. & Tilmannus Bredenbachius lib. 3. collationũ ſacrarum c. 1. Ioannes tamen Heſſelius in libello de cenſura hiſtor. c. 7. dicit non eſſe credibilem hiſtoriam. Gelaſius*

papa

papa cap. Sancta Romana dist. 15. declarat apocrypham epistolam Iesu ad Agbarum regem. Sed alia ratio epistolæ, alia imaginis. Nam neque hæc epistola, neque ea quæ est Agbari, vel Abgari, siue Abagari ad Iesum ullam facit imaginis mentionem.

Nam ea quę immediatè à Deo manant, secundum Chrysostomum, excellunt alia sui generis, vt in Adam creato & Eua, &c.) *Locus est homil. 21. in Ioannem.*

Quantum eam status suæ prouexerit puritatis, feceritque Iesum humilem hominem.) *Restitui ex orig. eam pro eum, & feceritq́; pro fecitq́;.*

De quibus duobus risibus Seneca lib. de 4. virtutibus dicit: Reprehensibilis est risus, &c. *Nouerit lector eruditus auctorem illius libelli non esse Senecam, sed S. Martinum Episcopum Dumiensem, alias Mandouensem, qui floruit anno Domini 540. cuius nomine extat in bibliotheca SS. Patrum in 2. editione to. 5. in prima edit. to. 3. Testes de hac re præter alios, Trithemius & Boetius Epo, qui integrè edidit hoc opusculũ. Extat post 4 librum Heroicarũ ipsius quæstionum excusum Duaci 1588. De risu autẽ præter locum Basilij in ora libri notatũ agit idem in regulis breuioribus interrog. 31.*

Hinc venerabilis Beda super illud Matt. 16. Tu es Christus filius Dei viui, sic dicit. Si Apostolo Paulo, &c. *vsque ad illud:* in quo scilicet.) *Hæc ferè, etiam secundum verba, habentur in commentario Bedæ super Marcum cap. 8. vbi idem narrat Euangelista. Sed Mat. 16. non aliud habetur ad illa verba, quàm: Viuum Deum appellat exprimens nomen & naturam ad distinctionem falsorum Deorum, de quibus canimus: Os habent & non loquentur, &c.*

CAP. 11. Quam fatigatio præpararetur.) *c. à præpararetur, & correxi fatigatio pro fatiga.*

Circa finem primi capituli.) *Addebatur 24. quod sustuli.*

sustuli.

Noui aliquem militem, Boarum nomine, generosum multum, &c.) *De hoc Boaro nobili equite egregia narrantur alia infrà lib. 2 c 9 & lib. 4. c 3 & 10.*

Noui præterea quandam aliam virginem Adelheydim nomine.) *De eadem agit lib. 2 c. 11.*

Item idem dicit de lapide Albiston lib. suo mineralium, quòd semel accensus multis annis ardet.) *De lapide hoc Asbesto (Sic enim legendum) quod Græcè inextinguibilem significat multa Augustinus lib. 21. de ciuit. Dei cap. 5. 6. & 7. vbi habet & alia valde miranda, quæ tamen sunt naturalia, & ibidem ex Plinio & aliunde Lodouicus Viues. De miris item rebus quæ igne consumptæ non fuerunt agit Baptista Fulgosius lib. 1. factorum dictorumq; memorabilium cap. 6. Rursum de Asbesto Isidorus lib. 16. Originũ c. 4. Adhæc de similibus Guillelmus Parisiensis in opere de Vniuerso parte vlt c. 21. Franciscus à Victoria relect. 12. n. 8. Quòd Adamas rumpatur sanguine hirci habet B. Gregor. par. 3 curæ pastoral. admonit 14.*

Item ponit inde regulam, & plura de corylo.) *Duo posteriora exemplaria omittunt hæc tria verba (inde regulam &) Priora habent reg. apposito puncto, quod non video quid sit aliud quàm regulam.*

IN LIBRVM SECVNDVM.

1

HOC *libro de verisimilibus bonis reuelationibus, tertio autem de falsis & illusorijs agitur. De distinctione verarum visionum à falsis extat tractatus Ioannis Gersonis Cancellarij Paris. par. 1. operum alphabeto 19. Item de visionibus & reuelationibus naturalibus & diuinis scripsit librum Ioan. Benedictus regius doctor & Canonicus Vratislaniẽsis, Bartholomæus Medina in 3. par. D. Thomæ q. 25 ar. 3. ponit quinque conclusiones,*

& 14. regulas ad iudicandum de reuelationibus ex parte personæ. & septem regulas ex parte visionis. Deinde ex S. Vincentio profert aliquot documenta ad eandem rem.

CAP. I In opido Goppingensi) *c. d. vt in margine notaui legunt Geppingensi. In delineatione Germaniæ visitur opidum Geppingen in tractu VVirtenbergensi Iuxta priorem lectionem fortè est ciuitas Imperialis Gottingen.*

Magistrum Vincentium accipito de regno Arragoniæ, &c.) *De S. Vincentio Valentino præter 4. vitæ illius scriptores, quos recenset Ioan. Molanus quinto die Aprilis (quo festiuitas eius recolitur) in annotat. suis ad Martyrol. Vsuardi, qui sūt Petrus Rausanus, Saluius Cassetta, Leander & Flaminius, omnes Nidero posteriores, agunt de eodem sanctissimo viro S. Antoninus par. 3. hist. tit. 23 c. 8. per totum, Appendix ad legendam Iacobi de Voragine, Supplementum ad catalogum Petri de Natalibus. Ioan. Viualdus in opere Regali, vbi de veritate contritionis sub finem. Iacobus Meyerus in annalibus Flandriæ anno 1418. quo obijt, Frater Vincentius Iustinianus ser. Hispanico eiusdem vitā scripsit ex quo multa citat in suo Chronico Prad. Antonius Senen anno 1390. à quo loco vsque ad decadem anni 1420. de eodem sparsim multa interserit. Sunt & varia nuper collecta de eodem in thesauro concionatorū to. 2. Extat denique eius vitæ compendium initio operum illius. Relatus est in Sanctorum numerum à Calixto 3.*

Quam primum habuit à Domino Petro de Luna) *huic obedientiam præstabat Hispania, & Benedictum 13 appellabat.*

Vltra numerum triginta millium Iudæorum & Saracenorum ad gremium duxisse ecclesiæ.) *Pater Thomas Sailly Soc. Iesu in thesauro litaniarum par. 1. feria 6. ita de S. Vincentio: quem aiunt conuertisse 8000. millia Saracenorum, Iudæorum 25000, peccatorum verò 100000.*

CAP.

CAP. 2. Die vna medicus ad eum dixit, &c) *De iudicio medici prædicentis eum moriturum in quo nulla erant mortis indicia simile habet exemplũ Canti. prat. lib 2 cap. 43. par. 5.*

Otto Treuerensis Ecclesiæ Archiepiscopus.) *Is cuius sanctam vitam commemorat est in catalogo electorum Ecclesiastic. Petri Merssei Cratepolij 97. Treuerensis Archiep etsi idem author in catalogo Episcoporum totius orbis eum facit 100. Erat autem Comes à Zegeheim, obijt anno 1420. cum duobus annis præfuisset (vt scribit quoque idem Cratepolius) valde laudabiliter. De schismate autem post eius mortem in ecclesia Treuerensi ex duorum à clero electione meminit rursus auctor noster infrà lib. 5. cap 8. & Cratepolius.*

Nam pene omnes elegerunt vnum qui viro Dei in reformatione plurimum, vt dicitur, restiterat.) *is erat Iacobus Baro à Sirck qui recensetur illius sedis 99. Episcopus.*

Dedit proinde Dominus Apostolicus, & confirmauit in Treuerensem præsulem, Spirensem prius episcopum.) *Hic erat Rabanus ab Helmstad in ordine Spirensium Episcoporum 61. Treuirensium autem 98. Hunc Eugenius 4. diffidente clero misit eis Archiepiscopum. Rexit autem durante discordia annis 9. & anno 1429. vtriusque ecclesiæ Treuirensis scilicet, & Spirensis magistratu se abdicauit, & Spirensem cognato suo, præfato autem Iacobo Baroni à Sirck Treuirensem resignauit, & eodem anno 14. Nouembris è viuis excessit. Auctores sunt Demochares & Cratepolius. Obijt dictus Iacobus 1436.*

Qui nobiles & principes subarratis aucupantur epistolis.) *Exemplaria videntur duas facere dictiones sub arratis, a. b. legit aucupant. Significare vult cum literis etiam pecunias & munera mitti.*

Qui duo obligantur scire testamenta per duo designata mitræ cornua.) *Idem habet Cantiprat. lib. 1.*

CAP. 4. Feminam quandam inuenit dementatam in tantum, vt nocturno tempore se cum Diana & alijs feminis transferri crederet per aëra) *Id credi prohibetur 26. quæst. 5. cap. Episcopi hoc e infrà ab auctore citato. Quòd tamen aliquando (etsi non toties quoties putant) verè & realiter transferantur experientia posteriorum temporum nimis aperta est, adeo vt id negare, ait Siluester Prieras, sit insanire. Videatur de ea re Franciscus à Victoria relect. 12. de arte magica nu. 32. & 33. Iacobus Simancas in catholicis institutionibus tit de lamijs, vbi pro ea sententia citat auctores 16. & doctè respondet ad citatum cap. Episcopi. Idem multis probat Ioan. Bodinus in dæmonomania Maleficorũ l. 2. c. 4. & ibidem cap. sequenti agit de raptu eorum in ecstasi & phantasia tantùm, in fine autem confutationis suæ contra VVierum plurimos quoque citat auctores qui verè transferri asserunt.*

Statimque opere dæmonis somnia de Domina venere.) *Exemplaria omnia per contractionem scribunt dña, vbi legendum Diana postulant præcedentia & sequentia, vt venere verbum sit, non nomen.*

Simile est in legenda B. Germani Antisiodorensis, &c.) *Alia his similia ex Cælio Rhodigino & aliunde refert Franciscus à Victoria vbi suprà n. 4.*

Depositis per idem tribus à summo Pontificio, videlicet Petro de Luna, Gregorio Coriarij, & Ioanne Balthasare de Costa, qui omnes se in suis obedientijs gerebant pro summis Pontificibus) *Petrus de Luna Benedictus 13. dicebatur, cui Gallia & Hispania obediebat. Secundus proprio nomine Angelus de Coriario & nomine Pontificis Greg. 12. Tertius proprio nomine Balthasar de Costa vel Cossa, & nomine pontificis Ioan. 23 Hi in Italia residebant. De his vide auctorem infrà lib. 3. c. 1. & præter alios ipsum Concilium Constantiense, & fratrem Ioannem Laziardum Cælestinum auctorem illius temporis in epitoma vniuersalis historiæ c 268.*

CAP. 5. Rẽ partim poscis quam me tibi tradere est



lem Est & Romæ viâ Appiâ, in perpetuam illius rei memoriam oratorium dictum, Domine quo vadis? de quo M. Attilius Serranus in libro de septem vrbis ecclesiis.

Dudum hęc determinata est quæstio per M. dist. viij secundi, & per B. Augustinum lib. 3 cap 26. de Trinitate.) *Restitui M. (quod antiquitus eodem ferè modo scribitur) pro IX. Quod citat ex cap. 26 Augustini, id habetur, vt libri nunc sunt distincti, cap. 11. quod est vltimum libri 3. de Trinitate.*

CAP. 7. Nomen eius fuit.) *Hæc tria verba habent a. b. Verùm ipsum nomen omissum est, ideo posteriores editionis etiam ista verba omiserunt.*

Vt viso Christi Sacramento, sic credendo saltem manducaret, &c.) *Fieri solet in quibusdam ecclesiis, vt quando sumere non possunt ægroti, eis adferatur V. Sacramentum, vt videant & adorent, atque sic faciendum præcipitur in Pastorali Tornacensi tit. de Sacramento Eucharistiæ, & simile habet nouum pastorale Mechliniense eodem tit. Verùm id vetitum est per bullam Pij V. & habetur idem in responsis Congregationis Cardinalium qui deputati sunt ad examen dubiorum quæ circa Concilium Trid. exoriuntur.*

CAP. 8. In ciuitate Columbariensi, Basileensis diœcesis.) *Istius ciuitatis frequentissimè facit mentionem. vt huius libri c. 1. & vlt. lib. 3. c. 8. vbi vocat ciuitatem Columbarum. lib. 4. c. 4 & 8 lib. 5. c. 1. Eandem autem esse cum Colmaria, quæ sita est inter Basileam & Argentinam in medio Alsatiæ, didici ex thesauro geographico Abrahami Ortelij qui sic habet: Columbariam vocat VVitickindus Colmar Germaniæ vrbem] Trithemius eum VVindichinum nominat. Claruit anno 950. Per contractionem verò ex Columbaria factum est Colmaria. Agit de ea Munsterus lib. 3. Cosmographiæ. Extant item in tomo illustrium Germaniæ historicorum edito per Christianum Vrstisium Basileensem annales Dominicanorum Colmariensium, in quibus vix aliter quàm*

Columbaria nominatur.

Porrò ante modicos annos, quando crux prædicabatur contra Hussitas, &c.) *Contra eos prædicata fuit sub annum 1421. vt patet ex Ioanne Cochlæo lib. 5 hist. Hussitarum, & Bulla Martini V. quæ illo anno data est: Extat autem apud eundẽ Cochlæum l. 9 hist. Hussitarum.*

Habuit eodem tempore hæreticorum secta capitaneum insignem audaci malitia, Zischa nomine) *De hoc Capitaneo Bohemorum hæreticorum Ioãne Zischa referta sunt historiæ. Orbatus fuit tãdem vtroque oculo, & nihilominus dexterrimè pugnabat. Testamento iussisse fertur, vt ex pelle sua tympanum conficeretur, quo pulsato dicebat hostes in fugam vertendos. Scribit hoc Æneas Siluius, qui est Pius papa 2. in hist. Bohemica cap. 62. Agunt de illo, præter eos qui ex professo Bohemicam, aut Hussitarum scripserunt historiam, (vt iam dictus Æneas, Ioannes Cochlæus, Ioan. Dubrauius, Ioan. Nauclerus generat. 48. anno Domini 1419.) agunt inquam Bernardus Luxemburgus, & Gabriel Prateolus de vitis hæreticorum, Baptista Fulgosius, & Andreas Eborensis in suis exemplis tit de fortitudine, & tit de fiducia sui, Michael Colmariensis lib. de ecclesia pag. 190. &c.*

Circa Iglauiam incenderent.) *Æneas Syluius in hist. Bohemica cap. 1. & 51. ac Nauclerus generat. 48. Iglariam vocat, estq; in limitibus regni Bohemiæ ciuitas.*

CAP. 9. Est præterea in ciuitate Basileensi minori Constantiensis diœcesis.) *Maior Basilea à minori Rheno interfluente separatur, alioqui non nisi vna est ciuitas, & nunc minor Basilea subest Basileensi episcopo. Vide Sebast. Munsterũ in sua Cosmographia lib. 3. in descriptione Basileæ. Minoris Basileæ rursus meminit author infrà lib. 2. c. 2.*

Circa exemplum de adultera, cuius gratiosa species in horridam conuersa est, quæ tamen per sacramentum pœnitentiæ pristinum vultus decorem recuperauit, vide simile exemplum, sed multò terribilius, in Thoma Cantiprat.

prat. lib 2. c. 30. par. 40. de adultero qui vultum dæmonis habebat.

A sancto Petro ordinis eiusdem, cognomine Monoculo, interrogasse) *Restitui interrogasse pro interrogatum esse. Nam, vt constat ex Vincentio, quem citat Niderus, ipse Petrus Monoculus abbas Claraeuallēsis interrogatus ab alio quodam abbate sibi familiari, hæc de sua persona respondit.*

C A P. 10. Concorditer satis dicunt nostri sacrorum apicum scrutatores, quòd castitatem quis, si aliter nequit, sicut vitam suo modo defendere potest) *id est cum moderamine inculpatæ tutelæ etiam inuasorem occidendo. Sacrorum autem apicum scrutatores, siue sacræ paginæ doctores qui id docēt, inter alios sunt Thomas Cantipratanus lib 2. c. 30 par. 51. & quicūq; docent sic licitū esse aliū occidere pro tuēdis rebus externis, cùm castitas sit potior illis. Licere autem pro conseruandis rebus exterioribus docet Nauar in enchir c. 15 n 2. citās S. Antoninū, Siluestrum, & Caietanū, quod tamē satis laxum est.*

C A P. 11. Tā vicina in anima & corpore sunt sibi mutuo ventris ingluuies & luxuria, quàm propinqua sunt ad inuicē mēbra corporis dictis vitijs deseruientia, vt B. Hieron. in quodam ser. affirmat) *Habet istud Hieron. in epist ad Amādum, & Aug ser. 65 de tempore.*

Et concupitus concupiscentiæ ne apprehendant me) *Ita omnia exemplaria, sed legendum concubitus ex textu scripturæ quàm citat.*

Cocorum princeps muros Ierusalem deijcit) *Restitui ex orig. & ipsa scriptura Ierusalem pro Israel. Citatur enim nō semel à B. Gregorio his verbis locus 4 Reg. c. 25. & Hierem. c. 52 secundùm 70. Cuius loco nos habemus, Nabuzardan destruxit muros Hierusalem.*

Ad nos, qui castitatē professi sumus, nō multum attinet de corporali pulchritudine disputare, quę in spiritualibus viris & feminis nonnunquam vituperatur potius quàm laudatur à B. Hieronymo.) *Locus non*

non occurrit. Prior pars huius sententiæ conformis est doctrinæ eiusdem Hieronymi in epist. ad Nepotianum de vita clericorum & sacerdotum, in qua sub finem inter alia dicit. Nunquam de formis mulierum disputes. Quod inter Canones relatum est dist. 32. c. Hospitiolum. Scripsit ætate auctoris Ioan. Gerson Cancellarius Paris. carmen contra pulchritudinem corporis. Extat par. 2. operum ipsius alphabeto 38. in fine.

Alanus in de planctu naturæ.) *Hunc librum quidam attribuunt Alano Siculo Poetæ, & claro oratori. Verùm eius auctorem esse Alanum ab Insulis seu Insulensem testis est Robertus Holkot in c. 10. lib. Sapientiæ lect. 129. & vocat Alanum magnum de Insulis, doctorem Theologiæ famosum. Hic enim propter omnigenam rerum omnium eruditionem Doctoris Vniuersalis nomen promeruit. Est autem liber iste de planctu naturæ cõscriptus partim carmine, partim soluta oratione contra Sodomiæ vitium. Claruit auctor anno 1300. Agunt de eo Henricus à Gandauo de viris illustribus cap. 21. Trithemius, Sixtus Senensis lib. 4. bibliotheca sancta, & epitome Gesneri.*

Ergastulantur in carcere.) *Sic reposui, cùm primum exemplar legeret ergasculantur, reliqua ergasculantur. Verbum formatum ab ergastulo, vt sit idem quòd in ergastulo coarctari.*

CAP. 12. Signa prædestinationis in bene specificatis.) *De signis prædestinationis & cognitione electorum à reprobis prolixum scripsit tractatum Ioannes Viualdus ord. Prædicat. in libro cui titulus Opus regale.*

Adhuc tamen facta illius (supremi scilicet iudicis) quàm subtiliter iudicantur ignorat.) *Non est assecutus auctor mentem Gregorij. Nam (illius) non refertur ad iudicem, sed (illius) ponitur pro sua, vt sensus sit, facta propria quàm subtiliter iudicantur ignorat. Rectius itaq; omitterentur tria illa verba ab authore inserta verbis Gregorij, supremi scilicet iudicis.*

Qui

Qui ſenem ter ridere videntes.) *Exempla aliquot de iis qui in morte riſerunt narrat Cantipratanus lib. 2. cap. 50.*

Dixitque ad fratrē Ioannem VVolffhardi, quem vtpote deuotum virum in confeſſorem ſpecialem præelegerat.) *Erat is ord. Prædicatorum conuentus Columbarienſis, de quo rurſus infra lib. 4. c. 4.*

IN LIBRVM TERTIVM.

CAP. I. Nam ab Archidiacono Barcinonenſi didici, domino Ioanne, iure diuino & humano multum notabili.) *Hic eſt Ioannes de Polomar, de quo vide annot. ad cap 7. huius libri.*

Fuit in ciuitate Bernenſi Fratricellus quidam) *Bernæ ciuitatis frequenter meminit lib. vlt. Eſt autem nunc ex cantonibus ſeu partibus Heluetiæ vna. De Fratricellis hæreticis (qui iidem ferè ſunt cum Beghardis, vt ex ſequenti cap. patet, & cum Lollardis, vt conſtat ex c. 6) agit Clementina Ad noſtrum, de hæreticis & extrauagans Ioan. 22. Sancta Romana. Vbi eorum errores recenſentur. Item de iiſdem agunt qui ex profeſſo de hæreticis ſcripſerunt, vt Bernardus de Luxemburgo, Alphonſus à Caſtro, Gabriel Prateolus, & alij.*

Venerabilis fratris Heinrici Kaltyſeñ Profeſſoris ſacræ paginæ noſtri ordinis, & Inquiſitoris.) *Eiuſdem honorificè meminit infra lib. 5. c 8. Cap. 3 huius tertij l. vocat fratrem Henricū de Confluentia, quia fuit patria Confluentinus. Scribunt de eo Trithemius de ſcriptoribus eccleſiaſticis, Sixtus Senenſis lib 4. bibliot. Antonius Senenſis in chronico anno 1460. & in bibliotheca Prædicatorum. Obijt 1465. In nomine variant nonnihil exemplaria. Duo priora ſcribunt vt poſui Heinrici Kaltyſeñ quod videtur eſſe Kaltyſenſis, vt Latina forma extulerit, quomodo Sixtus Senenſis, vocans Henricum Kaltyſenum. Duo poſteriora ſolum habent Kaltyſen omiſſo*

puncto super n posito tamen ad latus quasi dictio esset imperfecta. Trithemius absolutè Kaltysen. Antonius Senensis Kaltyssem. Infrà lib. 5. c. 8. omnia legunt Kaltyseren.

Circa exēplum de nouitio qui folium caulis, nulla præmissa benedictione comedens, dæmonem deglutiuit, nota esse simile lib. 1. dialogi B. Gregorij c. 4. quod & infrà ab auctore lib. 5. c. 11. commemoratur.

Vidi insuper aliam quæ in publica prædicatione, alicuius de Christi charitate audita sententia, coram omnibus clamorem quendam in altum extulit) *Simile refert exemplum Cantiprat. lib. 2. cap. 49 par. 2.*

CAP. 2. *Simile exemplum ei quod hoc cap. narratur, de dæmone qui pro famulo seruiuit cuidam nobili, habet Cæsarius Heisterbachcensis lib. 5. c. 36.*

Sunt præterea pauci anni transacti, quòd circa tempora Pisani Concilij me viuente in ordine) *Celebratum illud est anno 1409.*

CAP. 3. Sicut legimus 4. Reg. vltimo & 2. Paralip. vlt. Sedechias primò persecutor prophetarum grauissimus, &c.) *Ex lapsu memoriæ malè confundit author ea quæ citatis ab ipso scripturæ locis tribuuntur Manasse & Ioachin, vni tribuens Sedechiæ. Itaque pro Sedechia legendum esset Manasses, de quo tamen nihil 2. Paralip. vlt. Nam oratio illa in Biblijs quæ inscribitur: Oratio Manassæ regis Iuda cùm captus teneretur in Babylone, nec est pars libri Paralip. nec scriptura Canonica. Redijt Manasses in Hierusalem, Sedechias statim exoculatus, sic ductus est in Babylonem, & positus in carcere vsque ad diem mortis, vt habetur Hieremiæ vltimo, non eleuatus à Nabuchodonozore, vt hic dicit Niderus, sed id de Ioachin narrat scriptura 4. Reg. vlt. & Hier. vltimo. Ex dictis etiam, illud constat quod non rectè citat verba orationis Manassæ ex c. vlt 2. Paralip. in quo tamen asti-pulatorem habet B. Thomam in summa par. 3. q. 84 ar. 5. & ibidem ar. 10. in corp.*

Sunt vix nouem anni transacti, &c.) *Iuxta ea quæ annota-*

annotaui ad cap.7.libri 1.hæc quæ narrat facta fuissent sub annum 1428. quo tempore. vt apparet ex ijs quæ hic narrat, adhuc Nurẽbergæ auctor degebat; vbi se Priorem fuisse conuentus sui scribit lib.1.c 1.& lib.4.c.vlt

Vt imperatrix quæ hodie viuit) *Ea erat Barbara uxor Sigismundi Imp. femina inexhaustæ libidinis, vt scribit Æneas Syluius in hist. Bohemica c 53 Inter hæresiarchas eam ponit Gabriel Prateolus in lib. de vitiis hæreticorum.*

Et in hoc seculo secet me, & vrat quàm diu sibi placeat) *Alludit ad illud quod quidam ex August. citant. Hic vre, hic seca, vt in æternum parcas. Simile quid apud eum legitur c.63. lib. de salutaribus documentis, qui non est Augustini. Vrbanus 4. in expositione psalmi 50. ad illud: Amplius laua me, ita habet. Hic vre, hic seca, hic fiat expiatio mei.*

Cum secundo clandestinè etiam contraxerat) *Propter has & similes inextricabiles perplexitates quæ ex clãdestinis matrimonijs oriebantur, iustissimè ea prorsus irrita reddidit synodus Trident. sess. 24. in decreto de reformat. Matri. cap 1.*

Sanctæ memoriæ abbas sancti Ægidij beati Benedicti ordinis, magister Henricus, &c.) *Hic est Henricus Gulpen, de quo Tritbemius in lib. de scriptoribus ecclesiast. præclarè meminit.*

Refert enim sanctus Heraclites, &c.) *Sic õnia hic legunt exemplaria. Alij vocant Heraclidẽ, quo modo omnia legunt infrà lib. 5. cap. 6. Vbi nota librũ quẽ vocat Paradisum Heraclidis eundem esse cum Palladij historia Lausiaca, quia ad Lausum præfectum scripta, quæ ante ætatem nostram Heraclidi monacho siue eremitæ fuit asscripta, & sub eius nomine in lucem prodijt, eiq; Trith. asscribit. Extat in historia Christiana Patrum per Renatũ de la Barre in lucem emissa, & to.7. bibliot. Patrum. Porrò historiam huius Corinthiæ virginis quam recẽset authora & aliarum quæ mira arte pudicitiam seruarunt recẽset Nicephorus lib.7.cap.13. & Suidas de Hypatia.*

CAP.

CAP. 4. Philomena dicta à philos & menos, quod dulce sonat, quia amat cantus dulces.) *Omnino ex Græco constat dicendum philomela, φιλομήλα. Sed non mutaui propter deriuationes quas adfert, & quia ita credo scripsisse Albertum magnum quem citat. Rectè à μέλος deriuabitur, quod cantum, carmen, modulationem & cantilenam significat: Latinè auis eadem luscinia dicitur.*

De B. Ioanne Chrysostomo, & de quibusdam alijs sanctis, qui, sicuti dicit scriptura, satis inuexerunt cōtra feminas.) *Inuexerunt dicit, pro inuecti sunt. Intelligit verò præter alia quæ apud Chrysostomum sunt homiliam in c. 19. Mat. in opere imperfecto (quod tamen opus illius non est) & ex eo citat verba infra lib. 4. cap 1. & lib. 5. c. 8. vbi plura de hac materia annotabimus. Item homil. 14. & 16. è varijs in Mat. locis. De concione autem qua Chrysostomus omnes mulieres acerbè exagitauit Socrates lib. 6. hist. eccle. c. 14. Sozomen. lib. 8. c. 16. Niceph. lib. 13. c. 14.*

Et de quibusdam alijs sanctis, qui sicuti dicit scriptura, &c.) *In sacra scriptura maximè Salomon & Iesus filius Syrach auctor Ecclesiastici in feminas inuehuntur. At non videtur Niderus diuinam scripturam intelligere, vnde nec addit epitheton sacram, vt paulò antè, & iterum paulò post, sed scripta Patrum, quæ aliquando etiam sacra scriptura appellantur. Loca annotaui ad Cantiprat. lib. 3. cap. 1 par. 14. Sic S. Berengosius abbas lib. 1. de inuentione & laude sanctæ crucis cap. 2. Martyrologium vocat scripturam diuinam. Et Duaci in æde sacra S. Petri in sacello pastoris est lamina ænea continens fundationem instar publici instrumenti posita anno 1440. quæ sic incipit: Iuxta sacræ scripturæ testimonium quod loquimur transit, quæ scribimus manent.*

Vt in libris Sapientialibus.) *Vide suprà annot. ad c. 3. lib. 2. Quia hoc capite pluribus rationibus ostendit peri-*

periculum quod viris imminet ex conuersatione mulierum, de eodem notanda est hæc Bernardi sententia ser. 65 super Cantica: Cum fœmina semper esse & non cognoscere fœminam plus est quàm mortuũ suscitare. Scripsit eadem de re librum Matthias Bossemius Cancellarius Duacensis, & alterum sermone Gallico Matthæus Lambertus Prior Alnensis.

CAP. 5. Quid autem sit formicaleon seu myrmicoleon.) *Vbique correxi orthographiam ex Græco & orig. B. Gregorij, alioqui auctor scribebat vbique mirmicaleon, cùm Græcè dicatur μυρμηκολέων, id est Leo Formicarius. Paruum est animal quod formicis insidiatur μύρμηξ Græcis formica est. Formicaleonis naturam præter locum Gregorij hic citatum explicat post alios Bartholomæus Anglicus in lib. 18. de rerum proprietatibus c. 52. & Isidorus ex Gregorio lib. 12. originum c. 3. vbi legit formicoleon.*

Meretricem de die intromiserunt.) *Similem calumniam per meretricem structam legimus Euphrati & Vincentio Episcopis per Stephanum Antiochiæ Arrianum Episcopum in Theodorito lib. 2. hist. eccles. c. 9. & Nicephoro lib. 9. c. 23. Quid S. Athanasio contigerit huic non absimile notum est.*

Nec in nequitia pares vidi in libris Augustini, Isidori, aut Guidonis, quorum quemlibet constat latissimè scripsisse de diuersis hæresibus.) *Loquitur de Isidoro Hispalensi, qui de hæreticis satis prolixè scribit lib. 8. originum siue etymologiarum cap. 5. Et habetur 24. q. 3. cap. Quidam autem: & de Guidone Perpiniano Carmelita qui floruit 1330. In obscœnitate vicini fuerunt illis Nicolaitæ, Gnostici, Manichæi, Priscillianistæ, Beghardi & Beghinæ, vt videre est tam in dictis authoribus, quàm in Epiphanio, Philastrio, Theodoreto, Bernardo Luxemburgo, Prateolo, & alijs qui ex professo de hæresibus scripserunt.*

CAP. 6. *In summario siue argumento capitis legen-*

gendum videtur discipulas defloratas, ut ex fine cap. colligitur.

Quo vsque persuasit omni verecundiæ esse abnegandum fœminis) *Idem ferè quidam scriptores Galliæ hodie suis propudiosis scriptis asserere non sunt veriti, docentes non debere dedecori dari innuptæ puellæ, si vterum gestauerit, aut violata sit. Cùm tamen nisi verecundia adsit illi sexui, regi non possit.*

Quod semel in die sacerdos vix dignus est sumere) *Vide decretum Alexãdri 2. cap. 53. Sufficit sacerdoti. de consecrat. dist. 1.*

Coniacebant interea viri talibus complices, &c.) *De simili facto & nullo motu ad libidinem iactabat se Henricus Bochorinck Theologus Louaniensis, qui religionis catholicæ postea factus desertor illicita & incestuosa copula suam sibi iunxit ex confessione filiam. De quo latè Dominus Henricus Cuyckius nunc Reuerendiss. Ruremundensis episc. in epist. parænetica ad eum scripta, & Louanij excusa.*

Nam principales actores huius nequitiæ) *Sic antiqui libri excusi ex mss. semper habent, pro auctores.*

Adamiani enim hæretici dudum descripti à veteribus doctoribus ecclesiæ) *Ita restitui cum omnia exemplaria legerent Adimiani. Nomen autẽ habẽt ab Adamo, cuius nuditatem in Paradiso se imitari dicebant. Scribunt de his Epiphanius heresi 52. August. heresi 31. & alij. Inter recentiores Ioan. Cochlæus in fine lib. 3 hist. Hussitarum, Gabriel Prateolus, qui & nostri sæculi Adamianos, siue Adamitas describit, &c.*

CAP. 7. Coruus enim qui ex arca dimissus est aquis interemptus, numquam reuersus esse ad Noë legitur) *In plerisque Latinis exemplaribus legitur quod nõ sit reuersus. Sed biblia Latina Regia, Hebræa, & Chaldaica, item 6. mss annotata à Louaniensibus, omittunt negationem, & sic legũt reuersum esse. Quænã verior sit lectio videatur copiosè differens vir doctiss. Franciscus Lucas*

Lucas in suis ad illum locum genes. annotationibus. Quod si reuersus non fuerit, non tamen ex eo consequens est aquis fuisse submersum, sed, vt alij dicunt, mansit insidens alicui cadaueri, quod non est cibus columbæ, quæ nec libenter in luto quiescit, ideoq; statim rediit.

Columba prudentior quæ exiuit causa obedientiæ.) *Videtur etiam omnino coruus sic exiuisse. Nam vtraque auis à Noë dimissa legitur.*

Princeps etiam Apostolorum qui perseuerantiæ donum,& scripturæ sacræ notitiam Spiritu sancto inspirante acceperat.) *Loquitur secundum mentem eorum qui existimant Apostolos in gratia confirmatos fuisse in die Pentecostes, iuxta illud psalmi 74. qui canitur in festis Apostolorum: Ego confirmaui columnas eius. Quod tamen certum nequaquam est, imò nec verum esse credo. Nam & Paulus de se timet 1. Cor. 9. v. vlt, & ex sensu mystico non ducitur firmum argumentum.*

In anno ætatis suæ ferè LIII.) *Sic restitui cùm ponerentur solùm quatuor IIII. Sed facilè conijcio literam L. mutatam in I. propter similitudinem in veteri impressura.*

Dominus Ioannes de Polomar Barcinonensis Archidiaconus, &c.) *Huius meminit suprà cum laude hoc eodem lib. cap 1. item cap. 5 & infrà cap. 12. & lib. 4. cap. 6. De eiusdem legatione cum auctore nostro Ioanne Nidero (de qua hîc meminit) à Concilio Basileensi ad Bohemos scribit Æneas Syluius in hist. Bohemica c. 52. & Cochlæus in hist. Hussitarum lib. 6 anno 1432. & annô sequenti. Eiusdẽ Polomarij frequenter toto ferè lib. 7. meminit, vbi & præclaras illius orationes ad Bohemos hæreticos habitas nomine omnium legatorum describit. Erant autem legati decem numero, quorum aliquos recenset infrà auctor c. vlt huius libri. In Trithemio videatur scripta eiusdem Polomarij.*

CAP. 8. Non autem obnitendo.) *Sic reposui ex orig. a.b. obtinendo, c.d obticendo. Ad ea autem quæ ex Augustino citantur pulchra quædam annotauit ijs similia Ludouicus Viues ad illa eiusdem Augustini verba.*

CAP. 9. Sed sanctum dicitur ex eo quod non debet corrumpi, margarita ex eo quod non debet contemni.) *Hoc modo restitui ex orig. cùm solum legeretur. Sed sanctum dicitur ex eo quod non debet contemni.*

Agit hoc cap. de varijs sectis in Bohemia, tres autem vocat principales, videlicet veterum Pragensium, Orphanorum, & Thaboritarum. Priores illi à principali ciuitate Bohemiæ, vel ab Hieronymo Praga VViclefi discipulo nomen habent, & generali nomine Bohemi appellantur. Orphanorum nomen acceperunt ijdem post mortem scelerati ipsorum ducis & Capitanei Ioannis Zischæ, de quo suprà ad cap. 8. lib. 2. Testis Æneas Syl. cap. 48. Thaboritæ à ciuitate à se ædificata quinto à Praga lapide quam Thabor nominauerunt. De his post Æneam Syl. in hist. Bohemica, Ioan. Nauclerum in chronographia generat. 48. Ioannem Dubrauium, & Cochlæum in hist. Hussitarum agunt qui ex professo de hæresibus scripserunt, Bernardus à Luxemburgo, Prateolus, Alfonsus à Castro, & alij. Præter hos erant Orebitæ quorum author Bedricus, de quibus ijdem videantur.

Et quamuis tam diuisi inter se essent, vt præmittitur, tamen quando fideles eos inuadere disponebant, sicut Herodes & Pilatus, statim amici facti sunt.) *Hæretici etsi multipliciter inter se dissentiant, tamen in eo conueniunt omnes, quòd veram Christi ecclesiam oppugnent. Hoc significatum est per trecentas vulpes quarum caudas coniunxit Sampson, & sic immisit in segetes Philistinorum. Iudic. 15. Præter exemplum autem ex euangelio petitum de Herode & Pilato aliud est apud auctores prophanos quod attingit Aristoteles lib. 2. poster. analys. cap. vlt. dicens: Cur amici? quia eiusdem inimici.*

Hoc

Hoc enim referunt ad Cretensium mores, qui cum factionibus & bellis intestinis ferè inter se tumultuarentur, si quando aliunde eos hostis inuasisset, missa contentione, inter se cōciliabantur, ut coniunctis viribus potentius hostem opprimerent. Vnde natum prouerbium: Syncretismus, de quo Plutarchus in commētario Philadelphias, & Erasmus in Adagijs chiliadis prima centuria prima.

Prope Pruxis sub Meysnensium principum dominio) *Ita omnia exemplaria. Si consulamus historias legendum videtur prope Duxam vel Duxas sub Mysenensium siue Misnensium principum dominio. Est enim Duxa non longè à Ponte oppido, iuxta quod feliciter Misnenses pugnauerunt aduersus Hussitas, ut scribit Albertus Krantzius lib. 11. VVandaliæ c. 6. & ex eo refert Cochlæus lib. 5 historiæ Hussitarum anno 1424. quo res accidit. Vtrumque oppidum Duxa & Pons (quod Bohemi Most vocant) in Misnia situm, hodie ad coronam Bohemiæ pertinet. De prælijs autem & victorijs hæreticorum Bohemorum contra catholicos, de quibus hoc etiam cap. Niderus, latè agit Æneas Siluius in hist. Bohemica c. 42. 43. 44. & 48. ac post eum Nauclerus generat. 48. & Cochlæus in opere citato.*

CAP. 10. Non nisi in ecclesia catholica veri martyres sunt.) *Pulchra est Cypriani sententia in lib. de vnitate ecclesiæ: Esse martyr non potest qui in ecclesia nō est. Idipsum pluribus docet Gregorius loco, qui ab auctore citatur, lib. 18. Moral. c. 14.*

Est'ne aliqua hæreticorum secta quæ de auro sacri eloquij nihil curet? videlicet quæ nec vetus, nec nouum testamentum, neque eorundem doctores admittat.) *Olim Carpocratiani, Cerdoniani, Seueriani, & Manichæi totum vetus testamentum reiecerunt, & quasdā partes noui, sicut & postea Albigenses. Alij alios ex vtroque testamento libros. De quibus vide Alphonsum à Castro lib 13. aduersus hæreses, verbo Scriptura sacra. Istis similes hodierni hæretici multos etiam reijciūt Ana-*

baptista autem plerosque non recipiunt, & omnes dicunt esse deprauatos, præsertim euangelia & epistolas.

Illi verò fomenta acriora animæ de Ægyptiorum thesauro philosophico applicantes) *Alluditur ad factum Israëlitarum qui thesauris suis spoliauerunt Ægyptios Exod. 3. & 11. Quod Augustinus lib. 2. de doct Christ. c. 40 mysticè interpretans dicit: Si qua vera & fidei nostræ accommoda Philosophi dixerint, non solùm formidanda non esse, sed ab eis tanquam iniustis possessoribus in vsum nostrum vendicanda.*

Ars multa, vita breuis) *Sententia est Hippocratis sect. 1. aphorismo primo. Vita breuis, ars longa. Ad hanc respicit.*

Petiuit in ordine Paulitarum recipi in monasterio, vbi Deo simpliciter & valde deuotè seruitur in Hungaria, vbi ordo iste in magno est vigore) *De hoc ordine loqui videtur Franciscus Modius in totius cleri Romanæ Ecclesiæ subiecti descriptione, & vocat Paulinos eremicolas, quos alij sub innocentio 3. alij sub Iulio primo anno 1345 ponũt exortos. De eodem ordine Iulianus de Ligne in indice rerum monasticarum sic habet: Ordo S. Pauli primi heremitæ à gentile presbytero instituitur in Hungaria ann. o dñi. 1308. Onuphrius in chronicis.*

CAP. II. Sed etiam hæreses, & talium articuli plurimum commoditatis & fructus afferre solent.) *Præter ea quæ hic ex August. citat auctor de vtilitate quam per Dei prouidentiam consequitur ecclesia ex hæresibus, sunt alia eiusdem Augustini præclara testimonia, vt lib. 7. Confess cap. 19. vbi ait: Improbatio hæreticorum facit eminere quid ecclesia tua sentiat, & quid habeat sana doctrina Item lib. de vera relig. c 8. epist. 105. in fine. lib 2. de peccato orig. c. 22. & apud eum ser. 98. de tempore. Vnde autem sumpta sint priora verba quæ Niderus citat ex glossa 1. Cor. 11. quam dicit esse August. ab eo loco.* Multa quidem *vsque adeo.* Ideoque diuina

uina prouidentia *me latet, nec ibidē glossa habet, neque in August. inueni. Sensus eorū habetur l. 1. de gen. contra Manichæos c. 2. & epist. 105. Prædictis locis adde & hāc Hilarij egregiam sententiam lib. 7. de Trinit. sub initium: Hoc ecclesiæ proprium est, vt tū vincat cùm læditur, tum intelligatur cùm arguitur, tum obtineat cùm deseritur.*

Quinque Christi stigmatorum insignia) *S. c omnia exemp. pro stigmatum, vt infrà legunt. Circa ea quæ de hac Reclusa quæ falsò stigmata Christi receptura vulgabatur, & ijs quæ hoc eodem cap. de S. Francisci stigmatibus referuntur, notādum à quibusdam scribi alios sanctos huiusmodi stigmata accepisse, & cum ijs alicubi pictos fuisse, vt est Catherina Senensis ord. Prædicat. & Apostolus Paulus. De duabus alijs eiusdem ordinis, & fratre Gualtero quibus stigmata passionis feruntur impressa annotat Antonius Senen. in chronico Prædic. immediatè ante annū 1400. Verùm id esse peculiare B. Francisci priuilegium scribit Robertus à Licio in elogijs D. Francisci quæ præmittuntur libro B. Bonauenturæ de vita ipsius per Henricum Sedulium edito. Et ipse Sedulius in commentario eiusdem vitæ ad c. 13. vbi etiam extāt tria Sixti 4. diplomata quibus interdicitur sub pœna excommunicationis, ne, præterquam S. Francisci, vllius sancti aut sanctæ, beati aut beatæ imago cum stigmatibus habeatur absque speciali consensu sedis Apostolicæ. De eadem re Ioan. Molanus lib. 3. de picturis cap. 43. qui in Natal. SS. Belgij 6. Ianuarij scribit ijsdem stigmatibus insignitam fuisse B. Gertrudem ab Oesten Beghinam Delphensem. Quod etiam scribit VVernerus Roleuinck in fasciculo temporum ad annum 1374. Orta autem denuo ab hinc quatuor circiter annis controuersia de imagine S. Catherinæ de Senis, quam cum stigmatibus depingi non debere fratres S. Francisci contendebant, diplomate suo Clemēs 8. anno 1599. 27. Nouemb. cōtrouersiā hāc congregationi sacrorū rituū examinandā & decidendā commisit, cum decreto quòd interim nihil innouaretur.*

Præsertim cùm regere rempub. in prohibito habeant.) *Fœminæ scilicet. Quomodo eis adempta sit suffragiorum authoritas in repub. Atheniensium. vide iucundam narrationem Varronis in Augustino lib. 18. de ciuit. Dei c 9. Quod autem iudices esse non possint patet ex l. cùm prætor. versic. quidam enim. ff. de Iudicijs. Item 3. q. 7. cap. Infamis.*

Et curam animarum omnia iura eis interdicant) *Diuinum 1. Cor. 14. v. 34. 1. Timot. 2. v 12. Ecclesiasticum Concil. Carthag 4. can. 99. & habetur dist. 23. cap. Mulier. Item cap. Noua. extra de pœnit. & remiss. Pro Ciuili sufficiat lex modo allegata. Ex quibus intelligitur quanta absurditate hodie regina Angliæ Elizabeth se dicat, & à suis habeatur supremum caput ecclesiæ.*

Ne ignotum colerent, penitus interdixit) *Scilicet Imperator, idq; conformiter Pontificijs sanctionibus. Ignotum enim aut non canonizatum pro sancto publicè colere, aut reliquias de nouo inuentas, prohibetur ab Alex. 3 & Innocentio 3. in decretalibus tit. de reliquijs & venerat. Sanctorum. Ne autem falsa miracula prædicentur vel incerta, sub pœna anathematis cautum est in Concil. Lateran. sub Leone 10. Et ne quid calumnientur hæretici occasione eorum quæ hoc c. referuntur, illud addo, quòd rursum nouo decreto Concil. Trid. sess. 25. tolli iusserit omnem abusum in sanctorum cultu, & statuerit, vt nulla admittantur noua miracula, neq; nouæ reliquiæ recipiantur, nisi recognoscente & approbante episcopo.*

CAP. 12. Quo ad hoc in regno Bohemiæ sæpedicto, ad literam obscuratum est aurum, mutatus est color optimus, quia lapides sanctuarij, doctores catholici dispersi sunt in capite omnium platearum) *Dici hic potest sensus literalis loci prophetici Thren. 4. sed metaphoricus, non proprius. Vt horum verborum lauare laterem, sensus literalis est frustra laborare, non is quem singula verba efficiunt. Sic ad literam totum Canticum canticorum de Christo & ecclesia, sed sensu metaphoricò,*

non

non autem de Salomone & filia Pharaonis intelligitur. De hoc loco Threnorum vide auctorem suprà lib 1.c. 8. in fine.

Nec vllus tandem ibi repertus mansisse sacræ doctrinæ professor dignoscitur.) *Tota propè vniuersitas Pragensis propter dissidia Bohemorum turmatim (adeò ut vno die sequerentur supra duo millia studiosorum) commigrauit Lipsiam Misniæ ciuitatem anno 1409. & initium dedit Lipsensi academiæ. Testis Æneas Syluius in hist. Bohemica c. 35. Cochlæus lib. 1. de hist. Hussitarum, & alij.*

Cum etiam de metis Bohemiæ à ciuitate egressi venissemus vbi ex parte Basiliensis Concilij hereticis audientiam sibi dari, si venirent, promisimus.) *Incertum an metis nomen sit proprium, an verò appellatiuum. Duo priora exemplaria & Parisiense non nisi minori litera scribunt, Argentinense maiori. Ciuitas autem de qua loquitur Egra esse videtur ex Cochlæo lib. 6. hist. Hussit. in actis anni 1432.*

Exeuntes cum balistis & bombardis manualibus.) *Bombardarum vsus eo tempore recens erat, inuentus à quodam Germano, & Venetis ostensus anno 1380. vt scribit Polydorus Virgil. lib. 2. de rerum inuentoribus c. 11. Inuentorem vocant Bertholdum nigrum, eiusque inuentionis annum scribunt 1378. A Gallis primum agnosci cœpit 1425. teste Arnoldo Pontaco in sua chroneg.*

Fuerunt aliquando in Praga ex parte Basiliensis Concilij transmissi dñi episcopi, Constantiensis prouinciæ Rothomagensis.) *Additur hoc distinctionis causa. Præter hanc enim Constantiam in Gallia, alia est in Germania, etiam episcopalis sedes, in qua celebratum est Concil. Constantiense. Pergit author.*

Episcopus Augustensis, Archidiaconus Barcinonensis, Decanus Turonensis, & multi doctores diuini & humani Iuris cum familia multa.) *Decem prin-*

cipales Oratores siue legati recensentur à Cochlæo in lib. 6. hist. Hussit. his verbis: Oratores autem Cōcilij fuerunt, Philibertus Constantiensis in Normānia episcopus, prouinciæ Rhotomagensis, Petrus Augustensis episcopus, Ioannes Polomarius, iuris pontificij professor. Fridericus Parsberger, Præpositus Ratisponensis. Ægidius Carlerius, Decanus Cameracensis, Alexander Sparur, Iurisconsultus Anglus. Thomas Haselbachius, Theologus Viennensis. Henricus Tockius, canonicus Magdeburgensis Theologus, Martinus Bernerius, Decanus Turonensis, in sacra Theologia Baccalaureus, & Ioannes Gelhusius monachus Mulbrunensis. Sic ille. Est autem dictus Philibertus in catalogo Democharis 61. episc. Constantiensis. Petrus verò nobilis à Schauenberg Ostrofrancus in catalogo Augustanorum est 53. cuius meminit iterū Niderus l. 5. c. 1.

IN LIBRVM QVARTVM.

CAP. 1. Sed vt Gregorius Nazāzenus dicit) *Ita reliqui vt omnia habebant exemplaria, quomodo etiam Suidas profert, Thomas in cathena. S. Antoninus, & alij. Ioachimus item Camerarius Nazanzum vocat oppidum. Communiter profertur Nazianzenus.*

Et vt Theophilus super eodem ait) *Diu quæsiui quis ille Theophilus, anne Alexandrinus, an Antiochenus. Sed re bene examinata legendum est Theophylactus, & citat Niderus vtrumque locum ex cathena aurea D. Thomæ in cap. 2. Lucæ, vbi Theoph. significat Theophylactum non Theophilū. Vnde in catalogo doctorū in opere illo citatorum malè ponitur, (etiā in vltima editione per Antoniū Senēsem correcta) Theophilus pro Theophylacto Bulgariæ Archiepiscopo. Nā hunc intelligi ex collatione, & aliunde didici, atque in margine aduertit Senēsis. Eundem Theoph citat idem Thomas in ser. Dominica 21. post Pentecosten: Spiritualiter inquit & mysticè secundū Theophilum regulus est omnis homo, non solum qui regi vniuersorum propin-*

propinquus existit secundum animam, &c. Quæ verba habentur in Theophylacto ad cap. 4. Ioannis. Excusi sunt hi sermones Coloniæ apud Ioan. Gymnicum 1535. Titulus est: Enarrationes euangeliorum Dominicalium & quadragesimalium per totum annum, ex præcipuis ecclesiæ Christianæ doctoribus per S. Thomam de Aquino diligenter selecta. Vbi in tabula authorum ponitur Theophylactus, & post indicem euangeliorum per singulas Dominicas impressa est talis annotatio: Vbicumque in hoc libro typis excusum fuerit Theophilus, scito legendum esse Theophylactus.

CAP. 2. Beatæ Barbaræ diu seruus extiti, quæ me sine dictis sacramentis, scitote, migrare nō sinit) *Eiusdem rei extat præclarū exēplum Gorcomij in Hollandia factum anno 1448. cuius auctores indicaui ad Thomā Cātip. lib. 2. c. 29. p. 19. vbi similia lector inueniet. Quo etiā loco annotaui quo modo tales promissiones sint intelligēdæ, valde cōformiter ijs quæ in fine huius cap. Niderus subijcit. Præter exempla autem quæ refert hoc cap. alterum habet eodē pertinēs infrà c. 11. de B. Christina.*

Nā Eusebij Cæsariēsis ecclesiastica historia (quàm de Græco in Latinū Hieronymus trāstulit) lib. sexto de sancta Potamiœna) *Fallitur dū Hieronymum dicit transtulisse historiā ecclesiasticā Eusebij, quod fecit Ruffinus, cuius interpretationis verba hic citantur. Hieronymus solummodo Eusebij chronicon transtulit. In sequentibus restitui dictionem Potamiœnam, cùm omnia exemplaria vbique legerēt Potanneam. Ruffini antiqua versio legit Potamiana. Item restitui implere pro impleri, conaretur, pro conarentur, vtrumque ex orig*

Legendam denique beati Onuphrij) *Ita emendaui orthographiā. Duo priora legebant Omfrij posteriora Oinofrij. Vitæ patrū ātiquæ editionis Lugdunēsis legūt Onufrius, recentior editio Onuphrius & Paphnutius. De Paphnutio, qui vitā Onufrij scripsisse hic dicitur, agūt vitæ Patrū par. 1. Cassian⁹ collat. 3. & 18 c. 15. Palladi⁹ in hist.*

Lausia-

Lausiaca c. 62. & 63. De ipso autem Onuphrio martyrol. Rom. 12. Iulij & ibidem pluribus Baronius in suis annotationibus.

Et in hymno ibidem dicitur: Imminēte passione, &c.) *Est hymnus laudum in Breuiario Prædicatorum. Secundum antiquum vsum multarum ecclesiarum idem hymnus canitur ad vesp. vt nominatim in Breuiario S. Donatiani Brugensis. Extat in elucidatorio diuini officij Iudoci Clicthouæi, qui vocat hymnū apprimè dignum & præclarum. Incipit: Pange lingua gloriosæ virginis martyrium. Quod autem hîc citatur sumptum est ex vita ipsius B. Catharinæ.*

Legimus adhuc in legenda de sancto fundatore nostri ordinis Dominico, &c.) *Non quidem verba quæ auctor citat, sed sensum habet Ioan. Garzon Bononiensis qui vitā scripsit B. Dominici. Habetur idipsū in Breuiario Prædicatorum in vltimo responsorio festi B. Dominici. Verba autem quæ citantur, in historiam suam transscripsit B. Antoninus par. 3 tit. 23 c. 4. §. 14. qui est Nidero posterior.*

CAP. 3. Miles in armis vtriusque hominis valde tritus) *id est spiritualibus & corporalibus. Simili dictionis genere vsus est lib. 3. c. 2. vbi dicit: In mortem vtriusque hominis, id est corporis & animæ. Et ibidem c. 11. Dempto vbi necessitas alterius hominis, & hoc lib. 4. c. 11. Orationes quæ de sanitate sonāt vtriusque hominis, & lib. 5. c. 9. & 10. bis terue. Estq; ea sumpta ex Paulinis epistolis qui loquitur modo de interiori homine, modo de exteriori, vt 2. Cor. 4. Qui foris est noster homo, & alibi similiter.*

Vbi blasphemare adeo fuit cōsuetum) *De blasphemia punita à Deo multa refert exempla Martinus Alphonsus Viualdus par. 3. Candelabri aurei cap. 19. n. 46.*

Fratrem Cōrardum de Prussia nostri ordinis primum reformatorem in Theutonia, virum omni laude dignum) *De hoc & suprà lib. 3. c. 1. & Antonius Senensis*

nensis in chronico Prædicat. anno 1410. in ordine Apostolorum his verbis: Frater Conrardus de Grossis ex Prussia oriundus vir vitæ commendabilis claret, qui est concionator optimus, & præcipuus in Germania nostri ordinis institutionum & cæremoniarum instaurator, & propterea multa perpessus est: & ideo Apostolorum ordinis collegio ritè annumerabitur. Obijt autem ille anno 1416. Sic ibi. Eiusdem meminit in sede Euangelistarum 1420.

CAP. 4. Decanus de Isni Constantiensis diœcesis) *Hæc est ciuitas Imperialis Algoiæ Ysna, quomodo fortè legendum, a. b. Ysni. De ea Munsterus lib. 3. de Germania, & scribit Yssna. Nomē habere dicit ab amne Ysne præterfluēte. De eodem Decano Isniensi, cui nomen Ioannes, infrà c. 8. & de oppido Isnensi suprà lib. 1. c. vlt.*

Vocatus est confessor nostræ portę in Columbaria Frater Petrus) *De eodem, vt apparet, suprà habes exemplum lib 2. cap. vlt.*

CAP. 5. Prope metas Constantiensis diœcesis versus Athesim) *Athesis est fluuius cuius origo non procul ab Alpibus, vel significatur ciuitas Tirolis, quæ etiam Athesis & Etschland appellatur, teste Ioan. Hontero lib. 2. rudimētorum Cosmographiæ, vbi aliquot exprimit nomina locorum, & gentium quæ secundum diuersitatem linguarum ac vicissitudines temporum varia sortita sunt nomina, vt Germania, Alemania, Theutonia: Athesis, Tirolis, Etschland. Noricum, Norimberga, &c.*

In oppidum Imperiale quod Campidona dicitur) *Germanicè Kampten, vulgo Kempten de cuius antiquitate & varijs nominibus latè Munsterus lib. 3. Cosmographiæ.*

Timebat, sicut pia mens solebat facere, ne culpa ibi esset, vbi meritum grande extitit) *Alludit ad sententiam B. Gregorij in responsione ad interrogationes Augustini Anglorum episcopi cap. 10. Bonarum mentium est, etiam ibi aliquo modo culpas suas agnoscere, vbi culpa non est.*

CAP. 6.

CAP. 6. Magistro ordinis nostri generali Bartholomæo Texerij) *de eo annotaui ad cap. 7. lib. 1.*

Dominus episcopus Rigensis doctor diuini & humani iuris reputatissimus) *Riga oppidum est Liuoniæ, & nunc Archiepiscopatus.*

Lignum quoddam quod vocant vulgariter Masaros) *b. Maseros. c. d. Masoros, Belgicè Maesbout, siue Maseren bout, Latinè acer. Gal. erable. Mensa acerna (inquit Cornelius Kilianus in suo etymologico Teutonicæ linguæ) oblongo venarum cursu maculosa, aut in verticem crispa.*

Flores qui vocantur in Teutonico Ryngelbloem) *c. d. Ryngelblum. Hi flores Belgicè vocantur Goutbloemẽ de quibus Rembertus Dodonæus in suo herbario par. 2. c. 12. & dicit Latinè vocari calendulam, alijs calthum & calthulam, Germanicè Ringelblumen, Gallicè soulcie ou soucie.*

Quia hoc cap. duo admiranda referuntur quæ ætate auctoris obseruata sunt fieri in vigilia aut nocte natiuitatis Christi, addam & alia quæ eadem nocte fieri dicuntur; vt quòd rosa Hierico sicca in altari posita aperiatur, quòd illa nocte roret quantumcunq; sit frigidum. Hinc in Brabantia panem exponunt sub dio quem irroratum vocant, & eo tanquã benedicto vtuntur. Addũt quidã, quòd omnis aqua vertatur in vinũ. Sed hoc planè fabulosum.

In regno Granati fuerunt inter Saracenos) *Nota Saracenos magnam Hispaniæ partem diu occupasse, & adhuc in Regno Granatæ erant ætate Nideri, vt clarissimè constat ex c. 9. huius libri, & inibi permanserũt vsque ad annum 1492 quo per Ferdinandum Hispaniæ regem penitus expulsi sunt, postquam illam Hispaniæ oram septingentis octoginta annis occupassent. Testis præter alios Franciscus Tarapha in lib. de regibus Hispaniæ.*

In terra Saracenorum circa Septam ciuitatem) *Huius ciuitatis mentio est in Romano martyrologio 13. Octobris.*

Octobris. Sita est in Mauritania Turgitana in qua passi sunt septem primi martyres de ordine Minorum anno 1221.

In fonte quodã repertos esse lapides varios, &c.) *De imaginibus quæ cernũtur in lapidibus aut gemmis naturaliter impressæ nonnulla refert Ioan. Baptista Fulgosius lib. 1. factorum dictorumq; memorabilium cap. 6. ex Alberto magno & aliunde, & hodie multi tales habent lapides annulis aureis inclusos.*

CAP. 7. De quibus Innocentius de vilitate conditionis humanæ dicit: frustra ad senectam ventum est cùm repetas adolescentiam. Senectuti familiaris est loquacitas. Thesaurum in sepulchro ponit qui senem hæredem facit. Senex facilè prouocatur &c.) *Tres priores sententias non inuenio in lib. Innocentij tertij de contemptu mundi, siue de miseria conditionis humanæ. Reliqua quæ citantur habentur lib. 1. cap. 9 aliâs 11. vt in editione operum ipsius in folio. Prior autem extat apud Senecam in prouerbialibus sententijs ex eo collectis, his verbis: Frustra cùm ad senectam ventum est, repetes adolescentiam: estq; versus Trochaicus, & ad marginem annotatur in veteri exemplari legi repetas, quomodo legit Niderus. Extat quoque idem versus inter mimos Publij Syri.*

Ad quod B. Cyprianus libro suo de duodecim abusionibus sic dicit) *Librum illum non esse Cypriani, tum stylus ipse, tum scripturæ citatæ iuxta versionem D. Hieronymi, non iuxta 70. satis arguit. Idem liber Augustino tributitur to 9. sed nec illius est. Cuius autem sit vide argumentum Iacobi Pamelij ad illum librum in operibus Cypriani.*

Hinc Hugo de claustro animæ lib. 2.) *Opus illud 4 librorum de claustro animæ habetur sub dubio in operibus Hugonis à S. Victore mss & impressis, etiam vlt. editione Venetijs 1588. Ita enim incipit titulus: M. Hugonis de S. Victore, vt nonnullis persua-*

persuasum est de claustro animæ, &c. Verus auctor est Hugo Folietus, vt patet ex S. Antonino par. 3 hist. tit. 18. c. 2. & Trithemio lib. de script. ecclesiasticis. Eiusdem Hugonis Folietani nomine citat in Victoria turris Dauid Gerardus Broetelar Syluæducẽsis, Denique eorum sententiæ accedit Thomas Garzonius, qui opera Hugonis à S. Victore postremò edidit Venetijs anno prædicto. Neque Niderus hoc loco addit cognomen à S. Victore, vt infrà lib. 5. c. 9. citans indubitatum opus Hugonis Victorini de instit. nouitiorum.

Quia teste B. Augustino in quodam sermone: Cùm cuncta vitia in sene senescant, sola auaritia iuuenescit.) *Verba hæc habentur apud Augustinum ser 48. ad Fratres in eremo, vt ad marginem annotaui. Quod opus Augustini non esse luce meridiana clarius est, ideoq; meritò à Louaniensibus Theologis, & ab Erasmo reiectum est. Eadem verba citat Thomas, in ser. super Euang. Dominicæ 20. post Pentecost. de regulo, ex B. Hieronymo.*

Et Seneca in libro de moribus) *Opusculum non esse Senecæ etiam ad Cantipratanum indicaui: Sub nomine Martini epis. Dumiensis ex mss. restitutum habetur in bibliotheca SS. Patrum 2. editionis to. 5. post libellum de formula honestæ vitæ, quem illius Martini esse annotaui suprà ad cap. 11. lib. 1.*

Nam vt dicit Gregorius in Pastorali: Quibusdam sæpe magnitudo virtutis occasio fuit perditionis, vt cùm de confidentia virium inordinatè securi sunt, inopinatè per negligentiam morerentur.) *Ita restitui ex orig. cùm in nostris Nideri exemplaribus nullus esset sensus: quippe quæ sic solùm legunt posteriora verba: vt cùm de confidentia virium inordinatè violarentur.*

Recolendæ memoriæ M. Francisco de Retza sacræ paginæ professore, &c.) *De hoc viro æterna memoria digno meminit Anton. Senẽsis in chronico Prædicat. anno 1400. in corona Doctorum. 1420. in sede*

Euange-

Euägelistarum. De eodem scribit idem in sua bibliotheca, eiusq; opera recenset quorum hic meminit Niderus. Item Leander lib. 4. in dial. de viris illustribus in diuersis, & epitome Gesneri.

Collegit & scripsit tractatus & libros de vitijs & virtutibus multum notabiles & magnos) *Extat illius typis excusum ingens volumen quod Comestorium vitiorum inscribitur, Exemplar vidi in bibliotheca Prædicat. Insulensi.*

Hanc antiphonam quam ordo solemniter solet canere, scilicet. Salue regina, exponere cœpit, &c.) *Rationem cur ab isto ordine tam solemniter canatur habes in Thoma Cantipratano lib. 2. cap. 10. par. 19. Nota autem quàm copiosè breuem illam antiphonam explicarit, videlicet tribus magnis voluminibus.*

CAP. 8. Imò Canonicas sanctiones in contrarium suæ coactionis allegauerunt) *De hac re varij sunt canones tit. De immunitate ecclesiarum in decretalibus, in sexto, Clementinis, & extrauagantibus.*

CAP. 9. Viuit hodie in regno Franciæ, puto, soror Coleta nomine, ordinis sanctæ Claræ, virgo sancta & prudens) *De hac multis agit Ioan. Molanus in natalibus Sanctorum Belgij 6. Martij, vbi annotat vitæ ipsius scriptores Petrum de annalibus, fortè natalibus, Stephanum de Iuliaco, & Oliuerium de Langhe, quibus addo Eligium Houcarium, qui eam carmine descripsit cum alijs aliquot Sanctis Gaudauensibus. Excusus est liber Parisiis 1511. Obijt ipsa 1447. & Gaudani in Flandria habetur in veneratione.*

Vitam sanctæ memoriæ Catharinæ de Senis, &c. cuius legendam sub stilo Magistri Raymundi dictatam se habere & legere gloriabatur) *Is est Raymundus Capuanus magister generalis ordinis Prædicatorum 23. qui sacræ virgini multis annis à confessionibus fuit. De ipsa agunt plerique posteriores qui de sanctis scripserunt. S. Antoninus par. 3. tit. 23. c. 14. Antonius Senensis in chron.*

chron. Prædicatorum decade quæ incipit 1360. & 1380 (quo anno Romæ obijt,)in Sanctarum virginum catalogum relata à Pio 2. Habet eam Roman. Martyrologium 29. Aprilis, & Molanus ibidem ad Martyrol. Vsuardi, qui & plurimos vitæ scriptores enumerat.

Nam circa comitatum Bibenensem) *Legendum fortè Gibenensem vel Gebenensem. Nam quæ hodie Geneua, olim Gebenna dicebatur, quæ est in partibus Sabaudiæ de quibus loquitur.*

Si denique infinitam multitudinem peccatorum conuersam nuper in Italia per Fratrem Bernardinum ordinis Minorum, virum deuotissimum & prædicatorem excellentissimum) *De hoc S. Bernardino Senensi, qui dum hæc Niderus scriberet adhuc erat in viuis (obijt enim anno dñi. 1444.) agit Rom. Martyrol. 20. Maij, & ibidem copiosè de vitæ scriptoribus Baronius in notis, Molanus ad eundem diem, S. Antoninus par. 3. tit. 22. & tit. 24. cap. 7. Trithemius de script. eccles. Henricus VVillot in Athenis orthodoxorum .i. in bibliotheca Franciscanorum & alij. Asscriptus est Sanctorum numero à Nicolao papa quinto, anno 1410.*

Anni enim tres vix elapsi, quòd rex Poloniæ, VVadislaus nomine, mortuus est, &c) *Hic āte baptismum Iagello vocabatur, eratq; dux Lithuaniæ. Sacro fonte renatus est anno 1386. De eo præclarè, & eadem ferè quæ hic Nider, scribit Sebastianus Munsterus in Cosmographia lib. 4 agens de Polonia, & semper Vladislaum nominat, eumq; scribit obijsse senio confectum anno 1437. Antonius Bonfinius rerum Vngaricarum decadis 3. lib. 2. Ladislaum vocat. Alius hic est à Ladislao rege Hungariæ quē Celestinus tertius recēsuit inter Sanctos, de quo Martyrol. 28 Iunij. Quod si verum sit dicto anno 1437. obijsse Vladislaum, scripta essent hæc ab auctore anno 1439. aut 1440 quod non bene consentire videtur cum ijs quæ annotaui ad c. 7. lib. 1. & quod Molanus in sua bibliotheca ponit Niderum obijsse 1438. Verùm totum hoc opus non*

opus non esse scriptum vno anno ex eo constat, quòd annus sit interiectus inter ea quæ scribit de reformatione monasterij sanctæ Catharinæ Nurenbergensis libro tertio cap. 3. & lib. 5. cap. 2. vt loca conferenti manifestum euadet. Hinc bene consistit, vt primus liber scriptus sit anno 1437. iste verò vno & amplius anno pòst.

Per militiam cruciferorū ordinis Teuthonicorum de Prussia) *Ordo Teuthonicorum initium sumpsit Hierosolymis anno Christi 1190 in hospitali B. virginis Vnde & deiparæ virginis milites sunt appellati. De hoc ordine Iacobus à Vitriaco in hist. Orientali cap. 66. Munsterus lib. 3. Cosmographiæ in descriptione Prutenicæ siue Prussiæ, vbi recenset catalogum magnorum magistrorum Fratrum illius ordinis. Ioannes Nauclerus in sua chronographia in fine generationis 27. Polydorus Virgil. de rerum inuentoribus lib. 7. c. 5. Franciscus Modius in lib. de orig. cuiusque ordinis eccles. & alij. Diuersi sunt hi ab ordine Iohannitarum de Rhodis, siue Rhodiorū militum, quorum meminit Nider infrà huius libri c. vlt. Vitriacus c. 64. & omnes mox citati authores, atque ab his omnibus diuersi erant Templarij.*

Et in luco vbi perpetuus nutriebatur ignis, & adorabatur, ecclesiam collegiatam, destructo igne, construxit, &c.) *c. d. leg. n. t l. eo. pro luco, fortè, loco, legendū est. Locus autem erat Vilna præcipua ciuitas Lithuaniæ. Sic enim rem hanc describit Mūsterus in Cosmographia lib. 4. Fundauit deinde rex Vladislaus in Vilna ecclesiam cathedralem, principalemq; aram in loco vbi ignis perpetuus erat constituit. Ita ille.*

CAP. 10. Cum lifria quadam apertè) *c. d. libria Belg. linreye, Gallicè liuree, est peculiare insigne confœderationis & pacis, vt hic explicatur ab auctore.*

Paulò autem postea cœpit secta hæreticorum in Bohemia manu armata loca patriç militis, & aliorū inuadere) *Facta sunt hæc sub anum dñi 1419. vt testan-*

tur historiæ illorum temporum.

CAP. 11. Et postquam ostẽdit quòd maxima incommoda sustinent mundani homines ex amore terrenorum) *Verè dixit, etsi paradoxè, Chrysostomus: Virtutem nec esse rem molestam, neque acquisitu difficilem. Item multò facilius esse bene viuere quã malè. Quas duas sententias inter aurea ipsius paradoxa enumerat Sixtus Senensis lib. 4. bibliot. sancta in Ioanne Chrysost.*

Fuit nostro tempore rex Romanorum Rupertus. *& infrà.* Multis annis Romanum gubernabat sanctè imperium) *Hic Rupertus siue Robertus Imp. creatus est anno 1400. imperauit autẽ annis ferè 10. De quo exemplum egregium zeli diuini suprà retulit c. 3 huius libri. Successit ei Sigismundus, cuius etiam aliquoties meminit in hoc opere.*

Hauserat enim, vbi nescio, diabolicum hunc instinctum (vt videbatur) quo quidam superstitiosissimè credunt se post huiusmodi sacramenti susceptionem omnino migrare oportere) *Loquitur de sacramẽto extremæ vnctionis. Falsissimam autem esse persuasionem illam, qua & hodie laborant quidam, frequẽs ostendit experientia, & concors ecclesiæ doctrina, qua docetur præter effectum spiritualem, idem sacramentum etiam hunc habere, vt æger in magnis morbi molestijs releuetur, & sanitati, si animæ expediat, restituatur, quod & ipsæ orationes significant quæ in illius administratione adhibentur.*

Et laqueo vita reo recepta) *Fortè legendum erepta. Sed obseruandum quod & alias sic loquatur, vt dicat recipi pro eripi, vt lib. 3. c. 6.*

CAP. 12. Beatus Augustinus de conflictu vitiorum) *Liber iste de conflictu vitiorũ & virtutum in angulum tomi 9 etiam à Louaniensibus reiectus est. Vetera exemplaria titulum Leonis papæ præferebant, & inter eius opera excusus est Parisiis 1511. Sed nec est August. nec Leonis. Num in fine cõmendat regulam S. Benedicti*

dicti qui vtroque posterior fuit. Trithemius lib. de scriptoribus eccles. in Augustino post catalogum librorum ipsius, vbi rationem reddit, cur quosdam omiserit qui à plerisque Augustino asscribuntur, de isto sic ait: Liber de conflictu virtutum & vitiorum qui incipit, Apostolica vox, & stilum Gregorij papæ resonat, & cum antiquioribus exemplaribus concordat. Sic ille. Extat etiam in operibus S. Ambrosii Romæ 1585 impressis. Alij Cassiano inscribunt. Postremò excusus est inter opera B. Isidori Madritij anno 1599. & Parisiis 1601. vbi annotatio præmissa à Iacobo du Breul indicat hoc factũ ex testimonio Sigeberti Gemblacensis, & mss. codicibus Hispanicis.

Audi de hoc B. Augustinum de disciplina Christiana sic dicentem, &c.) *Hoc modo restitui. Ante citabatur liber de vita Christiana, qui non est Augustini, nec ibi habentur verba quæ citat, sed in libello de disciplina Christiana cap. 2. vt etiam ad marginem annotaui.*

Morsque minus pœnæ quàm mora mortis habet) *Sic reposui ex orig. quomodo etiam legendum esse præcedentia indicant. Omnia exemplaria habebant. Morsq; minus est pœna quam mortis habet: Quæ verba nec versum, nec sensum vllum reddunt.*

IN LIBRVM QVINTVM.

CAP. I. Et Galenũ in suis medicinalibus) *Omnia exemplaria præter m. habebant Galienum, quo nomine dictus est quidã Imp. Vidi antiquũ librum de vitis philosophorum, Scholam Salernitanã, Item Auicennã antiquæ editionis, Godscalcũ Hollen in suo præceptorio, qui perpetuò legũt Galienus, quomodo nõ dubito scripsisse authorẽ. Suidas tamẽ Galenus scribit, nisi mutatio facta sit.*

Domino Petro Episcopo Augustensi) *De eo vide annot. vltimam ad c. vlt. lib. 3.*

Pro huius exercitus posterior-custodia) *Exẽplaria duo posteriora omittunt vocem posterior, m. legit posterioris. Sed ita legendum vt posuimus ex duobus antiquis*

exemplaribus, quæ duas habent distinctas dictiones, omnino est verisimilius, & significatur quod Gallicè dicitur l'arrier-garde, cui opponitur l'auant-garde.

Similia exempla ei quod sub finem huius capit. refertur de translatione subita ad loca longè dissita, & reportatione absque nocumento per dæmones facta recitat Cæsarius l. 5. c. 37. de Euerhardo milite qui Romam & Hierosolymã ex Germania trãslatus est. Duo exempla eiusmodi per bonos angelos facta narrat scriptura Daniel. 14. & Act. 8. Alia duo Cantipratanus lib. 2. cap. 40 par. 3. & 4.

CAP. 2. *De nocturnis apparitionibus & domorum infestationibus copiosè post alios scripsit Petrus Thiræus ex societate Iesu.*

Tot esse immundos spiritus, quot in hominibus studia non dubiè cõprobantur, &c.) *Ita legebant antiqua Cassiani exemplaria, sed dñs Henricus Cuyckius ex mss. emendauit vt iam legatur: Tot autem esse in immundis spiritibus, quot in hominibus studia non dubiè comprobatur.*

Quos etiam paganos vulgus appellat) *In Cassiano lego Faunos. Vide August. lib. 15. de ciuit. Dei c. 23. vbi pro Faunos aliâs legi panes annotatur, & Niderum infrà cap. 9. vbi citat locum hunc Augustini.*

In sequentibus restitui ex orig. emendato ex omnibus mss. innocuis incubationibus pro in nociuis, quomodo etiã in Cassiano ante Cuyckij emendationem legebatur. Porrò nota doctrinam hanc Cassiani qua docet esse dæmones quosdam qui non delectantur tormentis hominum, sed tantùm derisione & illusione contenti, vt loquitur, fatigare eos potius student quàm nocere, nota inquam, nec solidam esse nec probabilem, & de ea vide 11. annotationem censoriam Dñi Cuyckij ad illum Cassiani locum, vbi allato simili loco B. Antonij apud Athanasium, hæc dicit intelligenda, non quòd vnquam dæmonibus desit voluntas nocendi, sed quia à nocumento diui-

diuina potestate impediuntur, ludicras tantùm illusiones aliquando exercent. Nullo aũt modo probandi sunt qui aliquos bonos dæmones facere videntur, vt Cæsarius lib.5.cap.35. 36. & 37. Estq; articulus 22. à Paris. facultate Theol. dãnatus anno 1398. quòd aliqui dæmones boni sint, aliqui benigni. Extat in operibus Gersonis post tract. de erroribus circa artem magicam par. 1. alphab. 21. litera R.

CAP. 3. Quæ corda niue illa opprimuntur quæ ob superbiam de cœlo corruens in tenebras, adhuc se velut angelum lucis ostentare præsumit, & habitum niueum præfert) *Ita restitui ex orig. videlicet ex glossa ordinaria vnde citatur, cùm legeretur quæ ob superbiam de cælo corruentes in tenebras, adhuc velut angelum lucis ostendere præsumunt, & habitum niueum præferunt Si ad (corda) referre voluisset author, dicendum fuerat corruentia. Respicitur autem ad lapsum diaboli.*

Nec opus est scire talia latè) *Habent enim curiositatem quandam adiunctam potius quàm eruditionem. Extant tamen de maleficis & eorum operationibus varij tractatus simul iuncti in duobus tomis Mallei Maleficarum. Seorsim scripsit de eadem re Ioannes Bodinus in sua dæmonomania, Nicolaus Remigius in libris de dæmonolatria, & post alios multos latissimè Martinus Delrio tribus tomis disquisitionum magicarum.*

Nam in oppido Boltingen Lausanensis diœcesis quidam dictus Stedelem grandis maleficus) *b. Stedelein, m. Staedelein legit, & infrà nunc hoc, nunc illo modo legitur. Huius malefici aliquoties mentio fit in malleo maleficarum Iacobi Sprengeri & Henrici Institoris, qui modum initiationis artis magicæ, eundem qui hoc cap. habetur, referunt parte secunda sui mallei quæstione prima capitul. 2. vbi & alia his similia quæ hoc cap. & toto hoc libro, adijciuntur.*

In caldari decoquimus) *Ita omnia exemplaria, sed in antiquissimo antiqua manu adiecta erat litera a, vt caldaria legeretur, quæ vox habetur 1. Reg. 2. Vsitatius Latinè caldarium dicitur. Niderus etiam caldare dixisse videtur, sicut dicimus altare & altarium.*

Dominica die antequam aqua benedicta consecratur) *Hinc fortè moris est, vt summo mane in ecclesijs aqua benedicatur. Nota autem hic virtutem aquæ benedictæ, & diligentiam quam diabolus à suis ministris exigit.*

Est'ne licitum maleficium de loco tollere) *De hac celebri quæstione multi tractarunt, nec per omnia satisfacit distinctio autoris. Si enim tollatur eo fine vt cesset nocumentum, nullo modo videtur esse licitum tollere, quia expectatur effectus à diabolo, cùm neque à natura, neque à Deo, vel ab ecclesiastica institutione valeat ablatio signi ad cessationem nocumenti. Multi tamen sentiunt contrarium, sed recentiores, magis standum videtur antiquis, qui (vt hic quoq; Nider asserit) docent non licere, quæ pars sine dubio tutior est.*

Maleficus per omnia lædi reperiebatur sicut sua imago plumbea) *Simile ex Hieronymo Cardano lib. 15. de rerum varietate cap. 80. refert Matthias Felisius in 2. sententiarum dist. 7. cap. 23.*

CAP. 4. Necromantici propriè hi dicuntur, &c.) *Deriuatur à voce Græca νεκρος id est mortuus, & μαντεία, diuinatio, ac si dicas diuinationem ex mortuis. Duo antiquiora exemplaria & m. toto libro legunt Nigromantici, deriuantes à dictione Latina niger, & ita ferè vtuntur scriptores posterioris ætatis minus literati, vt sic authorem scripsisse, sed à Iacobo VVimphelingio, viro docto, qui præfuit editioni Argentoratensi, mutatum esse sit verisimile. Germani autem in Malleo maleficarum secuti sunt priora exemplaria.*

De ordine pœnitentium) *Loquitur de ordine S. Dominici de pœnitentia, de quo suprà lib. 4. c. 9.*

Quo-

Quorum primus auctor fuit quidam Scauius dictus) *De hoc insigni malefico & discipulis eius Hoppone & Staedelin meminit etiam aliquotiens Malleus maleficarum, & Ioannes Bodinus lib. 2. Dæmonomaniæ cap. 6. ex libro quinque Inquisitorum.*

De loco ad locum per aëra, vt putabant, transmeare) *Fuit in illa opinione author in qua multi alij, & Nauarrus in Enchirid. Confessar. cap. 11. n. 38. quòd non verè transferrentur malefici de loco in locum. Sed eius rei contrarium clarissimè docuit experientia. Vide annotationem ad c. 4. lib. 2.*

Nihil enim vobis applicui nisi Dominicam orationem & Apostolorum symbolum, & iam sanati estis) *Hæc licitè adhiberi in curandis infirmitatibus non dubium, & expressè ponitur in cap. Non obseruetis 26. q. 7. Item Alphonsus Viualdus in fine baculi sacerdotalis, ex Breuiario Romano Burgis in Hispania impresso, apponit exorcismum per signum crucis, symbolum, & orationem Dominicam.*

Quòd eo ipso quo per reipublicæ iustitię officiales capiuntur, statim omnis maleficorum eneruetur potestas) *Quòd nocere non possint malefici ministris iustitiæ docet quoq; Bodinus lib. 3. dæmonamaniæ c. 4. citans August. lib. 10. de ciuit. Dei, Thomam 2. 2. q. 95. ar. 5. & in tit. de mir. Item hunc nostrum Niderum & Sprangerum. Verùm Thomas eo loci non habet, & nostro seculo referuntur aliquando delusisse iudicum manus affixo patibulo fasce stramineo, vel quo simili, cùm putarentur suspensi.*

Adiuro vos grandines & ventos, &c.) *Hanc coniurationem ex hoc auctoris loco laudat Alphonsus Viualdus libro citato baculi sui sacerdotalis, vbi & alia multa recenset remedia & exorcismos contra tempestates. Notet tamen lector, vel ob hoc suspectam esse debere, quòd à malefico tradita sit.*

CAP. 5.) Translatione verò alia non habetur, vita eorum inter effœminatos, sed vita eorum vulneretur ab angelis. Vtrumque tamen, &c.) *Ita correxi ex orig. cùm aliud nihil haberent omnia exemplaria, quàm, translatione verò vulneretur ab angelis: Vtrumque tamen &c. In præcedentibus alia ex eodem orig restitui quæ in margine adnotaui.*

Animam secundum omnes tuę professionis compo^t es dæmon intrare nequit) *Ita docent Scholastici ad dist. 8. lib. 2. sententiarum. Quomodo verò hoc sit intelligendum paulò pòst auctor exponit.*

Vnde Iob. 2. dæmoni Deus ait) *Sic restitui, cùm omnia exemplaria legerẽt. Vnde Iob & dæmoni Deus ait: Menda ex eo prouenit, quòd in veteri impressura ac scriptura. (&) formetur eodem modo quo cifra (2)*

Hoc intellige dictum de tentatione quæ est ab hoste, non à carne, quę peccatum est veniale, si ei nõ consentiatur. Hæc ibi) *Ista omnia citat auctor tãquam verba glossæ in c. 12 posterioris ad Cor. & tamen in ea non inuenio, ne quidem in vltima editione Lugdunensi anni 1590. correcta per doctores Parisienses. Videntur hæc verba adscripta ab aliquo in margine qui sic sentiebat, & postea in textum relata, quod multo facilius factu erat, cùm adhuc omnes libri manu tantùm exararentur, vt tempore nostri auctoris. Cæterum inter Scholasticos doctores ad dist. 21. secundi sentent. ita docet Durandus, Guillelmus Altissiodorensis lib. 2. tract. 28. quæst. 1. & 2. Caietanus in primam 2æ. q. 74. ar. 3. & 4. Sed contraria sententia, quòd nimirum tentatio carnis possit esse sine peccato & sæpe sit, verisimilior est.*

Plus autem permittit Deus super hunc actũ, &c.) *Idem docet Thomas in 4. dist. 34. q. vnica ar. 3. ad. 1.*

Exemplum autem de inflammando ad actum illum habetur in legenda B. Basilij de virgine quæ seruum patris concupiuit) *Simile refert B. Hiero-*

Hieronymus in vita S. Hilarionis de virgine, quæ amore & dæmone possessa, nomen adolescentis inclamabat.

Quinque modos exprimit Hugo super ij. dist. vij & *infrà* : Hæc Hugo secundo sententiarum.) *Quis iste Hugo non satis constat. Credo esse Hugonem Carensem primum Cardinalem ex ordine Prædicatorum, quem lego copiosè scripsisse in omnes libros sententiarum, sed opus nunquam vidi, nec credo excusum esse. Non potest esse Hugo à S. Victore, qui scripsit etiam sententias, sed non scripsit super sententias, & stylus planè discordat.*

De Corinthio quem vexauit excommunicatum) *Omnia exemplaria habebant Corintho, vt suprà lib. 3. cap. 3. Corintha, & infrà c. 11. Corinthum. Item c. d. excommunicauit pro excommunicatum, quæ emendaui.*

Aliquando etiam non vult propter peccati abominationem & pudorem, &c.) *Hæc non videntur solidæ veritatis cùm dæmones delectentur immunditijs & fornicationibus, & propterea in euangelijs vocantur spiritus immundi. Simile quid habet Cantipratanus lib. 2. cap. 30. par. 2. & probat ex eadem scriptura Ezech. & glossa ad eundem locum. Sumpta videtur hæc doctrina ex Cassiano collat. 7. cap. 17. & 32. vbi docet vnicuique vitio certos spiritus incubare. Cui simile habet Glossa c. 25. Numer. ex Origene. Sed etiam hoc ipsum improbabile est.*

CAP. 6. Quia pœna interdum remanet culpa transeunte) *Pulchrè August. tract. 124. in Ioannem. Productior est pœna quàm culpa, ne parua putaretur culpa, si cum illa finiretur & pœna. Redditur autem hic 6. causa ad quam remittebat author suprà cap. 2. huius libri.*

Non vt ex officio, quamuis illi hoc non habeant ex officio.) *Idem repetit, quod (si munda non sit)*

ex eo

ex eo accidit, quòd non eodem ordine, sed hinc inde verba Thomæ citat tum hoc loco, tum alibi sæpe.

Tum etiam quia beatus Gregorius super Ezechielem dicit: Sacerdos dum per exorcismi gratiã, &c.) *Verba hæc citat author ex Thoma, qui etiam citat locum Gregorij super Ezechielem. Habentur autem, vt in margine notaui homil. 29. super euangelia. Quia tamen certus non sum, an non habeantur etiam in homilijs super Ezechielem, non mutaui citationem quam habet & Thomas in summa p. 3. q. 71. ar. 4. vbi Antonius Senensis non alium notauit locum quàm illum quem designaui.*

Nec est inconueniens quod etiam quando iam baptizato exorcismus prius neglectus adhibetur, dicere quòd tunc aliquid efficiat) *Verba sunt B. Thomæ. Rationem cur non sit inconueniens tunc adhibere reddit Pastorale Mechliniense tit. de baptismo, quia refertur ad perfectiorem dæmonis eiectionem, & pleniorem purgationem. Id autem esse faciendum habet praxis ecclesiæ, & absque sufficienti ratione Franciscus Samarinus parte 1. sacerdotalis Romani aliter docet.*

De amore hereos, seu philocaptione, vel hiflithi, vt Auicenna loquitur, quæ est ægritudo quam aliquis incurrit propter amorem) *Sic definit Auicenna loco quem in margine notaui, sed vocat ilisci, & in tabula Arabicorum nominum in operibus Auicennæ scribitur Ylisci, in ipso Auicenna i simplici, ilisci. Vocabuli amoris hereos aut philocaptionis sæpe meminit Niderus, vt suprà lib. 1. c. 9 l. 3. c. 4 lib. 4. c. 7. lib. 5. c. 3. vbi dicit esse amorem inordinatum vnius sexus ad alterum. Godscalcus Hollen in suo præceptorio in explicatione primi præcepti, agens de ijs qui 2. loco peccant contra illud, amorem, inquit, hereum habentes. Sumpta videtur ea appellatio à Græca voce ἔρως .i. amor, libido, cupido, ἐρωὴ, desiderium, impetus. Philocaptio & philocaptus ex Græco & Latino compositum est. φίλος id est amicus & charus. Vtitur eadem voce dictus Hollen in explic. 3. præcepti ser. 8. Cæterum de*

rum de remedijs contra amorem lasciuum & carnalem, de quibus hîc author differit, latè agit Petrus Messias in suis varijs lectionibus par. 3. cap. 13.

De quibus, heu, nescius fui hactenus, sed gratus ero in antea) *Latinè dicendum erat, in posterum, sed secutus est phrasim Teutonicam qua dicimus voort-aen, siue Gallicam dores-en-auant.*

CAP. 7. Et dantes Symbolum (glossa id est detractionum) consumentur) *Omnia exemp. legunt symbolum, textus scripturæ habet symbola.*

Anne spem habere deberet, quòd cum vita vxor sua iudicem euaderet, quæ iam capta erat) *Exemplaria quibus vsi sumus inutiliter idem repetentes, addunt his verbis citatis: sua quæ iam capta erat vxor. Quæ verba propterea detruncaui.*

CAP. 8. Et quia eodem tempore (sicut heu hodie) sedem Treuerensis ecclesiæ duo pro eadem contendentes grauiter molestabant) *Prius schisma erat inter Rabanum ab Helmstaat & Iacobum baronem à Syrck, de quo vide annot. ad c. 2. lib. 2. Posterius schisma fuisse videtur post mortem dicti Iacobi anno 1436. Nam in catalogo Episcoporum Treuirensium Ioannes 2. ex illustri familia Marchionum Badensium demum ponitur successisse à Petro Cratepolio in catalogo Episcoporum Treuirensium anno 1449. etsi schismatis non meminerit.*

Fuit præterea infrà decem annorum spacia nouiter in Francia quædam, de qua præmisi, virgo Iohanna nomine, tam prophetico spiritu, quàm miraculorum potestate, vt putabatur, clarens) *De hac virgine Iohanna plenæ sunt omnes historiæ illius temporis. Vulgari Gallorum lingua, la pucelle de France nominatur, hoc est virgo Franciæ. Agunt de ea præter alios historicos Ioannes Laziardus in hist. vniuersalis epitome c. 274. Æneas Syluius de Europa c. 43. S. Antoninus par. 3. hist. tit. 22. c. 9. §. 7. Baptista Fulgosius factorum dictorum.*

Iöana Pucella

Etorũq; memorabiliũ lib. 1.c.5.& l.3.c.2. Baptista Egnatius lib.3.c.2. Martinus Delrio in appendice ad lib. 5. disquisitionum magicarum. Robertus Gaguinus lib. 10. hist. Francorum. Ioannes Nauclerus in sua chronographia generat. 48. anno 1428. Christianus Massaus in chronico anno sequenti. Iacobus Meyerus in annalib. Flandriæ ad eundem Domini annum & tres sequentes. Arnoldus Pontacus & Genebrardus in sua chronographia circa idem tempus, & alij non solum Latini, sed & Græci, vt Laonicus Chalcondylas lib. 2. de rebus Turcicis post medium. Porrò inter multa præclarè gesta Aureliam vrbem obsidione Anglorum liberauit anno 1429. Anno autem 1431. ab Anglis capta, & Rhotomagi concremata est.

Dubitabant exinde, &c quo spiritu regeretur, diabolico an diuino. Scripserunt proinde quidam viri literatissimi tractatus eius ex parte, in quibus non modo diuersa, sed etiã aduersa de virgine senserunt) *Ad hoc cap. in exemplari quod est in 1. tomo mallei maleficarum, quod signamus litera m. sic est in margine annotatum. De hac Ioanna virgine (quam historici Gallici la pucelle Jeanne vocant) penes veteres & recentes historicos adhuc sub iudice lis versatur, an maga fuerit, vel diuinitus pro salute Franciæ contra Anglos missa. Extant de ea re integri libri hodie. Sic ibi. Niderus spiritu maligno ductam fuisse insinuat. Sed ex scripto regis Angliæ non est sufficiens probatio, quia testimonium hostis ad condemnandum non est validum, imo nec ipsorum Parisiensium qui tunc sub Anglo erant. Certè omnes à me suprà citati laudant eam, & commẽdant, & de ea loquuntur tanquam à Deo missa. Inter ceteros admodum copiosè Meyerus ad annum 1431. Extant duo de ipsa tractatus in fine 2. partis operum Ioannis Gersonis Cancellarij Parisiensis, in quorum vtroque ostenditur eam posse defendi. Prior qui Henrici Gorichem ex stilo esse putatur, pro vtraque parte sex rationes profert.*

Demum

Demum nutu, vt creditur, diuino per Anglicorum armatam capta est) *Pleriq; ex suprà citatis narrât eam obsesso Compendio dolosè captam esse per quendam Picardum, qui eam Anglis vendiderit.*

Et prout à Magistro Nicolao Amici, Licentiato in Theologia audiui, qui ambasiator fuit Vniuersitatis Parisiensis) *Huius Theologi Parisiensis magna cum laude meminit Æneas Siluius in gestis Concilij Basileensis lib. 1. sub initium pag. 4. & iterum versus finem eiusdem libri pag. 34. Sed eius testimonium in hac causa praeiudicare non potest, quia, vt dixi, Parisienses tunc Anglis subditi erant, imo ipsam apud regem Angliae de magia accusauerunt, vt scribit Martinus Delrio loco suprà citato. Dictum Nicolaum Theologis scriptoribus connumerat Arnoldus Pontacus in sua chronographia tempore Eugenij 4 & ex eo Genebrardus.*

Linguae enim vnius bono ministerio) *De bonitate & malitia linguae multa praeclara videre est in vita Æsopi fabulatoris.*

Vide ibi multa mala) *linguae scilicet c. 28. Ecclesiastici, quae immediatè sequuntur post citata ab auctore verba.*

Omnes amici, & tamen omnes inimici: omnes necessarij, & omnes aduersarij) *Vt plenior esset antithesis ex orig. adieci has duas voces (omnes necessarij) quas non est verisimile à Nidero fuisse praeteritas.*

De religiosis etiam dicit B. Augustinus ad clerum & populum Hipponensis ecclesiae) *Hoc modo restitui, cùm antea legeretur, ad Vincentium Donatistam, quae est epist. 48. Verba verò quae citãtur habentur epist. 137. Nota autem, quòd post quatuor sententias diuersorum Patrum de malis clericis aut religiosis non ponat exemplum de bonis, quia absque numero vbique obuia sunt.*

Muliebrium enim vitiorum omnium fundamentum est à natura) *Quaecunque hoc capit. De lingua, mulieribus, & Ecclesiasticis dicuntur, ea verbotenus ferè*

ferè transſcripſerunt in ſuo Malleo maleficarum Sprenger & Inſtitor. par. 1. q. 6. Vbi pro eo quod habemus, à natura, legunt, auaritia. Locum in Cicerone, ex quo citatur, non reperi.

Et Seneca in ſuis prouerbijs: Aut amat, aut odit mulier, nihil tertium dediſſe, &c.) *Hoc eſt non datur tertium. Ex his quatuor ſententijs duas medias non inuenio in illis quæ vocat prouerbia Senecæ, quæ ipſius non eſſe, ſed ab aliquo hinc inde collectas ordine alphabetico ſententias, ad Cantipratanum indicaui. Prima harum eſt Publij Mimi, & in citatis prouerbijs ſic effertur. Aut amat, aut odit mulier, nihil eſt tertium. Cui accedit quod habetur in fine libri de remedijs fortuitorum: Nihil tam mobile quàm fœminarum voluntas, nihil tam vagum.*

Flere feminam eſt mendacium, &c.) *Conſentit Ouid. lib. 2. de remedio amoris.*

Néue puellarum lachrymis moueare caueto,
Vt flerent oculos erudiere ſuos.

Robertus Holkot in cap. 10. Sapientiæ lect. 128. ex poeta quodam de mulierum malitia & periculo hos citat verſiculos.

Fœmina fax Sathanæ, fœtens roſa, dulce venenum,
Semper prona rei quæ prohibetur ei, &c.

Extat item liber Gallico ſermone Ioannis Marconville de bonitate & malitia mulierum. Plura congerit de eodem argumento Officina Ioannis Textoris. Ioannes de Eſpinoſa Hiſpanus librum ſcripſit de laudibus mulierum excuſum Mediolani 1580. Aluarus Pelagius de planctu eccleſiæ lib. 2. cap. 45. præter vitia omnibus communia, centum & duo vitia numerat particularia mulieribus. Non defuerunt tamen noſtro ſeculo viri vſque adeo effœminati qui ex profeſſo ſcribere non vereantur fœminas viris longè perfectiores eſſe. Quorum libros vidi & legi, ſed indignos cenſeo qui nominentur.

Sic etiam totum Hungariç regnum ab olim idololatriæ deditum per Gillam ſororem Chriſtianam impera-

imperatoris fidei catholicę adiunctum est per regem Hungariæ, cui præfata Gilla in matrimonium est tradita, per quam etiam conuersus est rex, & in baptismo Stephanus nominatus, posteaque, miraculis clarus, canonizatus) *Quam Gillam vocat, Sebast. Munsterus in Cosmographia, describens regnum Hungariæ, & alij Gyselam siue Giselam vocant, unde per contractionem factum est Gisla (quomodo legit Sigebertus) inde Gilla, sicut Giselinus & Gislenus. Erat autem Gislæ hæc soror S. Henrici primi Imp. quem alij secundum nominant, cuius festum 14. Iulij. Ex hac vxore sanctam prolem habuit rex Hungariæ Stephanus, videlicet B. Emericum, cuius solemnitas 4. Nouembris. Vterque, pater scilicet & filius inter Sãctos relatus est à Benedicto VIII. qui dictus est nonus. Festum S. Stephani colitur 20. Augusti. Videantur notæ Baronij in Rom. Martyrol. ad hos dies. Cæterum nostra duo exemplaria antiquiora legunt: Et in baptismo Scinrus nominatus, alia duo Scirus, sed quintum Stephanus conformiter Sigeberto & Vincentio. Vita ipsius asserit eum paruulum baptizatum, & prædictum fuisse, nomen protomartyris ei imponendum, quod non satis consonat cùm ijs quæ hîc Niderus refert, eum per vxorem ad fidem esse conuersum. Sed auctorem allegat Vincentium Beluacensem, cuius fidem secutus est: qui eadem quæ auctor noster, narrat ex Sigeberto, in cuius chronico habentur anno 1010. Obijt autem S. Stephanus anno 1034.*

Sic præterea per Clothilden) *Ita lego cum exemplarim. & infrà Clodoueus, cùm cætera omnia legerent Lochilden & Cladoreus. Vincentius quem citat Nider, legit Lotilden & Lodoueus.*

CAP. 9. Non enim mulier minaris plebeis.) *Sic omnia exemplaria, sed videtur aliquid deesse, vt verbum (ait) aut quid simile.*

Manibus & pedibus versipellem ligauit) *a. b. vrsipellem, m. in vrsi pellem. At rectius alia duo exemplaria*

versipel-

versipellem. Nam si in ursi pellem ligasset uxorem, fugissent ab ea formicæ, iuxta proprietatem earum suprà cap. 7. huius libri propositam.

Et felix effecta, quam fecerunt deinceps propria pericula cautiorem.) *Alludit ad vulgatum versiculum,*

Felix quem faciunt aliena pericula cautum.

Satis de correctionis punctione discreta & irrationabili diuersi alios ediderunt tractatus) *Dicendum erat correptionis. Sed etiam sic Thomas & alij eiusdem generis auctores loquuntur, vt correctionẽ dicant pro correptione. Scripsit autem librum de correptione & gratia Augustinus. Multa de correptione fraterna Thomas 2.2. q. 33. Ioannes Gerson de eadem tractatum habet par. 2. operũm ipsius alphabeto 34.*

Querunt auxilium principum qui caudæ dicuntur, quia vt astringant, terrent & blandiuntur) *Restitui caudæ ex orig. a.b. legit clade, c.d clades, m. clade adigant. & vt astringant.*

Qui inter dæmones incubi vocantur & succubi, &c.) *Dæmones reuera concubitu polluere & fœdare quosdam abundè probat ex August. & alijs. Dæmones tamen generare non posse propriè loquendo certum est. Concedit nihilominus Thomas tribus locis hoc cap. ab auctore citatis, eos posse procurare hominis generationem, sicut & Guillel. Parisiensis in ult. parte operis de vniuerso, & Martinus Delrio lib. 2. magic. disquis. q 15. Sed hoc quoque vix possibile videtur. Vide tamen auctores id approbantes quos annotaui ad Thomam Cantiprat. lib. 2 cap. vlt. par. 16. Præter eos quos ibi annotaui de incubis & succubis agunt Scotus in 2. sententiar. dist. 8. Innocentius VIII. in bulla quæ incipit Summis. & extat in 7. decretalium tit. de maleficis & incantatoribus. Iacobus Sprenger & Henricus Institor in suo malleo malefic. par. 1. q. 3. vbi quærunt an sit catholicum quòd per dæmones succubos & incubos possint homines procreari, & respondent affirmatiuè. Georgius Venetus problemate 192. Alphonsus*

phonsus à Castro lib. 1. de iusta hæreticorum punitione. Ludouicus Viues ad c. 23. lib. 15. Augustini de Ciuit. Dei, & alij absque numero. Interim Incubi quoque illi maligni spiritus dicuntur, ab incubatione siue oppressione nocturna qua voci spiritumq; liberum meatum intercipiunt, etsi concubitu non polluant, de quibus Cassianus collat. 7. cap. 32. Quinetiam incubi vocabulum significat ipsam nocturnam oppressionem & suffocationem quæ sæpenumero absque vlla dæmonis illusione dormientes infestat. Is morbus Græcè ἐφιάλτης, Belg. de maere, & Gal. cocquemare dictus, ex eo nascitur, quòd cordi & cerebro fuliginosi densiq; vapores incumbunt ex voracitate & cruditate, maximè sinistro lateri incumbentibus, ac veluti ingens aliquod pondus vniuersum corpus grauare solet. De eo Medici, & nominatim Leuinus Lemnius de occultis nat. miraculis lib. 2. c. 3. & 5.

Siluanos & Faunos, Panos, quos vulgò incubones) *In Augustino, cuius verba citantur, omissa in textu voce Panos in editione Parisiensi 1571. ponitur in margine cum asterisco ad vocem Faunos, aliâs legi Panes. Plantiniana editio vtrumque legit in textu Panes & Faunos. Citabatur ex Augustino de Ciuit. Dei lib. 3. cap. 5. & lib. 15. c. 22 pro quibus posui cap. 4. & 23. vti nunc habet capitum distinctio.*

Et pilosi saltabunt in loco pilosi.) *Sic distingunt omnia exemplaria. Textus scripturæ habet: Et pilosi saltabunt ibi. Fortè aliquid omissum in Nidero, & scriptum fuerit: Loco pilosi 70. habent dæmones. Hoc enim notat super vocem pilosi glossa interlinealis.*

Latinè incubi appellantur siue innij ab ineundo) *Ita lego cum exemp. m. & malim inij vnico n, reliqua inuij, sed perperam. In Isidori operibus editionis anni 1601. & in auctoribus Latinæ linguæ simul editis legitur Inini. Certè inijt dixisse Festum & Plautum pro concubuit, notat in suo antiquario Eilhardus Lubinus.*

Quem autem vulgò incubonem vocant, hunc Romani Faunum vicarium dicunt) *Originale Ficarium, sicut & Sprenger ac Institer in suo malleo malefic. par. 1. q. 3. quo loco multa verba ex hoc cap. Nideri transcripserunt. Vicarium omnia nostra legunt exemplaria. Quæ lectio ex eo probabilis videri potest, quia Fauni rusticorum, sylvarum, agrorum ac vicorum habebantur numina. Esse tamen legendū ficarium probatur etiam ex alio Isidori loco videlicet lib. 11. orig c. 3. Ex Hieronymo in c. 13. Isaia, vbi sic ait: Quod sequitur pilosi saltabunt ibi: vel incubones vel satyros, sylvestres quosdam homines, quos nonnulli Faunos ficarios vocant, aut dæmonum genera intelligunt.]* Ex Eutropio lib. 12. *Silvestres homines quos nonnulli Faunos ficarios vocant. Ex Bartholomæo Anglico lib. 18. de proprietatibus rerum c. 50. vbi rationem nominis reddens: Ficarij, inquit, dicuntur homines siluani de ficubus viuentes. & post pauca. Alio modo dicuntur fatui ficarij Fauni & Satyri, qui inter agrestes ficus & alias arbores morantur. Denique ex ipsa scriptura Hier. 50. v. 39. vbi legunt biblia Clementina: Habitabunt dracones cum faunis ficarijs. Cuius loco biblia per doctores Louanienses correcta, vulgata editio in biblijs Vatabli, Rabanus Maurus, Emanuel Sa legunt fatuis ficarijs, quàm lectionem improbat Bartholomæus Anglicus loco iam citato. Biblia Parisiensia Ioannis Benedicti, & Lyranus habet fatuis ficarijs quod exponit glossa interlin. siluanis hominibus. Lirani autem commentarius sic habet: Cum fatuis ficarijs .i. Faunis & Satyris, vt dicit Huguitio, qui sunt homines siluestres, vel secundum alios dæmones in tali effigie apparentes. Sic ille: Noua versio in biblijs Vatabli Hebræa nomina in textu reliquit: habitabunt in ea zim cū ijm: quod interpretatur bestiæ siluestres cum vlulis, quomodo vertit Sanctes Paguinus. 70. habitabunt lamiæ cum cattis siluestribus. Notæ doctorum virorum in Isidorum per Ioannem Grialium collectæ & auctæ ad locum citatum lib. 11. c. 3. ad illa*

illa verba: Faunos ficarios, annotant legere fatuos ficarios C. Card. Sirleti, Complut. Goth. & Ierem. 50. Hieron. cum fatuis ficarijs.

Faune Nympharum fugiẽtum amator, Per meos fines & aprica rura Lenis incedas) *Sic restitui ex orig. Horatij. In Nidero legebatur Fugientium; quomodo etiã Isidorus citat & malleus malefic. loco suprà citato, nec malè. Secundus versus in nostris exemplaribus c. d. legebatur: Meas per fines, & per pura rura. a. b. à pura, quod accedit ad aprica. m. meos per fines & pura rura. Vt autem hunc versum correxi ita legitur in Isidoro & malleo iam citato.*

Insuper illud Apostoli. 1. Cor. 11. Mulier debet velamen habere super caput suum propter angelos, multi catholici exponunt quod sequitur, propter angelos, id est incubos) *Qui sic exponerent, multorum scriptis consultis, non inueni. Communis interpretatio est propter angelos, id est sacerdotes & episcopos; ne eos ad tentationem prouocent.*

Item Guillelmus lib. de Vniuerso parte vltima circa vi multipliciter) *Credo legendum circa si. vnde alius fecit vi, quia eodẽ modo Germanis sonant hæc duo. Inde alius numerum senarium scripsit. In fine enim illius operis latè agit de hac re videlicet cap. penult. cuius etiã verba multa, etsi non eodem ordine, citantur à Nidero cap. sequenti. Loco citato mallei malef. in quo hæc verba Nideri transscripta sunt sic legitur: parte vltima tractat. 6. multipliciter. Sed non rectè, quia opus non diuiditur in tractatus*

Vnde talia negare dicit Thomas impudentiæ est) *Ita restitui ex orig. Omnia hic exẽplaria legebant imprudentiæ. Verba sua Thomas p. 1. q. 51. ar. 3. ad 6. desumpsit ex August. l. 15. de Ciuit. Dei c. 23. quæ & suprà hoc. cap. ab auctore citantur. & ibidem omnia legunt impudentiæ.*

Sileo de historijs multis, & authenticis, tam catholicorum quàm Ethnicorum, qui incubos esse pa-

lam asseuerãt) *Vt ferè omnes historici Angli de Merlino. Authores plurimos de incubis tractantes suprà annotaui hoc cap. Præter quos etiã videatur Michael Psellus Græcus, & Celius Rodighinus antiquarum lect. lib. 2. cap. 6.*

In eadem diœcesi (*scilicet Constantiensi*) prope oppidum VVinterthaur) *Sic a. b. antiquiss. exempl. c. m. VVinterhaur. d VVinterhaur. Est oppidum quod non procul à Constantia in mappa Germaniæ nominatur VVinterthur. In thesauro Ortelij Vitodurum.*

CAP. 10. Siue super humum trahitur (euangeliorum prædicatione abutens, luxuriosè viuendo) *Hæc sunt verba glossæ interlinealis non ad ista verba, sed præcedentia: Quicquid super pectus quadrupes graditur, & in voce quadrupes alludit ad 4 euangelia. Restitui ex orig. abutens pro abutentes, quomodo cætera omnia numero singulari dicta sunt.*

Notat hic non esse pollutionem in mortuis corporibus) *Reposui ex orig. vocem (esse) pro (omnem) suntque verba glossæ inter. super illud quod Niderus consequẽter hic citat. Ne polluatis animas vestras.*

Si scire desideras in quodlibeto sexto, quæstione decima sanctum Thomam legas) *Sic restitui cum legeretur in quarto scripto quæst. decima. Eundem locum citauit Niderus cap. superiori, vbi tamen pro vij. restitui vi. Habetur autem eo loco quem scripsi, & idem citat ex quodlib. Siluester Prieras in summa sua verbo Debitum coniugale num. 6 Quod si vellet citare scriptum in 4. non citaret per quæstionem, sed per distinctionem. Nec est vlla apparentia quod in 4 dist. 10. aliquid tale scriberetur vbi tractatur de eucharistia. Et si quis bene aduertat quodlibeta distinguit Thomas per quæst. & articulos.*

Vt terreantur mulieres inflammare viros per ea per quæ etiam dæmones inflammare viros volunt) *Ita exemplar m. cætera legunt per ea quæ. Sensus autem ex orig. colligitur quod sic habet: Et ab huiusmodi cultu desistant,*

desistant, timentes viros ad suam libidinosam concupiscentiam inflammare, dum ipsos dæmones ad eam instigare & prouocare videntur.

Habuisti causam ex sancto doctore cap. v. huius libelli) *Ibi assignata fuit ex Paludano, sed eandem habet Thomas loco a me ibi in notis allegato, videlicet in 4. dist. 34.*

CAP. 11. Dicente beato Ambrosio super psalmũ 118 Cõtraria diuinę cognitioni pręcepta Medicinę sunt. A ieiunio reuocant, lucubrare non sinunt, &c.) *Hic imprimis restitui ex orig. citationẽ ut aliâs sæpissime. Nam citabatur super psalmum decimũ tertium. Deinde cognitioni pro conditioni, lucubrare pro lugubrare. Relata est hæc Ambrosii sententia in corpus Canonicũ & habetur de Consec. dist. 5. c 21. Cõtraria. Quomodo autẽ Medicus vel arti Medicina non aduersetur explicat Ioannes Molanus in diario ecclesiastico Medicorum cap. 10.*

Atque auctore medio demonstrauit) *Hericus Cuyckius magis probat lectionem qua habet, auctore remedij, & eam in textum Cassiani retulit, etsi meminerit etiam nostræ lectionis, & alterius qua legit aucto remedio, quæ ad nostram accedit. In eadem citatione ex Cassiano adieci voculam (tam) vbi legitur, tam diro.*

De tertio dicit Cassianus collatione abbatis Sereni 1. Communionem sacrosanctam nequitiæ spiritibus traditis à senioribus nostris nũquam memini interdictam) *Adieci Sereni, & scripsi interdictam pro interdictum ex orig. Cæterum de reipsa: An eis danda eucharistia, præter ea quæ hic Niderus habet, vide annot. 10. Cuyckij ad Cassianum. Dionysius Areop. in ecclesiastica hierar. c. 3. par. 2. scribit eos repelli solere à sacris mysterijs. In sequentibus ex Cassiano citatis verbis multa restitui ex emendato exemplari per Dñm Cuyckium, qui tamen nonnulla se notat inuenisse in suis exemplaribus vt noster citat author, ideoq; ea sic reliqui. Vt illud: Velut quodam exurens fugat incendio, vbi omnia*

nostra legebãt (quoddam) Exẽplar per Cuyckium emendatum: velut quoddam exurens fugat incendium. Ite m postea restitui obsesso pro offense, Cuyckius meminit lectionis quæ habet offenso. Item restitui pœna leuiore plectantur, pro pœnali vigore, quomodo omnia nostra legebant.

In hoc casu pro excommunicatis sunt habendi qui traditi sunt Sathanę) *Restitui ex orig. excommunicatis, pro, excommunicandis.*

Gregorius 1. dialog. de quadam contra conscientiam suam à marito petente & obtinente debiti redditionem in vigilia dedicationis ecclesiæ S. Sebastiani, &c.) *Gregorius non meminit de petitione facta contra conscientiam, sed quod à voluptate carnis deuicta petierit, & quod mane facto conscientiam deterruerit perpetrata carnis delectatio. Vbi notandum, etsi propter delectationem copulam expetere semper sit peccatum, maius tamen diebus orationum exigere, quos excipit Apostolus 1. Cor. 7. Alia est ratio eius qui postulatus aut postulata reddit.*

Qui diuturnis orationibus duobus diebus eam ex integro sanauit) *Legendum arbitror noctibus ac diebus. Nam Gregorij verba sic habent: Qua ille suscepta multis se diebus ac noctibus in orationem dedit: tantoq; annisu precibus incubuit, quanto & in vno corpore contra se assistere legionis aciem inuenit. Quam post non multos dies sanam atque incolumẽ reddidit, ac si in eam ius proprium diabolus nunquam habuisset.*]

CAP. 12. Et folliculos emittentes quędam animalia quasi culices, plenior resina quæ de cortice erumpit) *Restitui ex orig. pro erumpunt. Nam animalia illa ex folliculis erumpunt, resina ex cortice. Quod autem dicit plenior resina, per comparationem dicit glossa ad aliam terebinthum quam ante descripsit.*

Vtrumne per herbas, petras, & melodias valeant expelli dæmones) *Præter eos quos Niderus citat de his agit*

agit August. lib. 10. de ciuit. Dei c. 11. & lib. 21. c. 6. Thomas par. 1. q. 115. ar. 5. & 2. 2. q 96. ar 2. Alphonsus à Castro lib. de hæresibus verbo Tentatio. Richardus à Media villa quodlib. 3. quæst. 8 & alij.

Nec hoc venerabilis Hugo negat commentando eandē historiam) *Restitui commentando pro communicando. De quo Hugone loquatur non satis scio, videtur esse sermo de Hugone Cardinali siue Carensi ord. Prædicat. qui scripsit in vniuersam scripturam ad eum fere modum quo Lyranus, sed in eo non habetur ad locum à Nidero citatum. Nec etiam inuenio in Hugone à S. Victore.*

Imò beatus Hieronymus dicit: Dæmonium sustinenti licet petras vel herbas habere sine incantatione, & habetur in forma xxvj. q. vij. Dæmonium sustinenti] *Hæc verba conficiunt integrum Capitulum finale siue vltimum illius quæstionis & causæ. At ne quidē in nouo corpore Canonico, emendato iussu Gregorij XIII. asscriptus est locus, hoc solummodo annotatum: Burchardus etiam & Iuo citant ex dictis Hieronymi, sed Polycarpus auctorem non nominat] Est verisimile in operibus Hieronymi non haberi*

Ad idem allegat Dominus Guillelmus Parisiensis vltima parte summæ suę de vniuerso satis probabiliter) *Allegat, scilicet varias probationes parte 2. secundæ partis principalis de vniuerso cap. 20 & 21. Quod sequitur in Nidero nullum habet commodum sensum, tametsi ita haberent omnia exemplaria, videlicet:* Præterea certum est exorcismi iure te aliquos fideles in vsu habuisse Vnde Actuum decimonono de septem refertur) *Emendandum hoc esset ex manuscriptis quæ nobis defuerunt. Erit sensus si pro (te) legatur (hac) & referetur ad petras & herbas, de quibus antè locutus est.*

Super quo dicit Magister in historia: Licet per exorcismos Salomonis ejecerint, non tamen absque

labore multo,ſed quibuſdam herbis & gemmis adhibitis,vt tradit Ioſephus. Hæc ibi) *Loquitur de Petro Comeſtore,qui alio nomine Magiſter hiſtoriæ Scholaſticæ appellatur, cuius integer locus ſic habet in hiſtoria libri Actuum Apoſt.c. 98. vbi explicat hiſtoriã cap. 19.eiuſdem libri Actuum: Videntes quidam exorciſtæ quod ad inuocationem nominis Ieſu Paulus eijceret dæmones, excogitauerunt vti eadem forma verborum ad eiectionem dæmonis. Quia licet per exorciſmos Salomonis dæmones eijcerent,non tamen abſque labore multo, ſed quibuſdam herbis & gemmis adhibitis, vt tradit Ioſephus. Vt ergo faciliꝰ eijcerent dæmones,adiurabant eos in hũc modum. Adiuro vos per Ieſum quem Paulus prædicat, &c. Porrò de exorciſmis Salomonis vide Ioſephum lib. 8 antiq.c. 8. & Franciſcum à Victoria in relectione de arte magica nu. 20.26.& 28. ex b.Thoma.*

Diabolus enim hoc habet ex conditione ſuæ naturę in qua factus eſt à Deo,vt nec hominem timeat, &c. *Ita ſuppleui ex orig. cùm a. b. m. legerent: Diabolus enim ex ordinatione ſuæ naturæ in qua factus eſt à Deo,vt nec hominẽ,&c. Quod cùm ſine verbo penderet, c.d.ſic compleuerant. Diabolus enim ex ordinatione ſuæ naturæ in qua eſt,factus eſt à Deo,vt nec hominem, &c.*

Et ita catholicè, non ſine nota tamen vita functus tandem) *Sic tria correctiora exemp.ſed c.d.non tamẽ ſine ea vita functus tandem. De curatione autem morbi phantaſtici,de quo hic multa Niderus, exemplum habet Chryſoſtomus lib. 1.de ſacerdotio ſub finem.*

FINIS.

BAR-

BARBARARVM FERE VOCVM AVT INCONSVETÆ SIGNIFICATIONIS in his quinque Nideri libris, quę lectorem remorari possent, explicatio.

AB olim, *id est, ab antiquo tempore lib. 5. c. 8.*
Actor, *pro auctor siue author.*
Actuare, *in actu ponere lib. 1. c. 1. l. 2. c. 2 lib. 5. c. 4.*
Almania, *vel, vt duo posteriora exemplaria*, Alemania, *pro Germania Gallicè Alemaine.*
Amaricare, *amarũ reddere, vtitur interpres Apoc. 10.*
Ambasiator, *legatus, Gall. & Belg. ambassadeur.*
Ambo, *ãbonis pulpitũ, suggestũ, cathedra concionatoris.*
Amor hereos, & philocaptio *quid sit explicat Niderus lib. 5. c. 5 & 6. vbi vide annotationem nostram.*
Armata, *a. exercitus, Gal. armee. vtitur Ioãnes Gerson, vel quisquis auctor, in dialogo Franci & Angli 10. 1.*
Armigeri, *milites.*
Attinẽtię, *quæcũq; attinẽt seu pertinẽt ad aliquid l. 5. c. 3.*
Auisare, *interdum prædicere, præmonere. vt l. 2. c. 1. & l. 3. c. 4. Cuius loco aliquando vtitur verbo* præauisare.
Auisari, *consuli, præmoneri*. Auisatus, *instructus, informatus.* Authenticare, *authenticum reddere.*
Balliuatus, *prætura, officium balliui.*
Biblia, *biblia, pro quo latini vocabulo Græco Biblia bibliorum.*
Bombarda, *quod alij sclopetũ, alij catapultã Latinè dicũt, sed non mirum si vocabulum nouũ, cùm res noua sit.*
Brigare, *recalcitrare, vt apparet, vel obloqui aut tumultuari. l. 5 c. 9. Cõtra se briganti, ait, loquẽs de mala vxore contra maritum ferociẽte. Vnde in tomo historicorũ illustrium Germaniæ edito per Christianũ Vrstisiũ Basileensem in catalogo vocum barbararum sic dicitur: Briga, tumultus, seditio non siue certamine, German. Seprot. hinc inbrigare, tumultui aut liti se miscere. Sic ibi.*
Calcecator, *sutor, calceatius,*

Camera,

Camera, *cubiculum. Vtitur Cantiprat. imo & S. Bernardus ser. 65. super Cantica.*

Cariſtia, *caritas ſiue difficultas annonæ. Vtitur Iacobus Vitriacus hiſt. Occident c. 8. & Cantip.*

Carmen & Carminatio, *pro incantatione lib. 5. c. 4.*

Carniſpriuium, *Bacchanalia, ac ſi dicas carnis priuatio, Gall. quareſme prenant, Italicè Carnevale. Tunc enim carnibus vale dicitur.*

Caſſare, *caſſam reddere, aliàs perdere, eijcere, Gall. Chaſſer, vt lib. 5. cap 11. eo ferè ſenſu vtitur, Virgil. 1. Æneid. Caſſatam ventis liceat ſubducere claſſem.*

Cataputia, *æ. herba eſt, & apothecarijs duplex, maior, latinè ricinus, & minor, lathyris, de vtraque Rembertus Dodoneus in ſuo Herbario par. 3. c. 33. & 36. Locus eſt lib. 5. in fine c. 10. ex Guil. Pariſ.*

Cattus, *animal muriceps, felis, vtitur Seruius. vii cat.*

Certiorari & certionari, *certior fieri. Voce certiorare pro certiorem reddere vtitur. Bleſ. ep. 52. & Vlpian.*

Chirurgicus, *idem quid chirurgus. Vtitur eadem voce Innocent. III. in decretal. tit. de homicidio volunt. c. 19. Tua nos.*

Ciuitatenſes, *ciues, lib. 5 c. 12.*

Clenodia, *monilia precioſa lib 1. & 4. vtrobique c. 6. in fine, vox eſt Teuthonica kleynodie vel kleynood, ſonat idem ac ſi dicas, parum neceſſaria. Latinè dixeris Cimelium, brabium, bulla, monile, ornatus pretioſus. Vtitur Dionyſ. Ryckel Carthuſ in cap. 13. Mat. ad illa verba Simile eſt regnum celorũ theſauro abſcondito in agro, quem qui inuenit homo, abſcondit tanquam, inquit, pretioſum clenodium. Vtitur & Cochlæus lib. 5. hiſt. Huſſitarum anno 1420. Ioannes Auentinus hæreticus lib. 7. annal. Boiorum anno 1413. loquens de auratis ſtatuis & gemmatis aliquot Sanctorum. Quæ, inquit, Germania clenodia vocat.*

Commodoſum, *commodum, conueniens.*

Commodum *ſubſtantiuè pro cubili aut conclaui lib. 4. c.*

4.c.10. & lib 5.c.1.& 7.

Confessor.*pro confessario. Cantiprat. & frequens est in iure Canonico, bis ponitur in 6. de pænit, & remiss. cap. Si episcopus.*

Contentari, *contentum esse hac aut illa re.*

Conuersari alicui, *pro cum aliquo.*

Cordetenus, *memoriter. Gal. par cœur. vtitur Blesens epist 101. & Cantip.*

Corrigere, *pro corripere.*

Crementum, *pro incremento lib.5.c.11.*

Crucifixum, *neutro genere, imago crucifixi, Gal. & Belg. vn Crucifix.*

Cubatum vadens, *pro cubitum.*

Cubella, *linter in quo pasta formari solet. Cuba Festo lectica est, vnde cubiculum inquit Elhardus Lubinus in suo antiquario.*

Curia, *pro chorte, Gal. court, locus extra septa monasterij in quo famuli & villici habitant lib.5.c.2. vtitur Cantipr.*

Cirulogi, *poni videtur pro chirurgis aut medicis lib. 3.c.10.*

Debriatus, *pro inebriatus lib.5.c.6.*

Deoccupatio, *liberatio ab occupatione.*

Dieta, *iter vnius diei. Petrus Blesens. epist. 14. & 66. Aliquando pro comitijs seu conuentibus imperij, vt lib. 3. c. vlt. & lib.5.c.1.*

Dietim, *in singulos dies.*

Diuortiata, *per diuortium separata.*

Domificator, *ædificator domus.*

Eclipsari, *eclipsim seu defectum pati.*

Epidimiæ morbus, *pestis.*

Exemplificare, *exemplis declarare. Vtitur Cæsarius in dial.*

Exulati, *in exilium missi, exules.*

Exulatio, *exilium.*

sine Fallo, *id est sine errore, Gall. sans faillir, quod Nauarrus*

marrus in enchirid confess c.24.n.19. sub finem dicit sine fallentia Locus est lib.2.c.6. & lib.4. c. 2. vtrobique duo posteriora exemplaria legunt sine falso.

Famari, *publicè dici.*

Feoda, *pro feuda,*

Filiaster, *pro genero lib.5.c 2.*

Flasca, *vter, Gal. vn flascon. Voce flasconis vtitur B. Gregor. in dialogo lib. 2. c.18.*

Fleubotomum, *medicinale ferramentum lib. 2.c. 9. in verbis citatis ex Gregorio l.1.dial.c.4. vbi sic Gregor. interpretatur. legendũ autẽ est phlebotomũ, estq; scalpellũ quo vena secatur. φλεβοτομία venæ sectionem significat.*

Frutectum, *idem quod frutetum, id est locus fruticibus consitus, inquit, Nomẽclator Iunij. Ambros. Calepinus ita habet. Frutetũ, seu fruticetum: siue etiã frutectũ, vt in vetustis quibusdam codicibus legitur, vbi multi sunt frutices.* Furcare, *in furca seu patibulo suspendere.*

Furcatus, *suspensus in furca seu patibulo.*

Furcandus, *suspendendus.*

Galea, *pro triremi, vne galere.*

Guerra, *bellum. Bernard epist. 221. & ser. 3. de resurrect. Bles. epist. 196. & ser. 23.*

Grossus panis, *secundarius & furfuraceus.*

Homagium, *honor subiectionis. Gal. homage. Locus est lib.5 c 3. vbi dicitur, homagium præstare diabolo. Vocabulum frequens est in Iure, nominatim extra de reg. Iuris cap. vlt.*

Homo, *pro viro.*

Humanatus, *humanam naturam indutus, homo factus Bles. ser. 6 & 19.*

Iconia, *imago. vide annot ad c.7 lib.1. Cantipratani.*

Incinerare, *in cineres redigere.* Incineratus *in cinerẽ redactus.* Indilatè, *sine dilatione.*

In falso, *falsè, vel falsò.*

Infirmaria, *domus infirmorum in monasterio, valetudinarium. Cantip.*

Instig

Infrigidare, *frigidum reddere.*

Infrigidati, *frigidi redditi ad actum coniugalem lib. 5. c. 6. in argumento.* Ingratilis, *pro ingratus.*

Innotuit, *actiuè pro innotescere fecit, indicauit. Quomodo B. Gregor. sæpe loquitur. Item S. Eulogius martyr & Archiep. Toletanus, & Cæsarius.*

Innuptiè, *sine nuptijs l. 4. c. 5.* In serio, *seriò l. 1. c. 8.*

Insimul, *idem quod simul.*

Institerit, *pro institerit.* Insteti, *pro Institi.*

Interceptum, *omissum lib. 2. c. 2.*

Intromittere, *interponere lib. 5. c. 11.*

Inturritus, *in turre & carcere positus.*

Inuehere, *pro inuehi.*

Laboratoriū, *locus in quo laboratur. Gal. vn ouvroir.*

Latentia, *occultatio lib. 3. c. 3.*

Leuca, *miliare, Gal. vn lieu.*

Libraria, *bibliotheca, vtitur Gellius lib. 5. c. 4.*

Licentiare, *licentiam seu facultatem dare. Cæsarius.*

Lifria, *vide annot. ad c. 10. lib. 4.*

Litera, *pro epistola Latinè dicitur Poëticōs.*

Maceracium, *videtur significare stoream, Gal. vn matras, nam lecto opponitur. Vocabulum fortè à macerando sumptum: Locus est lib. 4. c. 7.*

Maleficiare, *maleficio afficere. Vtitur & cōtrario verbo* Beneficiare, *quod legitur epist. 70. Petri Bles.*

Maleficiari, *maleficio affici.*

Malleator, *faber, Legitur Gen. 4. & in Bernardo ser. 17 in Cantica & Bles. in compendio in Iob.*

Mania, *insania, vox Græca est.*

Maniaca passio *pro quo dicit &* Manica, *idem.*

Maniaci, *insani. Vtitur Gerson par. 1. alphab. 21. in tract. de erroribus circa artem magicam.*

Miles *pro nobili. vide quæ ad Cātip. notaui in expositione vocum barbararum. Vtitur Blesensis epist. 78.*

Minera, *minerale.*

Monstrantia, *a. capsam seu thecam videtur intelligere*

que

quo monstratur & circumfertur eucharistia. Locus est lib. 4. c. 12.

Morsellus, *bolus, Gall. morceau. Vtitur Cantiprat.*

Murileges, *feles intelligere videtur lib. 5. c. 2.*

Nigromantici, *id est necromantici. Vide annot. ad c. 4. lib. 5.*

Oligarchia, *vox Græca, species mali principatus, Explicatur lib. 1. c. 4. vbi vide annotat.*

Origanum, *vox Græca est herbam significans, Belg. groue mageleine, Gal. mariolaine bastarde.*

Parisius, *indeclinabiliter pro Parisii Parisiorum, habet vnico loco lib. 5. c. 8. Vtuntur Bernard. & Blesens.*

Passionalia, *libri continentes vitam & passiones Sanctorum.*

Passionari, *vehementer passione affici.*

Peditare, *pedibus ire.*

Pestilenticus, *pestilens.*

Philocaptio, Philocaptus, *vide annot. ad c. 6. lib 5.*

Philomena, *pro philomela, idem quod luscinia, vide annot. ad cap. 4. lib. 3.*

Philosophus, *Aristoteles.*

Physicus, *Medicus. Vitria. Cantip.*

Pictantia, *portio. Vtitur Nauar. in enchir. confess. agens de Missa, & Cæsarius.*

Plebanus, *parochus, pastor.*

Plurificari, *in plures partes diuidi, seu multiplicari lib. 1. c. 1.*

Ponticus odor, *austerus, absynthium Romanum redolens, nomen habens à Ponto.*

Possessionati religiosi, *qui possessiones habent, & opponitur Mendicantibus. Vox ea habetur in articulo 16. Ioan. VViclefi damnato in Concil. Constantiensi.*

Practica, *æ. pro praxi & vsu.*

Prænosticare, *pro prognosticare, id est prædicere.*

Præstauerint, *pro præstiterint.*

Protelari, *produci, prolongari. Legitur Deut. 5. v. vlt. Cantip.*

Cantip.

Protelatio, *prolongatio.*

Quantè, *pro quantum.*

Quo dum, *pro donec.*

Quota, *a. subauditur pars, & numero plurali* quotæ, *id est quot vicibus.*

Rata, *scilicet portio, pro sua rata .i. pro sua parte.*

Rebellizare, *rebellare.*

Recentia, *a. quod recens est, lib 5. c 5. in fine, propter peccati recentiam, & sunt verba Hugonis qua citat. vtitur Bles. epist. 164.*

Recipere, *pro eripere.*

Reddituatus, *redditus seu reditus annuos habens.*

Refutare, *pro reijcere & recusare. Cantiprat.*

Remediari,, *curari.*

Repatriare, *in patriam redire. Cæsarius.*

Resignare huic aut illi rei, *pro renunciare.*

Sententiare, *sententiam in iudicio dare. Bles. ep. 66. & Cæsarius.*

Sententiatus, *iudicatus, qui sententiam accepit.*

Sentimentum, *res sensibilis, actus sentiendi, experimentum.*

De sero, *id est vesperi, Gal. du soir. Sic Thomas loquitur in quodlibet. 5. ar. vlt. quærens, an liceat de sero legere matutinum?*


Sibi dixit, *pro ei.*

Siropodium; *quid sit nescio. Locus est lib. 1. cap. 9. sub finem.* Fortè *legẽdum Scimpodium vt sit diminutiuũ à σκίμπους quod lectum humilem & mutilum, siue grabatum significat. Talem enim significationem requirunt loci circumstantiæ. Vtitur Gell. lib. 19 c. 10. Offendimus eum cubantem in scimpodio Græciensi.*

Sortiaria, *venefica siue malefica à sorte dicta. Gal. sorciere. Vtitur Hincmarus Rhemensis Archiep. cap. Si per sortiarias 33. q. 1.*

Spelta, *zea, species frumenti.*

Strata,



Strata, *platea, Cæsarius. Item Iuuencus, Beda. Vsuardus in martyrol. 15. Decēbris, vbi vide annot. Molani in prima editione.*

Strepa, *stapia, subex pedaneus, est id in quo pes ponitur dum quis equo vectatur.*

Studere medicinam vel artes, *pro eo quod Latinè dicitur, studere medicinæ vel artibus.*

Stuffa, *hypocaustum, c. d. legebant stuba sed malè. Locus est lib. 5. c. 4. Gall. estuue. Ital stufa, Hisp. estufa.*

Stupidus, *pro stupefactus, Vtitur Cantiprat.*

Tabulatus, *per 4. declinat. lib. 1. c. 9. Lapideo tabulatu ecclesiam strauit.* Taliusmodi, *pro talis modi.*

Tantè, *pro tantùm, vel in tantum.*

Treuga, *induciæ. Gal. treues Est titul. in iure Canon. de Treuga & pace.* Triuij studium, *id est, Grāmatica, Rhetorica & Dialectica. Vnde scholæ triuiales.*

Truphator, *deceptor, illusor, Vtitur Ioannes Gerson, tum alibi, tum in tract. contra superstitiosam dierum obseruationem par. 1. alphabet 20 y.*

Trutanni *vel* Tructanni, *idem ferè. Vtitur vtroque Cæsarius.*

Tyrannides, *nominatiuo singulari, pro tyrannis, idis.*

Vicinium, *pro vicinia.* Villagium, *pagus.*

Villanus, *rusticus, villæ seu pagi incola.*

Vinculari, *vinculis constringi.* Violentari, *violentiam pati.*


Vippa, *panis vino intinctus. Locus est l. 5. c. 6 Vtitur Schola Salernitana c. 54 vbi quatuor eius cōmoda recenset in hunc modū.*

Bis duo vippa facit, mundat dentes, dat acutum
Visum, quod minus est implet, minuit quod abundat.

De eadē dictione Hermolaus Barbarus c. 95. l. 5. corollar in Dioscoridē ita scribit: Erat veteribus ientaculū, buccea ex vino, quod genus barbari à vino & pane vippam vocant. Sic ille. Vox est composita ex primoribus syllabis harū dictionum vinum & panis. Vnde cōpositio requireret vt vipa diceretur, quomodo habet antequa editio Scholæ Salernitanæ.

Cætera in notis vel in margine explicantur. Illud etiam obserua, quòd vni sæpe pluraliter loquatur, vt securus estote, sanatus estis, & similia, secundum formam Gallici sermonis, quæ etiam in [Be]rnardo & Petro Blesensi inueniuntur.

Index



INDEX RERVM PRÆCIPVARVM QVÆ HIS QVINQVE LIBRIS FORMICARII CONTINENTVR.

Kk De

Beno

Epis-

Gene-

Humili-

Io-

Murus

uini-

trus de

FINIS.

ERRATA TYPOGRAPHICA.

PAg. 4. lin. 1. leg. alterius. pag. 7. lin. 2. & 4. à fine leg. cadauera (&) bestijs. pag. 11. lin. 1. dele cog. & in marg. leg. 83. qq. pag. 16. l. 24. ciuitatula. 18 l. 3. tendebat 26. l. 17 vltra. 40. l. 10 dele non habetur, & pone in marg. 56 lin. 1. habituatis. 61. ad marg. Tua nos. 79. l. 13. constitutus. 118. l. 2. nimis. 132. l. 19. præostendantur. 134. l. 26 ablatione & l. seq. dele fieri. 170. l. 16. sénium. 172. l. 11. dispositos. 188. l. 28. nobilis. 215. l. 1. mutuo ad nutum. 272. l. 3. bene. 293. l. 11. nostræ. 300. l. 23. nequiuit. 340. l. 28. deberet aspergi. 343. l. vlt. eijcitur. 388. in marg. missas falsò. 393. l. 29. tantum vti. 395. l. vlt. illud pro aliud. 396. l. 23. idem. 411. l. 1. quodlibeto. l. 17. facinore. Item nota quòd pag. 30. numeri 1. 2. 3. in margine positi sunt in textu ponendi. Reliqua erratula quiuis facilè percipiet. In notis pag. 9. l. 3. vsitatius. pag. 65. l. 11. fuliginosi. 80. l. 5. à fine, antiqua. 580.